SACRARUM RELIGIONUM MAXIMÆ,


EX REGULA
S. P. N. AUGUSTINI
ECCLESIÆ DOCTORIS MAXIMI,

Desumptæ
Ac Centum Discursibus Italicis explicatæ
à
Reverendissimo Domino


D. PHILIPP. PICINELLO,
Mediolanense, Canonicorum Regularium Lateranensium Abbate, Theologo, Lectore, & Prædicatore Privilegiato,


Nunc in Latinum traducta,
à

D. AUGUSTINO ERATH,
Canonico Regulari Wettenhusiano SS. Theologiæ Doctore, Protonotario Apostolico, Celsissimi Principis Episcopi Passaviensis &c. Consiliario Ecclesiastico,
Cum licentia Superiorum.



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus LAURENTII KRONIGERI,
Et Hæredum THEOPHILI GOEBELII,
Typis Joannis Christophori Wagneri,
Anno M. DC. LXXXXVI.





THEMATA
SEQVENTIUM DISCURSUUM,
EX
PROOEMIO REGULÆ.

Ante omnia Fratres Charissimi diligatur DEUS, deinde Proximus.

Discursus I.

Amorem & Servitium Dei rebus omnibus esse anteponendum.

Discursus II.

Amori Dei adjungendum esse amorem Proximi.

Ex Prooemio Regulæ.

In unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo & sit vobis anima una & cor unum in DEO.

Discursus III.

Religiosos debere esse concordes.

Ex Capite I. Regulæ.

Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.

Discursus IV.

Vitium proprietatis detestabile esse Religiosis.

Ex Capite I. Regulæ.

Distribuatur unicuique vestrum à Præposito vestro victus & tegumentum.

Discursus V.

Alimenta & Indumenta subditis esse subministranda.

Discursus VI.

Subveniendum esse Necessitatibus subditorum.

Ex Capite I. Regulæ.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune

Discursus VII.

Opes terrenas libenter esse in commune conferendas.

Discursus VIII.

Divites & pauperes in Monasterijs esse recipiendos.

Discursus IX.

Cum opibus terrenis etiam affectum esse exuendum.

Ex Capite I. Regulæ,

Eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etiamsi paupertatis eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire.

Discursus X.

Infimis etiam servis de necessarijs esse providendum.

Ex

Ex Capite I. Regulæ.

Nec erigant cervicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant.

Diſcurſus XI.

Converſos, quàm neceſſarij ſunt, tam officioſos eſſe debere.

Diſcurſus XII.

Quam deteſtabile ſit perversè operari adverſus Sanctorum Exempla.

Ex Capite I. Regulæ.

Surſum Cor habeant.

Diſcurſus XIII.

Cor elevandum eſſe ad DEUM.

Diſcurſus XIV.

Cor in ſublime elatum ad DEUM præſervandum eſſe à Mundi vanitatibus.

Diſcurſus XV.

Cor ad DEUM erigendum eſſe, abſtrahendo illud à Mundi vanitatibus.

Diſcurſus XVI.

Bona Mundi omnia eſſe Vana.

Ex Capite I. Regulæ.

Magis ſtudeant non de parentum divitum dignitate, ſed de pauperum Fratrum Societate gloriari.

Diſcurſus XVII.

DEUM gratias ſuas in ſinum profundere humilium.

Ex Capite I. Regulæ.

Alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant, superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.

Discursus XVIII.

Superbiam cunctis virtutibus tendere insidias.

Ex Capite I. Regulæ.

Honorate in vobis DEUM invicem.

Discursus XIX.

Religiosi mutuo sese honore afficiant.

Discursus XX.

Sacerdotes Colendos esse.

Discursus XXI.

Nos esse Templa Dei.

Ex Capite II. Regulæ.

In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde & nomen accepit.

Discursus XXII.

Culpas in Oratorijs & sacris locis admissas severiùs fuisse castigatas.

Ex Capite II. Regulæ.

Psalmis & hymnis cùm oratis DEUM, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.

Discursus XXIII.

Orationem corde peragendam esse.

Discursus


Muller fecit

REVERENDISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS, & ILLUSTRIBUS,

DUCALIS, ARCHIDIACONALIS,

ET EXEMPTÆ

SACRI ROMANI IMPERII

ECCLESIÆ COLLEGIATÆ

IN

BERCHTOLSGADEN

CANONICIS REGULARIBUS

AC

DOMINIS,

D. JOAN. BAPTISTÆ LACHEMAYR, ab Ehrenheim, &c. Commissario in Spiritualibus Generali, Decano, ac Consistorij & Consilij Aulici Berchtolsgadensis Præsidi.

D. JOAN. JACOBO ZECHENTNER, à Räggerstorff, Seniori Capitulari, & Serenissimi Electoris Coloniensis in excelso Regimine Berchtolsgadensi Consiliario &c.

D. MAXIMILIANO HENRICO PIESSER, ab Hochenberndorff & Wildthurn, Subseniori, Capitulari, & Scholastico.

D. SEBASTIANO JOSEPHO, L. Baroni à Ginshaimb, in Schwindach, Capitulari & Custodi.

D. JULIO HENRICO à Rechling in Rhadau, Capitulari, Oeconomo, & Cellario.

D. GEORGIO FLORENTIO PILBIS à Sigenburg & Niderúhlrain, Capitulari, Consistoriali, & Consilij Aulici Consiliario; Rei Prætoriæ & Sylvarum Inspectori.

D. FRANCISCO GEORGIO IGNATIO, S.R.I. Comiti de Leublfing in Rhain, Capitulari, Consistoriali, & Consilij Aulici Vice-Præsidi, nec non Rei Salinariæ, Montium & fodinarum Inspectori.

D. CAJETANO ANTONIO MARIÆ JOSEPHO NOTTHAFT S. R. I. Libero Baroni de Weissenstein in Grueb, Capitulari, & excelsi Regiminis Aulici Consiliario.

D. JO. IGNATIO SCHRENCK, de Nozing, Domicellari.

D. FRANCISCO MARQUARDO TRAUNER à Martinsburg, Domicellari.

D. MAXIMILIANO HERIBERTO, S. R. I. Libero Baroni de Lampfrizhaimb in Pircken, Domicellari.

D. RAYMUNDO DIONYSIO, S. R. I Libero Baroni à Rehlingen & Haltenberg. Novitio.

)(2 Magni





Agni Augustini Magno Parelio Hugoni Victorino nostro *Regula appellatur, quia in ea nobis recte vivendi norma exprimitur.* Ea enim ex etymo suo viam demonstrat, quâ in genuinis Virtutibus progrediamur. Canon est, à quo dicimur Canonici, veluti toto vitæ decursu ad SS. Apostolorum normam compositi; prout etiam Magnus structuræ Canonicæ Architectus, S. Augustinus, sacram suam Regulam, veluti Synopsin Actuum Apostolicorum, insigni hoc epiphonemate ad Præmonstratense Sidus conclusit: *Ecce habes Regulam, quam ego conscripsi; sub qua si bene militaverint Confratres tui, Filij mei, adstabunt securi in extremi Judicij die.* Hanc Regulam S. Mater Ecclesia vocat *Apostolicam.* Pius IV. Pont. Max. *Divinam.* Illuminatissimus Navarrus noster, alijs Regulis *altiorem & digniorem.* Hyacinthus Donatus, *cæteris Regulis præstantiorem.* De ea pronuntiat Joannes Mauburnus noster in absolutissimo suo Roseto: *Non est talis Regula inter Regulas universas, sicut Regula S. Augustini; excedit ab authoris conditione, exemplaris perfectione, temporis antiquitate, mandatorum discretione & spiritualitate &c.* Ad Vos proinde Reverendissimi Domini

in Expos. Reg.

Sur. Tom. 3. die 6. Jun.

Navarrus Comment. 4. de Regulis n. 3. & 4. Tom. 3. Praxis Reg. Tract. 1. q. 2. p. 2. Memb. 5.

Domini Canonici, Augustissimam hanc Regulam jure meritissimo defero, eamque aris Vestris consecro, cùm nullibi digniùs reponatur, quàm dignissimo & celeberrimo totius sacri Ordinis Canonici fastigio. Et certè si sacra Regula nostra insigniatur accommodatissimo illo lemmate: *Lumen eunti:* Tunc Ducalis Ecclesia Berchtolsgadensis cognominari meretur celsissima Pharus, in qua normæ Canonicæ Splendor quaquaversùm diffunditur, & cumulatissimis Summorum Pontificum, Imperatorum, ac Regum prærogativis relucet. Illa quippe sexto abhinc Sæculo fundata, quamprimùm, & ut Calixtus III. Pontifex Maximus, in diplomate loquitur; *in Suæ erectionis primordio sub B. Petri & Apostolicæ Sedis protectione specialiter recepta, & ab omni Jurisdictione Ordinariâ exempta fuisse creditur, quemadmodum in Libris & Registris exemptorum Apostolicæ Cameræ adhuc hodie inter alia exempta reperitur.* Ita ut Præpositus Berchtolsgadensis in Spiritualibus potestatem habeat ordinariam ac quasi Episcopalem, sitque cum Clero, populo & omnibus *bonis mobilibus & immobilibus præsentibus & futuris ab omni jurisdictione, dominio & potestate Archi-Episcopi Salisburgensis, nec non quorumcunque aliorum Ordinariorum, penitùs & omninò exemptus*, prout extenso Diplomate his omninò verbis firmat Calixtus III. & longâ serie

Hund. Metrop. Tom. 2 fol. 173.

Hund. l. cit. fol. 174.

in Metropoli Salisburgensi testantur alij Summi Pontifices. Ne enim Ducalis Ecclesia vestra ullo splendore destituta esset, debuit etiam exemptione illustrari, quia Prælatus exemptus præcedit alios non exemptos, ut testantur Cassanæus & Frances. Unde primo adhuc fundationis Berchtolsgadensis Sæculo Alexander III. Pontifex Maximus voluit Ecclesiam Vestram toto vertice majorem, dum eam Pontificali Infulâ condecoravit, ornamento tantò majore, quantò antiquiore. Et cùm Sol inter condensatas nebulas nihil lucis amittat, etiam Ducalis Ecclesia vestra id immunitatis obtinet, ut, provinciâ Ecclesiastico generali Interdicto cohibitâ, vobis liceat clausis januis Divina Officia celebrare, prout Gregorius IX. Pontifex Maximus speciali diplomate sancivit. Cùm denique Innocentius III. Pontifex Maximus, *Vir miræ probitatis, &*, ut eum Joannes Baptista de Cavallerijs cognominat, *suorum temporum eruditissimus*, altero post fundationem vestram sæculo ad supremum Ecclesiæ Romanæ solium eveheretur, eruditionis ac zeli sui monumenta in eo potissimùm collocavit, ut Ecclesiæ dignitatibus nonnisi illos præficeret, qui cæteros verbo & exemplo antecellerent. Proinde Ecclesiam Berchtolsgadensem jam tum incrementis Religiosæ Disciplinæ, & sacrorum Canonum eruditione celeberrimam, insignivit gravissimâ dignitate Archi-

Cassanæus Cass. Catalog. Glor. Mundi D.4. cons. 24. Frances de Eccles. Cath. c.33. n.124.

Hund. l. c. fol. 168.

Hund. l. c. fol. 189. 192. & 194.

Archidiaconali, quæ poſt Epiſcopalem eſt omnium prima, quippe cui omnis cura totius Cleri commiſſa eſt, ut ex c. adhæc. 7. de Offic. Archid. docet Ernricus Pirhing. Summis Pontificibus in exornandâ Eccleſiâ Berchtolsgadenſi nihilo inferiores Auguſtiſsimi Romanorum Imperatores, eam iteratis vicibus in ſpeciale ſuum patrocinium receperunt, ac illius Præpoſitos inter Sacri Romani Imperij Principes (ubi etiamnum actuale Votum & Seſsionem obtinent) cooptârunt. Quas veſtras ſummas dignitates ita æſtimavit Sereniſsima Domus Bavarica, ut gubernandæ Eccleſiæ Berchtolsgadenſis munus integro abhinc ſæculo in hodiernum usque diem in ſe ſuſceperit, redditura tantundem lucis, quantum à Sereniſsimo Capite in Illuſtriſsima membra transfundi poteſt. Hæc aliaq; innumera decora fecêre, quòd Ducalem Eccleſiam Veſtram dixerim Sacri Canonici Ordinis noſtri Pharum, è qua Illuſtriſsimus Auguſtinianæ Regulæ ſplendor jam ab incunabulis Berchtolsgadenſibus in hanc usque diem ſemper viguit, ſtatuente Calixto II. & poſt eum compluribus Summis Pontificibus, *ut nulli omninò hominum liceat vitæ Canonicæ Ordinem, quem profeſsi eſtis, in Eccleſiâ veſtrâ commutare.* Liceat ergò, Reverendiſsimi Domini Con-Canonici, has in S. Regulam noſtram Conſiderationes ex Ducalis Eccleſiæ Veſtræ Pharo ſuſpendere, ac illarum

Pirhing lib. 1. Tit. 23. n. 4.

Hund. fol. 177. 178. 188. 189.

Hund. fol. 157. 160.

illarum patrocinium à vobis impetrare, hoc posissimùm auspicatissimo anno, qui sacro Ordini nostro, imò toti Ecclesiæ Catholicæ desideratissimum hactenus gaudium attulit, ut die primâ Octobris, post binam priorem S.Patris nostri translationem, accesserit tertia, ejusque Sacra Lipsana Ticini in Templo Cœli aurei non sine totius Christiani Mundi solatio reperta sint. Ex quo Reverendissimis Dominationibus Vestris, cumprimis verò toti S.Ordini nostro Canonico omnem auguror, precorque felicitatem.

Rev^marum^ Illustiss^marum^ & Illustrium
Dominationum Vestrarum

Passavij die 15.Decembris
Anno 1695.

Servus in Christo

Augustinus Erath, C.R.

Discursus XXIV.

Verbis nostris exprimendum esse affectum cordis.

Ex Capite II. Regulæ.

Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum, quod autem ita scriptum est, ut non cantetur, non cantetur.

Discursus XXV.

Laudabiles consuetudines esse retinendas.

Discursus XXVI.

Cantu Ecclesiastico DEUM honorari.

Discursus XXVII.

Cantu Ecclesiastico conferri levamen malorum animarumq; salutem.

Ex Capite III. Regulæ.

Carmen vestram domate jejunijs, & abstinentia escæ & potus.

Discursus XXVIII.

Vitia jejunio edomari.

Discursus XXIX.

Abstinentiam puros nos reddere ac gloriosos.

Discursus XXX.

Mortificationes nostras ad libellam discretionis obeundas esse.

Ex Capite III. Regulæ.

Cùm acceditis ad mensam -- ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.

Discursus XXXI.

Sub refectione corporis animam ad DEUM elevandam esse.

Discursus XXXII.

Lectionem Mensæ permagni momenti esse.

Discursus XXXIII.

Silentium in Monasterijs maximi esse pendendum.

Discursus XXXIV.

Pretiosam escam animæ esse sacram Scripturam.

Ex Capite IV. Regulæ.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, &c.

Discursus XXXV.

Naturam esse paucis contentam.

Discursus XXXVI.

Convalescentes lautius esse tractandos.

Ex Capite IV. Regulæ.

Melius est minus Egere, quam plus habere.

Discursus XXXVII.

Quod nimium, est noxium.

Discursus XXXVIII.

Religiosi paucis contenti sint.

Ex Capite IV. Regulæ.

Nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Discursus XXXIX.

Præstare sanitatem cum tenui victu, infirmitate delicatè nutrita.

Ex

Ex Capite V. Regulæ.

Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere ſed moribus.

Diſcurſus XL.

Modeſtia in veſtimentis eluceat.

Ex Capite V. Regulæ.

Quando proceditis ſimul ambulate; cum veneritis, quo itis, ſimul ſtate.

Diſcurſus XLI.

Religioſi absque ſocio non egrediantur Monaſterio.

Ex Capite V. Regulæ.

In inceſſu, ſtatu, habitu & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujusquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

Diſcurſus XLII.

Religioſi cohibeant oculos, linguam frænent, gravitatem præſeferant.

Ex Capite VI. Regulæ.

Oculi veſtri, etſi jaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur.

Diſcurſus XLIII.

Oculos fœminarum ferire ſimul ac incendere.

Ex Capite VI. Regulæ.

Etſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt?

Discursus XLIV.

Timendum esse Judicem illum, qui cernit omnia.

Ex Capite VI. Regulæ.

Quando simul estis in Ecclesia, & ubicunque fœminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite.

Discursus XLV.

Pudicitiam ubique, maximè in templo custodiendam esse.

Discursus XLVI.

Omnia bona nostra ex gratia derivari.

Discursus XLVII.

Gratiæ coöperandum esse.

Discursus XLVIII.

Laboranti proximo spiritualem opem ferendam esse.

Ex Capite VII. Regulæ.

Si oculi petulantiam in aliquo vestrûm adverteritis, statim admonete, ne malè cæpta progrediantur, sed de proximo corrigantur.

Discursus XLIX.

Correctioni fraternæ suavitatem quandam miscendam esse, correctionem benignè, comiterque adhibendam esse.

Discursus L.

Delicta proximi ad Prælatum esse deferenda.

Discursus LI.

Proximum quoad fieri potest occultissimè corrigendum esse.

Discur-

Discursus LII.

Qui proximum punire negligit, ejusdem culpæ particeps efficitur.

Ex Capite VII. Regulæ.

Emendatoriam vindictam, si forte recusaverit, de vestra societate projiciatur, ne contagione pestifera plurimos perdat.

Discursus LIII.

Scelera vicinitate affricari alijs.

Discursus. LIV.

Incorrigibiles è monasterijs ejiciendos esse.

Discursus LV.

Benignitati correctionis, si nihil proficit, succedat rigor Justitiæ.

Discursus LVI.

Prælatus sit tardus ad puniendum.

Ex Capite VII. Regulæ.

In prohibendis, indicandis, convincendis, judicandisque peccatis -- totum peragatur cum dilectione hominum & odio vitiorum.

Discursus LVII.

In plectendis reis uniatur amor hominum odio vitiorum.

Ex Capite VIII. Regulæ.

Quicunque in tantum progressus fuerit malum, ut occultè litteras vel quodlibet munus acceperit -- si deprehenditur & convincitur, secundùm arbitrium Presbyteri vel Præpositi graviter emendetur.

Discursus LVIII.

Munera non esse recipienda.

Ex Capite VIII. Regulæ.

Si inter vos contentiones, & murmura oriuntur &c.

Discursus LIX.

Quod murmuratio etiam sanctos infestet.

Discursus LX.

Impatientiam apparere fœdiorem, si patientiæ conferatur.

Ex Capite IX. Regulæ.

Lavacrum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minime denegetur.

Discursus LXI.

Lavacra spiritualia esse frequentanda.

Discursus LXII.

De execrando murmurationis vitio.

Ex Capite IX. Regulæ.

Aliquando enim, etiamsi noceat, prodesse creditur quod delectat.

Discursus LXIII.

Voluptatem etiam, cùm placet ac demulcet, esse noxiam.

Ex Capite IX. Regulæ.

Lavacrum etiam corporis &c. fiat sine murmure de consilio Medicinæ.

Discursus LXIV.

Actiones nostras ex laudabili aliorum consilio suscipiendas esse.

Ex

Ex Capite IX. Regulæ.

Lavacrum corporis -- etiamsi nolit, jubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute: si autem velit, & forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur.

Discursus LXV.

Subdito indulgendum esse, quod prodest, non quod oblectat.

Ex Capite IX. Regulæ.

Si latens est dolor in corpore; famulo Dei dicenti, quod sibi doleat, sine dubitatione credatur.

Discursus LXVI.

Ex verbis nostris internum dignosci statum.

Discursus LXVII.

Veritatem dotem esse Religiosorum propriam.

Discursus LXVIII.

Quantopere Religiosos dedeceat mendacium.

Ex Capite X. Regulæ.

Lites aut nullas habeatis -- ne ira crescat in odium & trabem faciat de festuca.

Discursus LXIX.

Ex parvis initijs maxima sæpenumero mala provenire.

Discursus LXX.

Quam abominandæ sint lites inter Religiosos.

Ex

Ex Capite X. Regulæ.

Quicunque convitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocius curare quod fecit.

Discursus LXXI.

Proximum qui læsit, satisfacere ne gravetur.

Discursus LXXII.

Condonare injurias virtutem esse Divinam.

Discursus LXXIII.

Qui offensus est, reconciliari haud gravetur.

Ex Capite X. Regulæ.

Quando necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellit -- non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis.

Discursus LXXIV.

Non teneri Prælatum veniam petere à subditis, licet duritie excesserit.

Ex Capite XI. Regulæ.

Honore coram hominibus Prælatus sit vobis.

Discursus LXXV.

Prælatis reverentiam deberi.

Ex Capite XI. Regulæ.

Timore coram DEO substratus sit pedibus vestris, qui inter vos quantò in loco superiore, tanto in periculo majori versatur.

Discursus LXXVI.

Prælatos habere quod timeant.

Discursus

Ex Capite XI. Regulæ.

Disciplinam libens habeat, metuendus imponat.

Discursus LXXXV.

Prælatus ad observationem seriam disciplinæ vitamque religiosam subditos ducat suo exemplo.

Discursus LXXXVI.

Prælatus puniat delinquentes.

Ex Capite XI. Regulæ.

A vobis plus amari appetat, quàm timeri.

Discursus LXXXVII.

Prælatus in omnes benignus sit.

Ex Capite XI. Regulæ.

Non solum vestri, verum etiam ipsius miseremini.

Discursus LXXXVIII.

Quòd Prælatura plus oneris habeat quàm honoris.

Ex Capite XII. Regulæ.

Donet Dominus, ut observetis hæc omnia.

Discursus LXXXIX.

Cuncta Regulæ præcepta seriò observanda esse.

Ex Capite XII. Regulæ.

Donet Dominus ut observetis hæc omnia, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi in gratia constituti.

Discursus XC.

Lubenti animo, non repugnanter serviendum esse DEO.

Ex

Ex Capite XII. Regulæ.

Bono Christi odore de bonâ conversatione fragrantes.

Discursus XCI.

Bonum Nomen sollicitè custodiendum esse.

Discursus XCII.

Religiosus fragret exemplis Sanctitatis.

Discursus XCIII.

Affectus servilis à nobis exulet.

Discursus XCIV.

Religiosi frequentent opera superrogationis.

Ex Capite XII. Regulæ.

Ut autem vos in libello hoc tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatur, semel in septimanâ vobis legatur.

Discursus XCV.

Regulam S. P. Augustini speculum esse Religiosæ perfectionis.

Ex Capite XII. Regulæ.

Ubi inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium Largitori.

Discursus XCVI.

Omnia bona à DEO profluere.

Discursus CXVII.

DEO bonorum operum Auctori gratiam esse referendam.

Ex

Ex Capite XII. Regulæ.

Ubi quicunque vestrum viderit aliquid sibi deesse doleat de præterito, caveat de futuro.

Discursus XCVIII.

Justum à lapsu surgere vegetiorem.

Discursus XCIX.

Pœnitudine resarciri damna elapsæ vitæ.

Ex Capite XII. Regulæ.

Orans, ut sibi debitum dimittatur.

Discursus C.

Oratione culparum veniam obtineri.




EX PROOEMIO REGULÆ:

Ante omnia, Fratres Charissimi, diligatur DEUS, deinde proximus.

DISCURSUS I.

Amorem & Servitium DEI rebus omnibus esse anteponendum.



A Spectabilis hæc fabrica Mundi summâ DEI Sapientiâ, & Potentiâ infinitâ ex nihilo procreata, si penitiùs inspiciatur, Theatrum evadit omni admiratione dignissimum: Si enim prudentiores Architecti, & Opifices omnem nervum intendunt, quò sua opera in lucem producant; Ecce in principio Mundi omnia funestis horrebant tenebris: *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Gen. 1. v. 2. Fundamenta ædificiorum, si rationis normam sequimur, solidissima & immobilia nos stabilimus; at DEUS immensæ huic terrarum moli non aliud quæsivit sustentaculum, quàm fluxam aquarum instabilitatem: accinente Regio Prophetâ: *Firmavit terram super aquas*. Psal. 135. v. 6. Generatio herbarum & florum, plantarum ac fructuum haud dubiè perficitur virtute Planetarum, obstetricante potissimum calore Solis, nihilominus antequam coruscarent vaga illa cœli lumina, jam renitebant vestiti suis ornamentis colles & planities. *Protulit terra herbam virentem, lignum faciens fructum*. Gen. 1. v. 12. Quis non obstupescat, priusquam basis jaciatur, & erigantur muri, fabricari tectum? Certè D. Chrysostomus magnâ hujus rei capiebatur admiratione 1.

hom. 2. in Gen. inquiens: *Prius cœlum extendit, postea, & terram substernit, prius culmen, & postea fundamentum, quis tale quid vidit, quis audivit?* Verùm opera DEI recondita sunt ac mysterijs plena; nimirum si primò formavit cœlum, & postea terram, docere voluit, quâ ratione anima religiosa ac fidelis in cunctis actionibus suis primùm intendere debeat gloriam DEI, & postmodum temporalem proventum, prius inquirat bonum incommutabile ac æternum in cœlo; deinde negotia expediat terrena. Quod ipsum Servator quoque consuluit: *Quærite primùm regnum DEI ante omnia, & super omnia quærite regnum DEI.* Commentatur Henricus in Dominic. 14 Pentecost. consonat in proœmio Regulæ S.P. Aug. præcipiens: *Ante omnia, Fratres charissimi, diligatur DEUS, deinde proximus.* Quod argumentum esto præsentis Discursûs.

2. Palam est, Auctores etiam profanos, tum Græcos, tum Latinos, insigne hoc documentum probâsse: E Græcis *ab Jove incipiamus*, inquiebat Theocritus, *& in Jovem desinite Musa.* Pindarus quoque de Cantatricibus quibusdam contestatur, *canebant incipientes à Jove.* Pro Latinis Virgilij votum erat Ecclog. 3. *ab Jove principium Musa.* Et Ovid. *Ab Jove Musa parens carmina nostra move.* Quibus docemur omnes, & studia nostra, & alios labores inchoare ab invocatione DEI, & elevatione mentis ad Numen æternum. Unde Apollonius Thyanæus, cætera stolidus ac impius, Angelicam hanc sententiam scriptis consignavit: *Oportere rectè philosophantes adveniente aurorâ cum DEO versari, procedente die de DEO loqui, reliquum tempus humanis rebus, & Sermonibus dare.* q. d. Spiritum nostrum cum Sole exoriente elevari debere ad DEUM, Lumen indeficiens, proficiente die idem increatum Numen laudandum esse ac honorandum, & tum primùm curas Mundi suscipiendas: atque sedulò, quod isti docuere verbis, opere adimplevit Scipio Africanus, nullum, nec publicum, nec privatum opus aggressus, nisi priùs templum Jovis adijsset, & somniatam illius Deitatem pro adjutorio venerabundus invocasset. de quo Tit. Liv. l. 26. *nullo die priùs ullam publicam privatamque rem egit, quàm in Capitolium iret, ingressusque ædem consideret.*

3. Verùm aptiùs è Sacrâ paginâ res hæc elucidabitur. Consideratione dignum est, quod sexto die post cæteras primùm creaturas Dominus DEUS hominem condiderit, & die septimo proximè insequente quieverit, eundemque diem, largâ benedictione additâ, sanciverit festivum, ut, sepositis tantisper operibus mundanis, ipsum Numen fidelissimo coleretur obsequio. *Requievit die septimo ab universo opere quod patraverat, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, &c.* Gen. 2. v. 2. Obsecro, Auditores, cui bono requies isthæc? DEO glorioso sanè non prodest, utpote qui

nec

nec capax est defatigationis, nec indigus quietis: neque Adamo magnopere conducit: Is quippe præcedenti die creatus abundat succo Juvenili, viribusque vegetis nullâ violentiâ labefactatis, & cur dies hæc quieti deputatur? Sed videte rationem magni momenti; si enim loqui velimus de Domino DEO nostro, is, negotijs ita expeditis, sedit in Throno supremò Majestatis, velut Dominus debita sibi recepturus servitia. Si Adamum respiciamus; ille laboribus functus, confestim accurrit, Domino suo vivam devotamque servitutem consecraturus. Quo sensu Hugo Card: *requievit DEUS: id est, ratio mali creaturæ in se requiem dedit, ut illuc scilicet toto desiderio feramur, quò requiescamus.* Jam verò si primam, quam Protoplastus vixerat diem, applicuit ad DEUM cognoscendum, & colendum; discant illius exemplo posteri, suas operationes omnes inchoare à memoriâ, reverentiâ, & cultu Numinis. Quod profectò postulant verba Salvatoris: *Quærite primum regnum Dei, hoc est, ante omnia & super omnia quærite.*

Refert Evangelista Lucas, Redemptorem nostrum, posteaquam re- 4
tudit nescio cujus temerariam & arrogantem, quocunque pergeret eum sequendi præsumptionem, ad quempiam è circumstantibus conversum compellâsse his verbis: *Sequere me.* Luc 9. v. 59. At illi, tracto ex imo pectore suspirio, intercedere parati: O dilectissime Magister. Permitte, amabò, afflictum hunc filium priùs defuncto suo parenti ultimos sepulturæ honores impendere; *Permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum:* Cui Christus: Quid tu sepulturam præponis, quem loqueris Patrem? Nunquid vespillones desunt! Abi quantocyus, & posthabitis his curis, Mundo manifesta, regnum Altissimi appropinquâsse, *sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Mira profectò & perquam exotica videtur isthæc prohibitio; quid enim? Nunquid filius Dei dissuadere velit, ac vetare virtutem eam, quæ summo semper pretio habita est in terrâ, & in cœlò maximis encomijs celebrata? piissimum hoc sepeliendi mortuos officium, ait Albertus Magnus hoc loco, exercitum fuit à Patriarchis, obitum à Sanctis, collaudatum ab Angelis. *Hoc à Patriarchâ Joseph est observatum, à Sanctis est hoc institutum, hoc ab Angelis commendatum.* Joseph terræ mandavit Jacobum, & Spiritus Sanctus approbavit. Tobias sepelivit peregrinos, & Angelus Raphael applausit. Sacræ profanæque Historiæ Judam Machabæum laudibus ad cœlum extulêre, quod occisos in acie contumulaverit. Discipuli S. Joannis Baptistæ cadaver Magistri capite plexi tumulo intulerunt. Antonius M. Divum Paulum primum Eremicolam, zosimus Mariam Ægyptiacam, Bernardus fratrem suum Gerardum sepulturis affecerunt, Theodoricus

Rex Franciæ humeros suppoſuit ſacris Abbatis Theodorici exuvijs, Alphonſus Rex Neapolitanus impenſè ſuum quemdam inimicum quàm honorificentiſſimè humari curavit, Eutichianus Pontifex Maximus ultra 340. Martyres proprijs manibus ſepulturæ tradidit: Cœleſtes genij ſacram illam Palladem divam Virginem & Martyrem Catharinam exanimem ad montem Sinai ſolemnibus exequijs deportarunt. Quin DEUS ipſe Optimus Maximus Moyſen ſepelivit, & filius DEI, Patriarcharum ſerus nepos, Sanctorum Magiſter, Dominus Angelorum, diſertè id probibeat? *Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos.* An igitur adverſatur præceptum hoc ſenſui uſuique Sanctorum? abſit! dubium evaneſcet, ſi revocaverimus in memoriam rationem, propter quam idem DEUS, qui benigniſſimè Abelis victimas ſuſcepit, non ſine ſtomacho, quas Cain obtulit, repudiaverit, ne quidem aſpectu eas dignatus: *Ad Cain, & ad munera illius non reſpexit.* Gen. 4. v. 5. Ut eruant cauſam diſcriminis, varios & ingenioſos diſcurſus inſtituunt ſacri Interpretes, & complures in perverſo Caino defectus & ſcelera obſervant. Nobis in præſenti ſatis accomoda ſit animadverſio Philonis Judæi, qui notat Abelem non immolâſſe qualem qualem Agnum, ſed optimum, & primogenitum gregis. *Obtulit de primogenitis gregis:* Cainum verò non primogenitos vel optimos, ſed, nullâ ratione vel curâ delectûs habitâ aliquos tantùm fructus pro ſacrificio deſignâſſe. *Factum eſt, ut offerret Cain de fructibus terræ, cur de fructibus,* rogat eruditiſſimus Philo; & *non de primis fructibus offert primitias?* Sibique reſpondet: *Fortaſſe hanc ob cauſam, ut prima tum creaturæ det, ſecundarium honorem reddat Numini:* Cui ſubſcribit S. Ambroſ. lib. de Cain. c. 10. *Obtulit à fructibus terræ, & non à primis fructibus primitias DEO, hoc eſt primitias ſibi prius vendicare, DEO autem ſequentia deferre.* Nempe ſtolidè nimis, ac malignè partiebatur Cain agrorum fruges, utpote qui prius commoditati ſuæ conſulebat, dein aliquantillum conferebat DEO, priùs anxiè ſatagebat creaturæ, tum Creatori officium tribuebat, priùs appetitum proprium ſatiabat, poſtea pendebat Domino debitum gratitudinis, analecta frugum ad aram deferens. At ô ſtultum & impium hominis conſilium! DEUS ſupremus Dominus jure ſibi vendicat primum honorem, primam ſervitutem & reverentiam, iſte verò dare vult ordine præpoſtero, *primatum creaturæ ſecundarium honorem Numini.* Æquiſſimum proinde eſt, quòd hoſtiam ejus abominetur Dominus: *Ad Cain & ad munera illius non reſpexit.*

5. Unde jam liquidò conſtat, quàm ob rem juveni illi, qui, priusquam ſequeretur Dominum vocantem, Patrem mortuum terræ mandare voluit, non præbuerit liberum conſenſum Chriſtus; nimirum is perverſâ ſæculi prudentiâ poſtulans, *permitte mihi primum ire, & ſepelire Patrem meum,*

præposuit Patrem defunctum Patri æterno, corpus corruptibile animæ immortali, curam terrenam studio cœlesti, quod erat sanè imitari Cainum qui attribuit *primatum creaturæ, secundarium honorem reddebat Numini.* Hinc minimè adhæsit Christo, cùm prima, & præcipua cogitatio nostra tendere debeat ad serviendum DEO, ejusque gratiam obtinendam, & gloriam majorem procurandam, quo respiciens S. Ambr. in cat. aur. *quomodo,* inquiebat *paterni funeris sepultura prohibetur, nisi ut intelligat humana posthabenda divinis.* & S Petrus Chrysol. Serm. 19. *non pietatis obsequium negat, sed divinam præponit humanis affectibus servitutem:* Suam promeretur laudem pietas in defunctos, verùm *hoc ei non primum esse debuit, sed secundum, terrenus Pater cœlesti postponendus est Patri.* Atque hoc unum est, quod Dominus commendat, dum paternè omnes cohortatur: *quærite primum regnum DEI:* hoc est, *ante omnia, Fratres Charissimi, diligatur DEUS.*

Macti igitur virtute Religiosi, agite servi DEI, & quantò ardentiùs ei placere desideratis, tantò studiosius fugite indignam Caini partitionem, tum male sanam prædicti Juvenis oscitantiam & constanter primitias omnium affectuum, vestrorum discursuum, & operationum offerte divinæ Majestati. Quemadmodum stella piscis mirabiliter lucens & ardens à splendore nativo vitam exorditur: unde lemma illi adjectum: *à luce primordia ducit:* Ita vos operam date, ut quidquid inchoatis, divina luce præveniatur & illustretur. Audite parænesin B. Laurentij Justiniani l. de discip. *Omnes Christi servi, DEO placere cupientes primordia diei, & actionum conentur consecrare altissimo: prima vox, prima cogitatio, primus affectus divinam resonet laudem, ignitam ad DEUM dirigat Supplicationem.* Antequam studijs animum applicamus, DEO, ut tenebras dispellat, & intellectum lumine cœlestis Sapientiæ collustret, supplicemus, si urget communis quæpiam necessitas, foris tractandi negotia sæcularia. Monasterio corpus non efferamus, nisi mentem prius ad DEUM elevaverimus enixè flagitando, ut gressus ac operationes nostras dirigere ipse clementissimè dignetur: neque mensæ accumbamus. nisi postquam anima sursum intenta recogitaverit sustentationem, & alimenta vitæ promanare è paternâ providentiâ & munificâ liberalitate DEI, neque hoc labatur è memoriâ, dum corpus moderatè reficitur, quod S. P. Augustinus in regulâ docuit. *Non solum fauces sumant cibum, sed & aures esuriant DEI verbum.* 6.

Præcipue huic gnomæ adversabantur è diametro Filij Heli, homines ut omni flagitiorum genere infames, ita justissimâ Numinis eò graviori, quò tardiori vindictâ memorabiles. Sacra pagina eos appellat diabolicos: 7.

Filij Heli Filij Belial, hoc est, *impij*, ut Pagninus exponit, vel ut septuaginta legunt, *pestes, corruptelæ, Filij pestilentes.* Nefarij, moribus corrupti, vitâ exitiales; Sanctuarium altissimi transmutarunt in lupanar, nec reverentia loci à procaci libidine, nec timor DEI à turpissimis cupiditatibus, nec offensa populi ab infami, & meretricio commercio avocare potuit. Rapiebant præterea carnes Sacrificiorum, non sine acerbâ indignatione Israëlitarum, quodque omnia eorum scelera excesserat, tametsi devotissimi quique offerentes magno ardore obtestarentur, placeret in sacrificio primam victimæ portionem DEO debitam & consecratam ponere in altari, acciperent bonâ pace postmodum ipsi quantum luberet. *Incendatur primum, juxta morem hodie, adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua:* Attamen sacrilegi, & indignissimi illi Mystæ, ut Rabinus levi annotavit, *Curabant prius suam mensam quàm altare Domini.* Majori sollicitudine suo aqualiculo providebant, quàm honori divino: priùs volebant suis desiderijs infrænitis affatim satisfacere, tum primum in altari cremare, quod offerebatur, quod scelus intolerabile erat & hominibus, & ipsi DEO. *Erat peccatum puerorum grande nimis.*

8. Hujusmodi calamitosum Statum deplorat, ni fallor, Propheta Joel, cùm c. 1. v. 12. scribit: *Confusum est gaudium à filijs hominum*: Heu quàm dissonum concentum, & dissolutam symphoniam percipio nonsolùm inter insulsos Mundi asseclas, sed etiam inter electos Sanctuarij ministros! *Confuderunt gaudium, seu non servaverunt ordinem gaudij filij hominum,* ait Rupertus Abbas, causam scire desideratis? *primùm enim, & principaliter gaudere debuerant in Domino, secundariò verò non in bonis, sed de bonis Domini.* At illi ordinem istum penitus immutarunt: effusi in largissimam exultationem propter divitias & delicias. Nullâ, vel certè exiguâ ratione habitâ solatij, quod infinita DEI bonitas communicare solet animæ fideli. Quis ambigat hos homines esse prototypon illorum religiosorum, qui ardorem ingentem præseferunt in satiando appetitu humano, & summopere larguent in observationibus claustralibus implendis, qui summè invigilant commoditatibus terrenis, in obsequijs Creatoris facilè obdormiscunt, qui omnem nervum intendunt, ad illustrandum scientijs intellectum, & negligunt actus pietatis, quibus affectus convalescat, sed *heus tu*, interpellat S. Ambrosius Serm. 19. in Psal. 118. hujus farinæ religiosos: *Quamdiu te Somnus? quamdiu te Sæcularia tenent? divide saltem DEO & sæculo tempora tua:* Quandoquidem è carne, & Spiritu coagmentatus es, utrique abunde satisfacies, si animam corpori, cœlum terræ, obsequia DEI vanitatibus, & curis sæculi anteponas: quocirca *manè festina ad Ecclesias*, ad chorum, ad laudes divinas, ad amabilissimum DEUM;


defer

defer primitias pij voti, & postea, si vocat sæcularis necessitas, non excluderis dicere: prævenerunt oculi mei manè meditari verba tua.

Nobile ingenium effingi aquilam curavit, quæ oculis in Sole nascente defixis hæreret, ac splendidissimi astri radijs oblectaretur, cum Epigraphe: *Cibo potiori prius.* Innuere volebat, quod priusquam vel ad volatum sese excitaret, vel ad prædam se conferret, prodigiosâ Solis claritate se recrearet. Haud absimile sit studium uniuscujusque nostrûm, indies primi nostri affectus ante quævis alia objecta ad DEUM convertantur, lingua, priusquam Sermonem cum hominibus misceat, in divinas laudes solvatur. Et primi gressus tendant directè ad domum DEI, quod Sancta Mater suggerit in matutino feria secunda. 9.

Te lingua primùm concinat
Te mentis ardor ambiat
Ut actuum sequentium
Tu Sanctè sis exordium.

Quâ in re egregiè nobis præluxerunt suis exemplis S. Thomas Aquinas, qui primùm imagini Redemptoris è cruce pendentis genibus advolutus ardentissimè oravit, tum exedram conscendit & angelicâ felicitate docuit, & difficillimas quæstiones enodavit; beatus Amadæus Dux Sabaudiæ, qui teste Cardin. Bellarmin. de offic. Princ. *Initium operum suorum semper ab oratione ducebat*; Ferdinandus secundus gloriosæ memoriæ Imperator, cui, referente Lamormain de virtut. Ferd. c. 5. in Sancto more positum fuit, singulos dies ab Invocatione adorandæ Sanctissimæ Trinitatis auspicari, nec cubiculum egredi, nisi aliquoties prius Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem recitâsset, atque in memoriam quinque vulnerum JESU salutis nostræ vindicis unici, quinque oscula terræ fixisset. Sed quoniam fragilitas nostra è luto compacta, infelici suo pondere identidem ad terram incurvatur, Tu, Maximum Numen, rerum omnium principium & finis, fortiter gratiâ tuâ nobis assiste, conforta, dirige, *ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.* 10.



Ex

Ex

PROOEMIO REGULÆ,

Ante omnia, Fratres Chariſſimi, diligatur DEUS, deinde proximus.

Amori DEI adjungendum eſſe amorem Proximi.

DISCURSUS II.

11. INterior illa paſſio, amorem loquor, tantâ vi quandoque inſidet viſceribus, ut diram etiam tyrannidem exerceat; cor & ſanguinem inflammat, noſtraſque affectiones cæteras, ferocis Leonis inſtar, ſubigit, neque vinculum ullum ſufferre poteſt: hinc ſapienter quidam pronuntiavit: Amor ſocium reſpuit, ſolus eſſe concupiſcit: & Richardus de Sancto Victore. l.4. contemp. c. 14. *Amor ſingularis conſortem non recipit, Socium non admittit.* Eſto habeat homo ſuapte naturâ Cor prægrande, nunquam tamen commodè recipiet duos amores: Quantumvis pallium expandat ſuorum affectuum, non capiet, nec ſatis cooperiet niſi amorem unicum, atteſtante ad hoc propoſitum Iſaiâ Prophetâ c.28.v.20. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat. Et pallium breve utrumq; operire non poteſt.* Verùm tametſi ita comparatus ſit amor, minimè tamen impediet, quin geminatus ejuſmodi affectus tum Canonicorum Regularium, tum aliorum quorumlibet religioſorum ſinu foveri debeat, dicitur namque in prooemio Regulæ: *Ante omnia, Fratres Chariſſimi, diligatur DEUS:* En ſuſcitatum divinæ charitatis focum; *deinde proximus.* Ecce dilectionis fraternæ flammam, utrumque Sancta Eccleſia exoptat,

Flammeſcat igne charitas,
Accendat ardor proximos,

Conduplicatum hunc charitatis ardorem ſi placet, in præſenti jam expendemus, ſi ſalebroſam quampiam difficultatem ex apparenti quorundam Sacri Codicis textuum antilogiâ complanavero.

Aman-

Amantissimus Salvator noster, à nescio quo maligno legis Docto- 12.
re interrogatus subdolè: Quodnam esset primum summumque in lege Moysaicâ præceptum, conformiter sexto Capiti Deuteronomij, absque tergiversatione respondit Matth. 22. 37. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ, hoc est maximum & primum mandatum.* Quæ verba Divus Chrysologus Serm. 141. interpretatur in hunc sensum: *Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit possideri, ut hominis mundani non haberet quod violaret affectus.* Et S.P. Aug: lib. 1. de Doctr. Christ. c. 22. *Cum toto corde, totâ animâ, totâ mente dicit, nullam vitæ nostræ partem dereliquit, quæ vacare debeat, ut aliâ re velit frui.* Quod si verò lex Moysis, ipseque Supremus Legislator totum cor, & animam, omnemque affectum disertè jubent soli Deo impendere ac consecrare, quomodo verbum Incarnatum primo illi præcepto vult individuo nexu hoc alterum adjungi: *Diliges proximum, sicut teipsum.* Matth. 22. v. 39. Et quasi, necdum satis cavisset, de novo præcipit, & iteratò inculcat: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joh. 15. v. 12. Quod si, inquam, cor totum, & omnes cogitationes Deo vindicantur, qualem particulam nostri etiam minutissimam insumere licebit ad proximum amandum? Explicabo istum Scripturæ locum, reflectens oculos ad propitiatorium in Exodo à Moyse descriptum: Ibi videre erat duos Cherubinos tam accuratè fabricatos, ut, cum opposita latera occuparent, & venerabundos Oculos in Sanctuario defigerent, facies tamen suas ad sese reciprocè converterent; *Utrumque latus propitiationis tegant expandentes alas suas, respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium.* Exod. 25. v. 21. Hærebis forsan, & oppones, si Cherubinorum oculi fixè intuentur Sanctuarium, planum Divinitatis Symbolum, quâ ratione se invicem aspiciunt? *Etsi mutuò versis vultibus se respiciunt, quo pacto pupillas ambo affigunt Sanctuario?* Res non vacat mysterio: Cherubini Deum intuebantur, simulque alter ad alterum respiciebat, ut appareret, amari Deum in proximo, & proximum in Deo. Unde S. Augustinus de perfectâ charitate loquens tract. 87. in Joan: *Hac diligimus invicem*, inquit, *hac diligimus Deum, neque enim verâ dilectione diligimus invicem, nisi diligentes Deum, diligit enim unusquisque suum proximum, tanquam seipsum, si diligit Deum, &c.* Petrus Cellensis ad Cherubinos se reflectens: *In mutuo respectu* ait. 1. p. Tabernac: *Fraterna dilectio, inverso vultu in propitiatorium humilis reverentia ad Creatorem nostrum intelligitur.* Quapropter mirum in modum concordant primum præceptum toto corde amandi Deum; Et secun-

 dum

dum medullitus proximum diligendi, cum gemini isti amores separari nequeant, adeoquè solidum, & firmissimum religiosæ perfectionis fundamentum jacitur, cùm in vestibulo regulæ præcipitur *diligatur DEUS, deinde proximus.*

13. Gloriam, regiamque magnificentiam Nabuchodonosoris scitè adumbrabat arbor adeo sublimis, ut superbum verticem cælo insereret, tam lata, ut super omnes terrarum provincias sese diffunderet, supra quam credi possit fertilis, ut Mundo universo mensam instrueret: ramis volucres cæli excipiens, & quadrupedia terræ sub felici umbrâ protegens: *Subter eam habitabunt animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres Cæli.* Dan: 7. v. 9. Per nobilissimam illam arborem, si dixero charitatem repræsentari, quid prohibeat? In cujus ramis nidos construunt aves, hoc est, affectus, qui desideriorum pennis sublati evolant ad amorem & obsequium Dei: Ita testatur S. Augustinus præfatione in Psal: 121. *Ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando*; At sub illam fugiunt cuncta animalia, in quantum illa proximo receptaculum, alimentum, & refrigerium lubens impertitur. Hæc eadem virtutum Regina elucet in scalâ Jacob. Gen. 28. v. 12. in quâ videre erat Angelos, & ascendere ad præstandum debitum divinæ Majestati obsequium, & descendere ad impendendum hominibus auxilium, ac defensionem, quasi tacitè annuntiarent omnibus: *Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus.* Adde, quod illâmet in scalâ varij gradus, aptissimè, dispositâ serie, cohæserint, tùm ad enitendum in sublime; tum ad benignam demissionem in opportunum subsidium proximorum. Scitè gloriatur, Sacra illa Sponsa, favoribus à dilecto suo sibi indultis, dicens: *Ordinavit in me charitatem.* Cant. 2. v. 3. Quippe, quæ modo majori, & majori perfectionis studio intenta, ad inveniendum Deum anhelabat: Modò gradatim, & benignissimè descendens beneficijs cumulabat proximum, in quem locum egregiè Cornelius à Lapide in 3. serm: *primò* inquit, *diligendus est Deus, deinde propter Deum anima propria, tertio proximus, iique suo gradu, & ordine. Primò enim diligendi sunt parentes corporales, & spirituales; deindè fratres, mox cognati, deinde cæteri homines.* Porro, si lubet intueri in cælesti Sponsâ impletum practicè, quod theoricè solùm eloqui videbatur; Audite quæso. *Inveni, quem diligit anima mea.* Cant: 3. v. 4. Quoniam succensa [illegible] charitate insectabar vestigia Dei, fortunata tandem inveni. [illegible] brachia contexui in catenam, tantoque fer[illegible] astrinxi: *Tenui eum nec dimittam*: Et pa[illegible] dilectione [illegible] ne [illegible]

ne proximi, illicò & animitus, omne bonum, quo gaudebam, transtuli solicita *in domum Genitricis meæ*, ubi & Mater, & Sorores, & Fratres, & Cognati, & tota familia particeps esse posset gratiæ Salvatoris, quæ animam illam charitate inflammaverat; ut scribit Aponius apud Cornel: à Lapid: in secundo sensu. *Exultantem Christum in domum matris inducit, & cæco Judæo & Gentili gratiæ donum veram humani generis redemptionem annuntiando. Christum renascentem in cubiculum Genitricis introducit.*

Hæc ipsa nî fallor, ignita fuêre desideria ab Elisæo Prophetâ expo- 14.
sita Eliæ, cùm jam jam tempus instaret: Quo raperetur in paradisum: *Obsecro, ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* 4.Reg.1. v.9. Ah! optime Magister, impetra, quæso, ut Spiritus ille, qui te ditabat, atque beabat; in me duplicetur: Quod sanè non poscebat quasi Spiritus divinus, suapte naturâ simplicissimus, in Elisæo ex duobus unus componeretur, sed quod geminato egeret fervore, ad reddendum Deo honorem debitum, & proximo suo auxilium opportunum, quemadmodum Venerabilis Gallfridus in allegorijs Tillmanni commentatur. *Ab Elisæo duplex, quem Elias habuerat, postulatur Spiritus, non quia in se ipso divisus est Spiritus. Sed quia in munere suo vel opere duplicatur. Unus est enim Spiritus, per quem charitas diffunditur, ea tamen in amorem Dei, & proximi derivatur.*

Quæ hactenus figuratè disseruimus, in luce veritatis, ipsoque ope- 15.
re apertiùs intelligentur. Conjicite tantùm, si placet, oculos in Abraham: Deus bene! quanto Numinis amore incaluit, ut immemor, se patrem esse, Sacerdotem, imò, si fas est dicere, carnificem induens, ad filium suum unicum in holocautoma manu propriâ immolandum accingeretur! Quantâ dilectione ferebatur in proximum, qui sub meridiem excubias agebat, ut peregrinos & advenas colligeret, ac refrigeraret, quà faciliùs iter suum absolverent. Attendite Paulum, vas illud electionis, usque adeo adhærentem Deo suo, ut palam se potius in illo, quàm in se vivere profiteretur. *Vivo ego jam, non ego, vivit verò in me Christus.* Gal.2. v.20. Eundem præterea intimo alios homines complectentem affectu: ut velut proprios filios amaret. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Gal.4. v.9. Martinus quoque totus ad Deum conversus aliud nihil cupiebat, nisi beatis illis frui amplexibus in cælo: Nihilominus paratum se offerebat in emolumentum creditarum [illegible] plures adhuc in terrâ perferendas miserias. Amor Dei [illegible] in pectore S.Philippi Nerei excitavit incendium, ut [illegible] [illegible] loco moveret, at animarum Zelus in [illegible] [illegible] privatisque exhortationibus [illegible]

cupatum plurimo sudore perfudit. Maria Magdalena de Pazzis, tanto igne divini amoris æstuabat, ut ei ferrendo ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur : Verùm tanto simul ardore, utilitati aliorum studebat, ut integras noctes insomnes duceret, ac laboraret, quò minueret onera Sororum, & infirmas adjuvaret. Augustinus denique Sagittas gestabat in pectore, de quo legimus : *Vulneraverat Charitas Christi Cor ejus*, idem tantâ benignitate pauperum indigentiæ subveniebat, ut in subsidium sacra vasa frangeret, ac impenderet.

16. Divina Providentia ut Mundum universum ad frugem reduceret, ac luce veritatis illustraret, ministros æternæ Salutis *misit binos illos ante faciem suam* ; Non singulos aut Solitarios, nempe, ut possent in casu necessitatis mutuum exhibere Consilium, solatium, auxilium, ut quilibet haberet testem operum suorum, & à quacunque etiam levi culpâ, & defectu absterreretur ; Ut majori Emphasi, & Auctoritate lex gratiæ promulgaretur, & veritas à duobus proposita firmiùs infigeretur animis populorum : Sed aliam hujus rei suspicatur rationem Gregorius Magnus hom. 17. in Evang: Videlicet Salvator Mundi, *misit illos binos, quia duo sunt, præcepta charitatis, Dei amor, & proximi, & minùs quam inter duos haberi charitas non potest.* Itaque Dominus ablegans discipulos conjunctos, etiam tacendo docuit charitatem, atque per numerum binarium ad amorem tùm Dei, tùm proximi fideles animavit, ut adeò legi gratiæ eadem ferè, quæ regulæ nostræ verba præfigi videantur : *Ante omnia, fratres Charissimi, diligatur Deus, deinde proximus.*

17. Cùm quidam legis Doctor Servatorem rogaret, quo pacto salutem consequi posset : *Quid faciendo vitam æternam possidebo ?* Luc. 10. v. 25. Reposuit Christus : *In lege quid scriptum est ? Quomodo legis ?* Et ille respondit : *Diliges Dominum Deum tuum, ex tota corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, &c. Et proximum tuum sicut teipsum.* Accommodè conclusit Filius Dei : *Rectè respondisti, hoc fac, & vives.* Quo loco notandum, hoc responso examussim satisfactum fuisse motæ quæstioni : *Quid faciendo* : Et Dominum subdidisse : *Hoc fac.* Minimè proindè sufficit, nosse integrum textum legis, illumvè vivâ in memoriâ tenere, vel scribere in chartâ, vel populis annuntiare ; Sed operatio exigitur, & alacre exercitium amoris Dei & proximi, ut æternæ vitæ capaces evadamus. Illud insuper non oscitanter transeundum est, quòd cùm gemina tradantur præcepta, unum de amando Deum : *Diliges Dominum Deum tuum*, alterum de proximo diligendo : *Et proximum tuum sicut teipsum* : Quæ sunt duo præcepta charitatis. Christus Dominus tamen

men loquatur, non tantum de duobus diversis objectis, sed velut de unâ, eademque re dicens: *Fac hoc, & vives.* Ut cognoscamus, verò amori Dei necessariò,& intimè admisceri amorem proximi,neque hunc perfectè amari posse, præterquam in Deo, & per utriusque associationem promoveri nos, ad beatæ vitæ æternitatem. Quapropter ô Religiose, si duo hæc præcepta ita in unum coalescunt, vides nequaquam te satis officio tuo facere, si nitaris,duntaxat animam Deo unire psallendo, orando, divinas laudes decantando, templo & altari serviendo, incruentam victimam offerendo, &c. Præter ista enim etiam proximus tuus in Deo, & propter Deum amandus est, quantumvis tibi molestum sit, affligat, sensuique tuo repugnet. Quoniam ambo præcepta per modum unius tibi injunguntur: *Hoc fac, & vives.*

Philippus Abbas animadvertens, in Apocalypsi glorioso cuidam Matronæ Sole vestitæ, accomodatas esse duas alas aquilæ, quarum ope avolare, insidijs draconis se subtrahere, atque in securum locum transferri posset: *Datæ sunt mulieri alæ duæ, aquilæ magnæ ut volaret, &c.* Apoc. 12. v. 14. Per duas has alas intelligit duplex præceptum charitatis Dei & proximi, sublevans animam ad æternam vitam: *Alæ binæ,* inquit lib: de silentio Clerior: c. 106. *Dilectio duplex accipitur, quo Deus & proximus juxta regulam præscriptam diligitur, &c.* Perquam apposité vocantur alæ Aquilæ, quia hæc assueta oculos in Sole figere, Symbolum est animæ amore Dei succensæ. Id quoque in more positum habet aquila, quod proprio sanguine pullos nutriat, aliisque avibus prædam communicet, quo præclarè exprimit amorem proximi. Quisquis autem in duabus his Virtutibus exercetur,alis quodammodo Aquilinis instructus, mirâ agilitate à terrâ sublimatur, & usque ad thronum Dei felicissimè evehitur. Nec frustra memoratur, duas alas fuisse adaptatas: Ad volatum namque ala una satis non est, unde rectè subscripsit Academicus: *Non sufficit una.* Enimverò Religiosus, qui uni amori,& servitio Dei,ut ipse quidem sibi persuadet, intentus, negligit amorem proximi,limis, vel torvis oculis intuetur,ac nauseat,procul dubio non amat Deum; Quippe in proximo nostro expressam imaginem Dei agnoscimus: At verò Principem non amat, nec veneratur, qui effigiem illius odio prosequitur & aspernatur; Hinc apertè denuntiat S. Joannes: *Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere.* 1. Joh. 4 v. 20. Quapropter si duo isti affectus, indissolubili societate, velut Eurialus & Nisus conjuncti à se mutuo separari 18.

tari nequeant. Si Colossus charitatis innititur duplici huic basi, si geminæ istæ alæ requiruntur, quibus ad beatam mercedem efferamur, si *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 1.Joh.4.v.25. Conemur, quantum possumus, maximè ut *flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.* Audi meum, imo audi ô Religiose, & exequere consilium suggestum à bono JEsu in Apoc: c. 3. v. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum.* Compara quovis pretio, & posside charitatem, sub auro expressam, sed accensa sit illa, atque approbata: Accensa in visceribus, & intimo corde ardeat versus Deum. Probata luceat foris erga proximum: Suffragatur Laurentius Justinianus lib: de casto Connubio. c.21. inquiens: *Habeat utique necesse est, & intus ignem Divini amoris, & ardorem fraternæ dilectionis. Nec sufficit, ut diligas Deum sine proximo, vel ames proximum sine Deo.* Et quoniam amores isti *utique sibi cohærent, nec ab invicem dissjungi debent.* In DEO, & propter Deum ametur proximus, & in proximo diligatur Deus quò collimant verba S. Augustini: *Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus.*



Ex

PROOEMIO REGULÆ,

In unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo.

Religiosos debere esse Concordes.

DISCURSUS III.

19. HOrrida primo obtutu & monstrosa Chymera videri posset effigies illa trium humanorum corporum in unicum coagmentatorum, cui triplex facies erat, sena brachia obarmabant, & totidem crura molem fulcicebant: Veruntamen pensiculatiùs rem considerantibus subjiciebat præclaram imaginem felicis concordiæ, qua

qua tres coronati fratres in Hispaniis uniti, & hostiles insultus invicto robore propulsarunt, & summam quietem ac beatitatem regno conciliarunt. Quod nobilis, & erudita Musa Andreæ Alciati cecinit his versibus Embl. 40.

Ter geminos inter fuerat concordia fratres.
Tanta simul pietas, mutuus & unus amor
Invicti humanis, ut viribus ampla tenerent
Regna. Uno dicti nomine Gergonis.

Eodem verò prosperitas, quæ à consensu & amicâ unione Principum in provincias, & regna derivatur, etiam floret in religionibus,& Monasteriis, ubi famuli Dei reciprocâ quadam voluntatum conformitate, idem sentientes, & volentes vitam transigunt. Quod sanè M. Augustinus mox in perpulchro, sapientique regulæ, quæ genuina norma est vitæ Apostolicæ, Exordio intendit, communefaciens: *In unum estis congregati,ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo. Oportet enim subjungit glossa Hugonis Victorini, si in unum congregati sumus corporaliter, ut simul habitemus spiritualiter, non enim prodest, si nos contineat una domus, & separet diversa voluntas. Plus enim attendit Deus unitatem animi,quam loci.* Quod si verò nequiquam corpora in claustris adunantur,animabus in quascunque dissensiones fortè distractis, nostrarum partium erit, arctissimo corda, ac voluntates vinculo constringere, quò Deo placeat nostra servitus, & nobis in salutem consortium cedat Religiosum.

Et nemo inficias ibit, ad conservandam religiosam tranquillitatem 20.
ac pacem maximoperè summam esse necessariam, voluntatum, studiorum & sententiarum consensionem. Ita Salustius contra Catilin: *Idem velle, atque nolle eadem firma amicitia est.* Ita Seneca epist: 109. *Dulcissimum, honestissimumque est, idem velle, atque idem nolle.* Et Joan: Cassian: Collat: 16. c. 3. *In his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac voluntas, unum velle, atque nolle consistit.* Quodque tenerrimo affectu Philippenses flagitat Apostolus Philip. 2. v. 2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipsum sapientes*; Id S. Hilarius in Psal. 132. *ita exponit: Hoc Apostoli gaudium est, idipsum nos sapere amore eodem contineri, per unius sensus sententiam unanimes permanere.* Ego Divi Pauli mentem & ardens desiderium hac similitudine declarabo. Novimus corpus nostrum è diver-

Ex

PROOEMIO REGULÆ,

Ante omnia, Fratres Chariſſimi, diligatur DEUS, deinde proximus.

Amori DEI adjungendum eſſe amorem Proximi.

DISCURSUS II.

11. INterior illa paſſio, amorem loquor, tantâ vi quandoque inſidet viſceribus, ut diram etiam tyrannidem exerceat; cor & ſanguinem inflammat, noſtraſque affectiones cæteras, ferocis Leonis inſtar, ſubigit, neque vinculum ullum ſufferre poteſt: hinc ſapienter quidam pronuntiavit: Amor ſocium reſpuit, ſolus eſſe concupiſcit: & Richardus de Sancto Victore. l.4. contemp. c. 14. *Amor ſingularis conſortem non recipit, Socium non admittit.* Eſto habeat homo ſuapte naturâ Cor prægrande, nunquam tamen commodè recipiet duos amores: Quantumvis pallium expandat ſuorum affectuum, non capiet, nec ſatis coöperiet niſi amorem unicum, atteſtante ad hoc propoſitum Iſaiâ Prophetâ c.28.v.20. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat. Et pallium breve utrumq; operire non poteſt.* Verùm tametſi ita comparatus ſit amor, minimè tamen impediet, quin geminatus ejuſmodi affectus tum Canonicorum Regularium, tum aliorum quorumlibet religioſorum ſinu foveri debeat, dicitur namque in proœmio Regulæ: *Ante omnia, Fratres Chariſſimi, diligatur DEUS:* En ſuſcitatum divinæ charitatis focum; *deinde proximus.* Ecce dilectionis fraternæ flammam, utrumque Sancta Eccleſia exoptat.

Flammeſcat igne charitas,
Accendat ardor proximos,

Conduplicatum hunc charitatis ardorem ſi placet, in præſenti jam expendemus, ſi ſalebroſam quampiam difficultatem ex apparenti quorundam Sacri Codicis textuum antilogiâ complanavero.

Aman-

Amantissimus Salvator noster, à nescio quo maligno legis Docto- 12.
re interrogatus subdolè: Quodnam esset primum summumque in lege Moysaicâ præceptum, conformiter sexto Capiti Deuteronomij, absque tergiversatione respondit Matth. 22. 37. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ, hoc est maximum & primum mandatum.* Quæ verba Divus Chrysologus Serm. 141. interpretatur in hunc sensum: *Quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ, ita Dei amore voluit possideri, ut hominis mundani non haberet quod violaret affectus.* Et S.P. Aug: lib. 1. de Doctr. Christ. c. 22. *Cum toto corde, totâ animâ, totâ mente dicit, nullam vitæ nostræ partem dereliquit, quæ vacare debeat, ut aliâ re velit frui.* Quod si verò lex Moysis, ipseque Supremus Legislator totum cor, & animam, omnemque affectum disertè jubent soli Deo impendere ac consecrare, quomodo verbum Incarnatum primo illi præcepto vult individuo nexu hoc alterum adjungi: *Diliges proximum, sicut te ipsum.* Matth. 22. v. 39. Et quasi, necdum satis cavisset, de novo præcipit, & iteratò inculcat: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joh. 15. v. 12. Quod si, inquam, cor totum, & omnes cogitationes Deo vindicantur, qualem particulam nostri etiam minutissimam insumere licebit ad proximum amandum? Explicabo istum Scripturæ locum, reflectens oculos ad propitiatorium in Exodo à Moyse descriptum: Ibi videre erat duos Cherubinos tam accuratè fabricatos, ut, cum opposita latera occuparent, & venerabundos Oculos in Sanctuario defigerent, facies tamen suas ad sese reciprocè converterent; *Utrumque latus propitiationis tegant expandentes alas suas, respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium.* Exod. 25. v. 21. Hærebis forsan, & oppones, si Cherubinorum oculi fixè intuentur Sanctuarium, planum Divinitatis Symbolum, quâ ratione se invicem aspiciunt? *Etsi mutuò versis vultibus se respiciunt, quo pacto pupillas ambo affigunt Sanctuario?* Res non vacat mysterio: Cherubini Deum intuebantur, simulque alter ad alterum respiciebat, ut appareret, amari Deum in proximo, & proximum in Deo. Unde S. Augustinus de perfectâ charitate loquens tract. 87. in Joan: *Hac diligimus invicem,* inquit, *hac diligimus* Deum, *neque enim verâ dilectione diligimus invicem, nisi diligentes Deum, diligit enim unusquisque suum proximum, tanquam seipsum, si diligit Deum, &c.* Petrus Cellensis ad Cherubinos se reflectens: *In mutuo respectu* ait. 1. p. Tabernac: *Fraterna dilectio, inverso vultu in propitiatorium humilis reverentia ad Creatorem nostrum intelligitur.* Quapropter mirum in modum concordant primum præceptum toto corde amandi Deum; Et secun-

dum medullitus proximum diligendi, cum gemini isti amores separari nequeant, adeoquè solidum, & firmissimum religiosæ perfectionis fundamentum jacitur, cùm in vestibulo regulæ præcipitur *diligatur DEUS, deinde proximus.*

13. Gloriam, regiamque magnificentiam Nabuchodonosoris scitè adumbrabat arbor adeo sublimis, ut superbum verticem cælo insereret, tam lata, ut super omnes terrarum provincias sese diffunderet, supra quam credi possit fertilis, ut Mundo universo mensam instrueret: ramis volucres cæli excipiens, & quadrupedia terræ sub felici umbrâ protegens: *Subter eam habitabunt animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres Cæli.* Dan: 7. v. 9. Per nobilissimam illam arborem, si dixero charitatem repræsentari, quid prohibeat? In cujus ramis nidos construunt aves, hoc est, affectus, qui desideriorum pennis sublati evolant ad amorem & obsequium Dei: Ita testatur S. Augustinus præfatione in Psal: 121. *Ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando*; At sub illam fugiunt cuncta animalia, in quantum illa proximo receptaculum, alimentum, & refrigerium lubens impertitur. Hæc eadem virtutum Regina elucet in scalâ Jacob. Gen. 28. v. 12. in quâ videre erat Angelos, & ascendere ad præstandum debitum divinæ Majestati obsequium, & descendere ad impendendum hominibus auxilium, ac defensionem, quasi tacitè annuntiarent omnibus: *Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus.* Adde, quod illâmet in scalâ varij gradus, aptissimè, dispositâ serie, cohæserint, tùm ad enitendum in sublime; tum ad benignam demissionem in opportunum subsidium proximorum. Scitè gloriatur, Sacra illa Sponsa, favoribus à dilecto suo sibi indultis, dicens: *Ordinavit in me charitatem.* Cant. 2. v. 3. Quippe, quæ modo majori, & majori perfectionis studio intenta, ad inveniendum Deum anhelabat: Modò gradatim, & benignissimè descendens beneficijs cumulabat proximum, in quem locum egregiè Cornelius à Lapide in 3. serm: *primò*, inquit, *diligendus est Deus, deinde propter Deum anima propria, tertio proximus, iique suo gradu, & ordine. Primò enim diligendi sunt parentes corporales, & spirituales; deindè fratres, mox cognati, deinde cæteri homines.* Porro, si lubet intueri in cælesti Sponsâ impletum practicè, quod theoricè solùm eloqui videbatur; Audite quæso. *Inveni, quem diligit anima mea.* Cant. 3. v. 4. Quoniam succensis alis charitatis insectabar vestigia Dei, fortunata tandem inveni, & quid agerem? Brachia contexui in catenam, tantoque fervore, ac firmitate pectori astrinxi: *Tenui eum nec dimittam*: Et probè gnara amorem Dei velle copulari cum dilectio-

ne

ne proximi, illicò & animitus, omne bonum, quo gaudebam, transtuli solicita *in domum Genitricis meæ*, ubi & Mater, & Sorores, & Fratres, & Cognati, & tota familia particeps esse posset gratiæ Salvatoris, quæ animam illam charitate inflammaverat; ut scribit Aponius apud Cornel: à Lapid: in secundo sensu. *Exultantem Christum in domum matris inducit, & caco Judao & Gentili gratiæ donum veram humani generis redemptionem annuntiando. Christum renascentem in cubiculum Genitricis introducit.*

Hæc ipsa nî fallor, ignita fuêre desideria ab Elisæo Prophetâ exposita Eliæ, cùm jam jam tempus instaret: Quo raperetur in paradisum: *Obsecro, ut fiat in me duplex Spiritus tuus.* 4.Reg.1. v.9. Ah! optime Magister, impetra, quæso, ut Spiritus ille, qui te ditabat, atque beabat; in me duplicetur: Quod sanè non poscebat quasi Spiritus divinus, suapte naturâ simplicissimus, in Elisæo ex duobus unus componeretur, sed quod geminato egeret fervore, ad reddendum Deo honorem debitum, & proximo suo auxilium opportunum, quemadmodum Venerabilis Gallfridus in allegorijs Tillmanni commentatur. *Ab Elisao duplex, quem Elias habuerat, postulatur Spiritus, non quia in se ipso divisus est Spiritus. Sed quia in munere suo vel opere duplicatur. Unus est enim Spiritus, per quem charitas diffunditur, ea tamen in amorem Dei, & proximi derivatur.* 14.

Quæ hactenus figuratè disseruimus, in luce veritatis, ipsoque opere apertiùs intelligentur. Conjicite tantùm, si placet, oculos in Abraham: Deus bene! quanto Numinis amore incaluit, ut immemor, se patrem esse, Sacerdotem, imò, si fas est dicere, carnificem induens, ad filium suum unicum in holocautoma manu proriâ immolandum accingeretur! Quantâ dilectione ferebatur in proximum, qui sub meridiem excubias agebat, ut peregrinos & advenas colligeret, ac refrigeraret, quà faciliùs iter suum absolverent. Attendite Paulum, vas illud electionis, usque adeo adhærentem Deo suo, ut palam se potius in illo, quàm in se vivere profiteretur. *Vivo ego jam, non ego, vivit verò in me Christus.* Gal.2. v.20. Eundem præterea intimo alios homines complectentem affectu: ut velut proprios filios amaret. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Gal.4. v.9. Martinus quoque totus ad Deum conversus aliud nihil cupiebat, nisi beatis illis frui amplexibus in cælo: Nihilominus paratum se offerebat in emolumentum creditarum ovium ad plures adhuc in terrâ perferendas miserias. Amor Dei tam vehemens in pectore S.Philippi Nerei excitavit incendium, ut duas costas diffringeret, ac loco moveret, at animarum Zelus in excipiendis Confessionibus publicis, privatisque exhortationibus faciendis, diu noctuque oc- 15.

cupatum plurimo sudore perfudit. Maria Magdalena de Pazzis, tanto igne divini amoris æstuabat, ut ei ferrendo ingesta aqua pectus refrigerare cogeretur: Verùm tanto simul ardore, utilitati aliorum studebat, ut integras noctes insomnes duceret, ac laboraret, quò minueret onera Sororum, & infirmas adjuvaret. Augustinus denique Sagittas gestabat in pectore, de quo legimus: *Vulneraverat Charitas Christi Cor ejus*, idem tantâ benignitate pauperum indigentiæ subveniebat, ut in subsidium sacra vasa frangeret, ac impenderet.

16. Divina Providentia ut Mundum universum ad frugem reduceret, ac luce veritatis illustraret, ministros æternæ Salutis *misit binos illos ante faciem suam*; Non singulos aut Solitarios, nempe, ut possent in casu necessitatis mutuum exhibere Consilium, solatium, auxilium, ut quilibet haberet testem operum suorum, & à quacunque etiam levi culpâ, & defectu absterreretur; Ut majori Emphasi, & Auctoritate lex gratiæ promulgaretur, & veritas à duobus proposita firmiùs infigeretur animis populorum: Sed aliam hujus rei suspicatur rationem Gregorius Magnus hom. 17. in Evang: Videlicet Salvator Mundi, *misit illos binos, quia duo sunt, præcepta charitatis, Dei amor, & proximi, & minùs quam inter duos haberi charitas non potest.* Itaque Dominus ablegans discipulos conjunctos, etiam tacendo docuit charitatem, atque per numerum binarium ad amorem tùm Dei, tùm proximi fideles animavit, ut adeò legi gratiæ eadem ferè, quæ regulæ nostræ verba præfigi videantur: *Ante omnia, fratres Charissimi, diligatur Deus, deinde proximus.*

17. Cùm quidam legis Doctor Servatorem rogaret, quo pacto salutem consequi posset: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Luc. 10. v. 25. Reposuit Christus: *In lege quid scriptum est? Quomodo legis?* Et ille respondit: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, &c. Et proximum tuum sicut teipsum.* Accommodè conclusit Filius Dei: *Rectè respondisti, hoc fac, & vives.* Quo loco notandum, hoc responso examussim satisfactum fuisse motæ quæstioni: *Quid faciendo*: Et Dominum subdidisse: *Hoc fac.* Minimè proindè sufficit, nosse integrum textum legis, illumvè vivâ in memoriâ tenere, vel scribere in chartâ, vel populis annuntiare; Sed operatio exigitur, & alacre exercitium amoris Dei & proximi, ut æternæ vitæ capaces evadamus. Illud insuper non oscitanter transeundum est, quòd cùm gemina tradantur præcepta, unum de amando Deum: *Diliges Dominum Deum tuum*, alterum de proximo diligendo: *Et proximum tuum sicut teipsum*: Quæ sunt duo præcepta charitatis. Christus Dominus tamen

men loquatur, non tantum de duobus diversis objectis, sed velut de unâ, eademque te dicens: *Fac hoc, & vives.* Ut cognoscamus, verò amori Dei necessariò,& intimè admisceri amorem proximi,neque hunc perfectè amari posse, præterquam in Deo, & per utriusque associationem promoveri nos, ad beatæ vitæ æternitatem. Quapropter ô Religiose, si duo hæc præcepta ita in unum coalescunt, vides nequaquam te satis officio tuo facere, si nitaris,duntaxat animam Deo unire psallendo, orando, divinas laudes decantando, templo & altari serviendo, incruentam victimam offerendo, &c. Præter ista enim etiam proximus tuus in Deo, & propter Deum amandus est, quantumvis tibi molestum sit, affligat, sensuique tuo repugnet. Quoniam ambo præcepta per modum unius tibi injunguntur: *Hoc fac, & vives.*

Philippus Abbas animadvertens, in Apocalypsi glorioso cuidam 18.
Matronæ Sole vestitæ, accomodatas esse duas alas aquilæ, quarum ope avolare, insidijs draconis se subtrahere, atque in securum locum transferri posset: *Datæ sunt mulieri alæ duæ, aquilæ magnæ ut volaret, &c.* Apoc.12.v.14. Per duas has alas intelligit duplex præceptum charitatis Dei & proximi, sublevans animam ad æternam vitam: *Alæ binæ*, inquit lib: de silentio Cleriòr: c.106. *Dilectio duplex accipitur, quo Deus & proximus juxta regulam præscriptam diligitur, &c.* Perquam appositè vocantur alæ Aquilæ, quia hæc assueta oculos in Sole figere, Symbolum est animæ amore Dei succensæ. Id quoque in more positum habet aquila, quod proprio sanguine pullos nutriat, aliisque avibus prædam communicet, quo præclarè exprimit amorem proximi. Quisquis autem in duabus his Virtutibus exercetur,alis quodammodo Aquilinis instructus, mirâ agilitate à terrâ sublimatur, & usque ad thronum Dei felicissimè evehitur. Nec frustra memoratur, duas alas fuisse adaptatas: Ad volatum namque ala una satis non est, unde rectè subscripsit Academicus: *Non sufficit una.* Enimverò Religiosus, qui uni amori,& servitio Dei,ut ipse quidem sibi persuadet, intentus, negligit amorem proximi,limis, vel torvis oculis intuetur,ac nauseat,procul dubio non amat Deum; Quippe in proximo nostro expressam imaginem Dei agnoscimus: At verò Principem non amat, nec veneratur, qui effigiem illius odio prosequitur & aspernatur; Hinc apertè denuntiat S.Joannes: *Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere.* 1.Joh.4 v.20. Quapropter si duo isti affectus, indissolubili societate, velut Eurialus & Nisus conjuncti à se mutuo separari

tari nequeant. Si Colossus charitatis innititur duplici huic basi, si geminæ istæ alæ requiruntur, quibus ad beatam mercedem efferamur, *si hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* 1.Joh.4.v.25. Conemur, quantum possumus, maximè ut *flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.* Audi meum, imo audi ô Religiose, & exequere consilium suggestum à bono JEsu in Apoc: c. 3. v. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum.* Compara quovis pretio, & posside charitatem, sub auro expressam, sed accensa sit illa, atque approbata: Accensa in visceribus, & intimo corde ardeat versus Deum. Probata luceat foris erga proximum: Suffragatur Laurentius Justinianus lib: de casto Connubio. c.21. inquiens: *Habeat utique necesse est, & intus ignem Divini amoris, & ardorem fraternæ dilectionis. Nec sufficit, ut diligas Deum sine proximo, vel ames proximum sine Deo.* Et quoniam amores isti *utique sibi cohærent, nec ab invicem disjungi debent.* In DEO, & propter Deum ametur proximus, & in proximo diligatur Deus quò collimant verba S. Augustini: *Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus.*



Ex

PROOEMIO REGULÆ,

In unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo.

Religiosos debere esse Concordes.

DISCURSUS III.

19. HOrrida primo obtutu & monstrosa Chymera videri posset effigies illa trium humanorum corporum in unicum coagmentatorum, cui triplex facies erat, sena brachia obarmabant, & totidem crura molem fulciebant: Veruntamen pensiculatiùs rem considerantibus subjiciebat præclaram imaginem felicis concordiæ, qua

qua tres coronati fratres in Hispaniis uniti, & hostiles insultus invicto robore propulsarunt, & summam quietem ac beatitatem regno conciliârunt. Quod nobilis, & erudita Musa Andreæ Alciati cecinit his versibus Embl. 40.

Ter geminos inter fuerat concordia fratres.
Tanta simul pietas, mutuus & unus amor
Invicti humanis, ut viribus ampla tenerent
Regna. Uno dicti nomine Gergonis.

Eodem verò prosperitas, quæ à consensu & amicâ unione Principum in provincias, & regna derivatur, etiam floret in religionibus,& Monasteriis, ubi famuli Dei reciprocâ quadam voluntatum conformitate, idem sentientes, & volentes vitam transigunt. Quod sanè M. Augustinus mox in perpulchro, sapientique regulæ, quæ genuina norma est vitæ Apostolicæ, Exordio intendit, communefaciens: *In unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo. Oportet enim subjungit glossa Hugonis Victorini, si in unum congregati sumus corporaliter, ut simul habitemus spiritualiter, non enim prodest, si nos contineat una domus, & separet diversa voluntas. Plus enim attendit Deus unitatem animi, quam loci.* Quod si verò nequiquam corpora in claustris adunantur, animabus in quascunque dissensiones fortè distractis, nostrarum partium erit, arctissimo corda, ac voluntates vinculo constringere, quò Deo placeat nostra servitus, & nobis in salutem consortium cedat Religiosum.

Et nemo inficias ibit, ad conservandam religiosam tranquillitatem ac pacem maximoperè summam esse necessariam, voluntatum, studiorum & sententiarum consensionem. Ita Salustius contra Catilin: *Idem velle, atque nolle eadem firma amicitia est.* Ita Seneca epist: 109. *Dulcissimum, honestissimumque est, idem velle, atque idem nolle.* Et Joan: Cassian: Collat: 16. c. 3. *In his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac voluntas, unum velle, atque nolle consistit.* Quodque tenerrimo affectu Philippenses flagitat Apostolus Philip. 2. v. 2. *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes idipsum sapientes;* Id S. Hilarius in Psal. 132. *ita exponit: Hoc Apostoli gaudium est, idipsum nos sapere amore eodem contineri, per unius sensûs sententiam unanimes permanere.* Ego Divi Pauli mentem & ardens desiderium hac similitudine declarabo. Novimus corpus nostrum è 20.

diver-

diversis constare membris & partibus, quæ tamen omnes admirabili consensu in totius incolumitatem conspirant: Equidem oculus supremam stationem tenet, ac excubias agit pro microcosmo, manus ceu instrumentum instrumentorum necessitatibus occurrit, & indefessè subvenit, pedes infimo loco apprimè contenti molem corporis sustentant, & huc, illuc transferunt alternis passibus, quò vel voluntas imperat, vel necessitas compellit, sicut autem omnia hæc membra in corpore, ita exactè uniuntur, ut oculus in suâ locatus sede illuminet, ac dirigat; manus brachio juncta operetur: Simulque sumpta ad pulchritudinem, & functiones vitales concurrant, at verò oculus, manus, pes, si separentur à toto corpore in frusta, & cadaverosa evadunt membra, quod innuit Orator aureus, D. Petrus Chrysologus Serm. 131. *Habent quidem*, inquit, *singula membra proprium sui munus officij, quod tamen tunc implere poterunt, si connexa sibi, & compaginata perfecti corporis perveniant ad decorem.* Ita in Collegiis, Monasteriis, Canoniis, velut in corpore quodam mystico, si Religiosi suavi charitatis compagine colligantur, pacem & animorum concordiam sanctè colant, mirabilis elucet perfectio, atque, ut Chrysologus adjungit, *in salute, & honore integri corporis species est unitas membrorum*, è contra si pedes recalcitrent adversus caput, si manus impugnet oculum, si membra inferiora superioribus bellum moveant, tumultus & seditionem excitent, ejusmodi dissidium, calamitatem extremam & præsentissimam cladem corpori consciscet, quippe *in separatione viscerum est, fœda, lethalis, & horrenda pernicies.* Chrysol: ibi: Hinc Religiosi prudentes, quibus cordi est salus publica, & decor ordinis, pro virili *debent idem sapere, amore eodem contineri, per unius sensûs sententiam unanimes permanere.* Ita hortatur S. Augustinus: *Ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & Cor unum in Deo.*

21. Animalia illa Ezechiel: 1. currui ad promovendam Dei gloriam juncta, vivam referebant imaginem Religiosorum, qui puro Divinitatis obsequio sese consecratum eunt: Nomen Cherubini indebatur illis, utpote plenâ scientiâ imbutis, at Seraphini poterant jure indigitari, eò, quòd quaquà versum scintillas evibrarent exemplorum Sanctitatis: In tantum se movebant antrorsum, in quantum Spiritus Sanctus impellebat; Itaque in meliùs proficiebant, ut nunquam reverterentur, nec prensarent ampliùs, quod semel abdicaverant, quodquè magis mirêre, tametsi quodlibet monstraret quatuor facies, hominis, Leonis, Aquilæ ac vituli, nihilominus neque homo propriæ invigilabat commoditati, neque Leo ad sanguinolentas prædas anhelabat: Nec vitulus pinguis soli-

solicitabat pascua, nec denique ipsa aquilâ superbos præseferebat spiritus, sed omnia, unione prorsus stupendâ, beneficio alarum constringebatur: *nam iunctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum*: Ita absolutum in servitute Dei consensum demonstrabant: O præclarum prototypon Religiosorum, qui adunantur in claustris, è variis Mundi provinciis, naturæ propensionibus, diversis statuum conditionibus; quidam genio sæculari, â teneris unquiculis assuefacti, alii ad instar Leonis iram, & Martium furorem spirantes, alii ut vituli curis rusticis innutriti, alii more aquilarum â progenie ac indole altos spiritus, & fastum imperiosum nacti, omnes tamen, postquam suavi jugo Christi libera colla subdidêre, illicò tam arctè inter se vinciuntur, ut leo, abiectâ magnanimitate ac audaciâ, vitulus depulsâ stupidâ pigritiâ, homo, contemptis inclinationibus proprijs, & aguila, excussis superbiæ stimulis, *eandem charitatem habentes, unanimes, id ipsum sentientes, habitent in domo unâ & sit illis anima una, & cor unum in DEO.* Unde S. Ambrosius sese in exordium Psal. 48. v. 3. reflectens, ubi indiscriminatim Deus cives, & peregrinos, opulentos, & egenos vocat: *quique terrigenæ & filii hominum simul in unum dives & pauper*, sapienter discurrit: *Simul in unum divitis & pauperis vocatio facta, in quandam humilitatem, æqualitatemque nos provocat. Ut neque dives fastidiat in opem, neque diviti pauper invideat, sed utrumque sibi gratia una connectat.* Pariter Hugo â S. Victore scribit in regulæ textum, quem præ manibus habemus: *Ecce in unâ domo sumus, plures homines, diversi mores, diversa corda, diversæ animæ. Hæc omnia debes conjungere in unum, una intentio & amor unus in DEUM. Debemus ergo in hoc esse unius animi, & unius voluntatis, ut serviamus DEO, & ut diligamus eum ex toto Corde, & ex totâ animâ, &c.*

Sed oculos jam intueamur sanè prodigiosos, & pupillas cumprimis perspicaces, quibus veluti gemmis undique Thronus DEI (intellige sacratum claustrum) distinguitur, ut habetur Ezechielis 1. v. 18. *totum corpus oculis plenum*, quot namque Religiosi colliguntur in monasterio, tot renitentes appareant oculi, quales supra sæcularis pompæ fastigium elevati dignitate præeminent; oculi, qui suaptè naturâ sublimes contemplantur altissima, & res cœlestes, oculi illimes summâque munditie nitidi, qui pulverem quoque minutissimum, & sordes quascunque, solicite cavere debent: Oculi speciali Numinis providentiâ ac bonitate custoditi, oculi ad lumen præferendum accomodati, quo populi in viâ virtutum ac perfectionis dirigantur. Quod autem in oculis maximè ad intentionem nostram facit, natura instituit, ut gemini oculi unum, 22.

eundemque tenerent motum: quocunque spectat oculus dexter, in eandem partem versabitur sinister; neque alter cælum, alter poterit intueri terram, similis conformitas decet religiosos viros, ut eundem omnes præfigant scopum opinionum & affectuum, eâdemque animâ vivant. Quod optime quoque animadvertit S. Anselmus lib. simil. c. 63. *Sicut enim oculus unus verti non potest, quo non vertatur & alius, sed in eandem partem semper volvuntur, sic societas justorum nihil poterit velle diversum, sed eandem semper voluntatem habebit.*

23. Gilbertus Abbas versans locum illum Cant. 4. v. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum,* in malo granato amænissimam deprehendit effigiem concordiæ Regularibus colendæ. Attendite, inquit, & perspicite perfectam amabilemque unionem granis nobilissimi hujus fructûs familiarem: ceu vivi carbunculi elegandissimâ serie distributa coördinantur, amicè uniuntur, ac sese mutuò stringunt: numero quidem, non tamen colore differunt, vel sapore, rixas nesciunt, neque malicorio se concludi queruntur, nullâ vi exitum moliuntur, omni patientiâ ibi velut materno utero coarctantur, ut crederes, usurpare sibi Davidicum illud Psal. 132. v. 1. *Ecce quam bonum &, quam jucundum habitare fratres in unum.* Hoc insigni exemplo, ô Religiosi, discamus & nos invicem numero differre, non animo: regnet igitur, ac triumphet in sinu nostro suavis concordia, & ardens charitas, & non minus stringat mutuus amor, quam muri claustrales, ut tot visere liceat mala punica, quod occurrunt Religiosorum collegia, quibus jure applaudas. O vos felices, quia *in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una, & cor unum in DEO.* Subscribit quoque huic sensui Theodoretus his verbis: *per malum punicam charitas intelligitur, quandoquidem sub uno ejusdem mali cortice multa sunt grana, ita mutuo inter se conservata, ut se vicissim non comprimant, sed integra conserventur.* Qua de causâ pomo granato titulus Paradisi vendicatur: *Paradisus malorum punicorum,* quia florente inter Religiosos voluntatum concordiâ & unitate desideriorum in DEO, procul dubio simul felicitas viget paradisi, quod patheticè confirmat Divus Hieronymus, asseverans: *sine hac* (reciprocâ charitate) *Cœnobia sunt Quartana, habitatores sunt dæmones; cum hac sunt paradisus in terris, & in eis degentes sunt Angeli.*

24. Nulla unquam delebit ætas oblivione incendium Corinthi suscitatum, quod brevi temporis spatio, adeò violentè prædominabatur, ut totam urbem in ardentem fornacem inflammivomam Ætnam, vel infernum commutâsse videretur: grassabatur voracissimum Elementum

in

in palatia & templa, & passim per plateas fluebant rivi ex plumbo tectorum liquefacto, è stanno ædium, è cupro, argento, auro, quæ metalla tam multa & varia casus miscuit in pretiosissimæ notæ æs Corinthium: Sors longè felicior claustris obtingit, in quibus ardore sanctæ charitatis complura metalla coalescunt in æs fortius, quàm ut ullo hostili possit insultu edomari. Hebræi profectò cum Saul regni clavum teneret, ingentem Amonitarum exercitum usque ad internecionem delerunt, quia licet illi 330000. militum numerarent, atque in tres cohortes divisi essent, in acie tamen se gesserunt, *quasi vir unus* 1. Reg. 11. v. 7. Simili successu Judææ regnum Assyriorum repressit fastum, & superbiam confudit, quod totus populus unanimiter se opposuerit, & proprium pectus ut vallum quoddam insuperabile obiecerit: *Omnes uno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos. Judith.* 1. v. 11. Quis Apostolos Mundo tam despicatos in semetipsis hactenus, tam timidos, & inconstantes adeo firmavit, ut ære magis ac Adamante vim omnem repellerent, nisi flamma Spiritûs Sancti, & mirâ concordiâ? nam *erant omnes pariter in eodem loco.* Act. 2. v. 1. & rursum, *multitudinis credentium erant cor unum, & anima una* Act. 4. v. 32.


Videns Dominus Deus, ut refert sacra pagina Num. 11. quod Moyses famulus suus sub enormi pondere innumerabili populi oppressus, & languidus fatiscat, septuaginta viros elegit præ aliis ad manus Judicum habiles, ut junctis viribus & plenius satis fieret Israelitarum multitudini, & nimiis curis liberaretur Moyses, quem Deus ita alloquitur: *auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non solus graveris.* Num. 11. v. 17. 25.

Amatissimus DEUS immensum cumulum, & infinitum gratiarum thesaurum sinu complectitur; nec tamen inde Senatores hos & magistratus recens constitutos instruit, & locupletat, sed voluit in omnes derivari Spiritus dona, & charismata, quibus abundabant Moyses, ut omnes talentorum ejus, & optimorum munerum participes tantò arctiùs consentirent, & unanimiter justitiam administrarent populumque dirigerent, *& esset illis anima una, & cor unum cum Moyse, & cum DEO.*

Audiatur Petrus Dam. in libello gratissimo c. 141. *de Spiritu Moysi vires dedisse Dominus dicitur, ut & ordinatores, & ordinatos unum debere Spiritum habere perspicuum doceatur, quatenus Rectores Ecclesiæ nequaquam inter se diversa sentiant, unde schismata, & hæreses pestilentes emergant, sed unam omnes concorditer doceant, atque in unitate Spiritûs unanimiter vivant.*

Quod autem DEUS in judicibus synagogæ veteris tam solicitè quæsivit, dignetur renovare in Sacerdotibus Ecclesiæ suæ, ac Religiosis, ut velut carbones amoris igne succensi strictè copulentur, diuque feliciter conserventur, ut florum instar amicâ quadam colligatione corollam constituant in singulare religionis ornamentum, ut tanquam Stellæ in Galaxiâ seorsim parvulæ, unitim verò chatholicum cœlum miro splendore perfundant, ut evibrent claras & efficaces flammas in aliorum ædificationem, aut profectum, haud secus, quàm radii lucidi in speculo collecti, ut ceu tibiæ Pastorum, aut fistulæ organi concordi discordiâ auribus fidelium, Angelorum, & ipsius DEI gratissimam reddant symphoniam, intus verò conspirent more apum in alveari, de quibus dicitur: *labor omnibus unus.* Unde mirabili, & suavissimâ dulcedine gaudeant.

26. Quod Patientiæ speculum S. Job summâ gratitudine ad DEUM conversus profitebatur: *pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi*: Job. 10. v. 11. Id ego in morali sententiâ dixerim, esse nimirum grande beneficium DEI, quòd religiosæ familiæ corpus mysticum pelle exterioris ædificationis, & proborum exemplorum ambierit, carne humanitatis, comisque benignitatis, dignæ Religiosorum virtutis vestierit, ossibus constantiæ solidissimòque in divino officio fortitudinis corroborârit: ne autem ligamenta nervorum dèsint charitatis concordiæque, vinculo omnia membra stringantur: quare qui ejusmodi vitam vivunt Religiosi, maximo gaudio perfunduntur, jure persuasi possidere se pignus, & arrham æternæ beatitatis, & quiescere sub alis divinæ misericordiæ, quod allegoricè ibi Propheta insinuat: *nervis compegisti me.* Consequitur infallibiter: *vitam & misericordiam tribuisti mihi.*



LA

Ex

CAPITE I. REGULÆ,

Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia Communia.

Vitium Proprietatis deteſtabile eſſe Religioſis.

DISCURSUS IV.

THeatrum ſummæ Sapientiæ, & altiſſimorum dogmatum Scholam, meâ quidem opinione, Mundus hic exhibet, ubi minutiſſima quæque animalia, etiam tacendo nos erudiunt atque aſceticas gnomas ſubminiſtrant. 27.

Formicæ tantâ ſagacitate ac ſtudio grana colligentes, de quibus Academicus ait: *in commune comportant*, vitæ communis planum præſtiterunt exemplar. Plutarch. de ſolertiâ animali Apes examine copioſo effuſæ abſque jacturâ vel damno florum in hortis, & collibus amæniſſimas prædas agunt, & *nihil novêre, niſi commune.* Uti Plinius lib. 11. c. 5. teſtatur: canoræ & variegatæ volucres nequaquam ſibi privatim annonam congerunt, ſed communi menſæ, ut Divus Ambroſius l. 7. in Luc. c. 12. adnotavit, adhibentur â divinâ Providentiâ, & benigniſſimè ſimul paſcuntur. Quid commemorem innumera alia minima, & in ſpecie rudiora, ut palpantia, repentia, ſerpentia animalia? conſidera ſtatum naturæ, priusquam Protoparentis culpâ contaminabatur, & deprehendes; inquit Humbertus in regul. c. 14. quod *ante peccatum omnia erant communia.* Recolite auſpicium legis gratiæ, & legetis de aſſeclis primitivæ Chriſti Eccleſiæ: *erant* illis omnia communia. Tandem pariter in regno cœleſti, ubi, teſte venerabili Bedâ, *DEUS erit omnia in omnibus.* Animæ beatæ in communitate quadam feliciſſimâ, gaudiis perfruentur ineffabilibus ac infinitis. Quis miretur proinde tam ſtudioſam genuinæ felicitatis pro Religioſis ſuis indagatorem, prioribus mox regulæ ſuæ præceptionibus obligare ad Apoſtolicam vitæ communis rationem, ambobus, quod ajunt, brachiis amplectendam, adeo

ut ipsum quoque nomen *meum, tuum*, unde pullulat proprietatis affectus, ne quidem pronuntietur: *non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Non enim*, discurrit hoc loco Hugo Victorinus, *debemus aliquid habere proprium aut quidquam dicere meum, sed nostrum, omnia enim in communi debemus habere, & omnia communi nomine appellare.*

28. Enim verò inter præcipua religiosæ vitæ fundamenta collocandum esse abdicationem omnis dominii temporalis, exigentem ut nihil propriam habeamus & possideamus, Sed in communi vivamus, nemo inficias iverit, quòd si enim inclytus ille morum Magister Seneca eodem oculo bona aliorum velut sibi propria, & propria aspexit tanquam aliis communia: *Ego terras omnium tanquam meas videbo, meas tanquam omnium.* lib. de vit. beatâ. Quod si Doctores altùm conclamant: *quidquid aquirit monachus, acquirit monasterio*: Quod si Innocentius III. in SS. Canonibus cautè providit, ut *si quidpiam alcui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel Priori, vel Cellerario assignetur. cap.* cum de monast. de stat. mon. profectò verus Religiosus vel umbram horrebit proprietatis. Idem est sensus, & concors Patrum, vitæque Spiritualis Doctorum stat effatum. S. Pachomius: *Si fortè aliquid attulerit ciborum, quibus in Monasterio vesci licitum est, suscipere ipse non poterit, sed vocabit Janitores, & ille allata suscipiet, nihil horum ij, quibus allata sunt, suscipient.* n. 30. regul. Joannes Cassianus. l. 4. instit. c. 13. *ne verbo quidem*, ait, *audeat quis dicere aliquid suum, magnumque sit crimen ex ore monachi processisse, codicem meum, tabulas meas &c.* S. Isidorus in reg. c. 19. *Si quid à parentibus, vel extraneis munus cuilibet monacho fuerit directum in conventum fratrum redactum sit, ut, cui necesse erit, præbeatur.* S. P. Augustinus in reg c. 7. *si quis suis filiis, aut aliquà necessitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit præbeatur.*

Regulæ Carthusiensium jubent, *incorporari conventui eleemosinas, dona, xenia, & alia, quæ singularibus mittuntur.* Nostræ denique constitutiones p. 1. c. 8. decernunt: *nullus sine licentiâ sui superioris aliquid accipiat, aut teneat, licet à parentibus, vel amicis donatum, sive titulo Eleemosinæ aut alio titulo, sibi collatum, sive illud sit pecunia, sive vestis, sive quidquid aliud &c.* sed elucidemus veritatem hanc illustri loco è S. Matthæo.

29. Postulabant à Divò Petro ministri Cæsarei, utrum divinus Magister vellet tributum pendere; annuit ille, sed Christus, præmissâ decenti protestatione, quod filius DEI cùm esset, minimè adstringeretur vecti-

gal

gal persolvere hominibus, mandavit, ut vicarius suus mitteret hamum in mare, acceptoque, quem in ore piscis reperturus esset siclo, pro se, ipso, & Petro liberaliter satisfaceret: Matth. 17. v. 26. quid quæso causæ est, quod Dominus monetam illam non voluerit ex pusillo ærario, necessitati discipulorum destinato, sed è faucibus piscis depromi? forsan ut patefaceret dominari se mari, quod illico ad nutum offerret censum? Ita censuit Joann. Chrysost. homil. 59. in Matth. forsan ideò, quod Christus & Apostoli nullos in crumenâ nummos haberent, ut qui dudum omnes divitias abjecêre: ita videbatur Origeni homil. 3. in Matth. sed cumprimis appositè S. Hieronymus animadvertit in Matth. c. 17. argentum non defuisse collegio Apostolico; Cum notum sit Judam pecunias in loculis portâsse, attamen Christum nullâ ratione vel obolum voluisse sumere ex infausto illo marsupio, ne quispiam improperare posset, applicuisse ad usum proprium, quod erat in beneficium commune collectum, ac præparatum, *quod res pauperum in usus suos convertere nefas putavit, scilicet solvendo tributum.* Si verò DEUS supremus Monarcha, ne ditaretur subtrahendo vel unicum siclum marsupio, quod utilitati communi pauperis illius familiæ reservabatur, consulturus propriæ necessitati ad apertum miraculum confugit, qua fronte audebit Prælatus, vel œconomus, vel subditus invadere tenue collegii ærarium, expendendo, quod non potest dissipando, quod non debet, vanos cubiculo ornatus, corpori commoditates procurando, non sine magno abusu earum opum, quæ publico duntaxat bono erant impendendæ? certè negari non potest gravissimum esse hunc errorem, prægrandem temeritatem, & oppidò solemnem stultitiam.

E plagâ Gallilæi maris conscendamus in apicem montis Thaboræi, 30.
ubi rursum occurrent Petrus: vir ille Aquilinis oculis admirabilem, quo Christi facies Solis ad instar renituit, splendorem hauserat, continuò cor ejus innatare cœpit Pelago inexplicabilis suavitatis & dulcedinis. O deliciæ! exclamabat, O gaudia immensa! O Domine maneamus, hîc semper, maneamus? *bonum est nos hîc esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum Matth. 17.* Quid ergo? Sancti Evangelistæ produnt memoriæ, Petrum oblectamento illo ebrium, sibi non constitisse, ac mentis impotem, & ignarum, in ea verba prorupisse: *non enim sciebat, quid diceret* Marc. 9. v. 5. Profectò loquebatur imprudenter, inquit S. Basilius Selevius orat. 43. Qui tractabat æqualiter Dominum & famulos, filium DEI & filios hominum, Prælatum & subditos; *suam ipse socordiam arguit, cùm Domnum servis annumeraret, subjectos*

ctos pari honore cum Domino putavit esse. Quâ in re permagnum admisit errorem; decebat enim pro mensurâ dignitatis ac gradus, secernere gregem â Pastore, & â Pontifice summo ministros inferiores ac vasallos. Erravit crasse, ait D. Hieronymus, designans quippe tria tabernacula, separare voluit Christum â Moyse, Moysen ab Elia, Eliam ab ambobus, cùm ex opposito debuisset uno eodemquæ tabernaculo cum Incarnatâ sapientiâ excipere legem ac Prophetas. *Erras Petre! nescis quid dicas, non [illegible] quærere, cum sit tabernaculum Evangelii, in quo lex, & Propheta recipiendi sunt.*

Ut ubi â filiis hujus sæculi propriæ commodatis apprime studiosis rerum divisio invecta est, â Religiosis concordia multorum, & communitas bonorum pro virili stabiliatur, applaudente Regio Psalte: *Ecce quam bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Ps. 132. v. 1. & S. Luca Act. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, & erant illis omnia communia.* Verum impegit, quantum ad præsens attinet, S. Petrus, quod particeps factus pretiosi luminis è gloriosâ facie Salvatoris evibriati, voluerit vendicare proprio gustui totum illud infinitum bonum, quod omnibus justis â supremâ Nùminis providentiâ, & clementiâ præparatum erat, & quemadmodum, scribit Bernard. serm. ad frat. de monte Dei: *Visâ Dei Majestate commune bonum intra privatum suum sibi sus est conclusisse, & quo omnes frui debebant, ipse solus frui volebat.* Quod erat ad vivum exprimere perversitatem observandam in Religionum Prælatis ac ministris proprietariis, qui facultates â monasterio possessas, cum discretè oporteret dispensare, sibi solis imputenter arrogant, *commune bonum intra privatum suum amant concludere, & quo omnes frui deberent, ipsi soli frui volunt,*: Quo sanè casu, dum pauper subditus magnâ rerum penuriâ, & necessitate premitur, Prælatus & Oeconomus abundant, & deliciis affluunt, atque ita, ut S. Paulus conqueritur 1. Corinth. 11. v. 21. *Alius quidem esurit, alias autem ebrius est.*

31. Quamvis dissimulare nolim, errorem Petri quatantenus veniam mereri, quòd collimarit in DEUM, finem ultimum, perpetuâ felicitate possidendum: at Religiosus malus, dum vetitæ rerum proprietati inhiat, DEI, divinæque gratiæ incapax evadit ac indignus. Cûm Sanctis Apostolis gravissimus ob imminentem Domini passionem terror incumberet, Christus ita iis præsagiit: O chara capita, ecce *hora jam venit, ut dispergammini unus quisque in propria, & me solùm relinquatis.*

Vos qui magno pietatis sensu lateri meo hactenus adhæsistis, timore

more correpti, hac illac elabemini, ſalutem propriam in latebris quæſituri, me verò Dominum, & Magiſtrum veſtrum pro derelicto habebitis, unde, ut S. Pontifex Sixtus. I. de divitijs adnotat, *intelligi datur, ſequentium eſſe, ſua contemnere, ad ſuum (hoc eſt, ad propria) remeare deſerentium.* Quemadmodum enim fideles res proprias miſſas faciendo expediuntur ad promptam, facilemque Chriſti imitationem ac fruitionem. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, Matth. 19. v. 27. Ita ex adverſo Religioſi, proprietatis affectui impliciti miſerum in modum deſerunt illum ac amittunt.

Nomine cujusvis perfecti Religioſi graviter David enuntiat: *Pars mea DEUS* Pſ. 72. v. 26. q. d. pace meâ ſtudeant alii avaritiæ æſtro percíti, accumulandis nummis, & aurum, argentumque in ciſtis cöacervent, tripudient alii, ſi copioſos greges, & armenta in pratis numerent; protendant alii latifundia, & ditiones ditionibus adjiciant: deſudent alii in obtinendis honoribus & ſpecioſis juxta ac fructuoſis titulis: fatigentur alii in opibus, mercimoniâ bellòve periculoſo comparandis, ſervus Dei non aliud reſpiciat, nec ambiat, quàm ipſum DEUM, ſanctamque illius gratiam. *Pars mea DEUS.* Nec poteſt cor humanum ſervire DEO ſimul, & mammonæ, neque fas eſt, conjungi Chriſtum, & Belial: lucis jucunditas exulat, ubicunque prædominantur tenebræ: Quisquis igitur Religioſus ſincerè deſiderat hæreditatem DEI, extra DEUM nihil penitus poſſidere neceſſe eſt, & cor manusque abſtinere â quavis proprietatis ſpecie, quam Mundus impoſtor propinat. *Vivendo ſine proprio uſque ad mortem.* Conſentit Hugo Victorinus in regul. hic. *Si volumus hæreditatem poſſidere DEUM, nihil debemus habere extra Deum*, & ſubjicit cautelam memoriâ cumprimis dignam, nempe: *Si quippiam aliud quærimus v. g. aurum, argentum, poſſeſſiones, cum iſtis partibus pars fieri Dominus dedignatur.* Et dudum antea S. Hieronymus Ep ad Nepotian: *Qui cum Prophetâ dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt; quod ſi quippiam aliud habuerit præter Doninum, pars ejus non erit Dominus.* Sed *pars ejus* erit reatus maximæ culpæ, ac ſevera, juſtiſſima tamen tam acriter interdictæ proprietatis caſtigatio. 32.

Expugnatio Jeruhuntina ſingulari favore â Domino exercituum Iſraëlitis indulta, ſiquæ alia in ſacris litteris eſt celebrata: quamvis autem dirigeretur â Joſue incomparabili illi Archiſtratego, quamvis Sacerdotes ſolo tubarum ſono auxiliares copias è cœlo acceſſerent, quàmvis elatus tantum populi jubilantis clamor fortiſſima propugnacula, & urbis mænia deijcerent: non defuêre tamen victoribus calamitoſa ſuſpiria, & 33.


ingens animorum conturbatio, funestam tragœdiam excitante Achan, qui cum totâ suâ miserabili domo foris à populo lapidibus oppressus. voracibus flammis traditus, & in cinerem ac favillam redactus est. Res mira! arietariâ machinâ opus non erat quatiendis muris, & toto impetu infelicem hanc familiam prosternit: ac si unicus carnifex impar esset supplicio irrogando, centum imò mille manibus ad internecionem deletur, jacetque cum ipso integra simul familia cineribus sepulta: Quæ culpa admissa? DEUS bone! miser ille excæcatus cupiditate, ausus est sibi arrogare ut proprium, quod obsequio Sanctuarii jam erat deputatum: tametsi spolia civitatis rigidissimâ prohibitione DEO reservarentur: *sit civitas hæc anathema, & omnia quæ in eâ sunt Domino.* Josue 6. v. 17. ipsaque hæc lex solenniter publicata esset. *Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt quippiam contingatis.* Achan nihilominus illectus rutilante colore pallii coccinei, auri, & argenti extendit rapaces manus, & incidit in falcem mortis, relicto posteris pro indelebili memoriâ, miserabili proprietatis exemplo. Heu! quis unquam credidisset, pallium illud vermium visceribus contextum, aliquando mutatum iri in vexillum fatale ac sanguineum? virgam auream evasuram ferream ad supplicium ultimum? siclos argenteos plumbo graviores adeò præcipitem casum acceleraturos? nimirùm infelix Achan, qui culpam Judæ prævertit subtrahendo communi ærario, & sibi soli applicando, quod minimè debebat, oppetere debuit mortem violentam, & longè miserrimam, ut Judas, & qui tetro adhærere maluit Plutoni, quàm DEO, ad umbras lethales sententiâ irrevocabili condemnatus ingemiscat!

34. Alieno hoc periculo, & exitio sapite, O proprietarii, atque ex nigrâ funestâque hac face lumen mutuate, quo teterrimas vestrarum culparum egrediamini cavernas. Nonne vos ærarium commune aliorum pietate constitutum expilastis ad exsatianda vestra iniquissima desideria, ut immemores DEI tot in pectore collocaretis idola, quot sunt injustæ ac execrabiles persuasiones? An igitur mente jam excidit, solenne votum ac juramentum, quo supra sacrum altare spopondistis, *vivere in communi & sine proprio usque ad mortem?* hujus tam sanctæ pollicitationis obliti profectò ex quavis herbâ fasces colligabitis, & indies alimenta æterni vestri incendii augebitis. Nonne ipsæ bestiæ agrorum, mugitû, & palatû dolorem suum contestantur, quod illegitimè possideantur à vobis, vobis inquam, qui turpem inuritis notam dignitati vestræ, *regale Sacerdotium.* 1. Pet. 2. v. 9. nuncupatæ, dum sordescitis in vilissimis curis, & vos ipsos exuitis inter armenta, & bubulcos? nonne in

exigendo

exingendo telonio, quod Matthæus missum fecerat, succenturietur Joannes, vel Jacobus? absit? neque enim prædia, quæ aliis sunt materia lasciviæ, vobis afferent emolumentum, nec ex vineis perperam possessis colligetis nisi labruscas, fodicantis, & acerbissimæ synteresεos, & incolæ sanctæ civitatis Jerusalem, ac domus Dei cùm sitis, mavultis commigrare in fumosas Ægypti casas & Babylonem, scandalis, & omnium rerum confusione infamem.

Animum saltem subeant districtæ pœnæ, quas multoties dedêre proprietarii, ut aliorum interitus vestra sit instructio, & horreatis premere vestigia, quorum exitum reformitatis. Si gloriosus Franciscus Xaverius, ut habetur in theatro R. f. 167. Socium quemdam mulctavit exilio, in quo deprehendit proprietatis umbram, si Antonius magnus ille Abbas, & Eremicolarum Parens in Ægypto, miro successu disposuit, ut proprietarius nonnemo, & unguibus vulturum, & canum dentibus dilaniaretur: Si alius infortunatus Monachus, ut testis est divus Hieronymus, hujus culpæ ergò dæmonum tormentis subditus fuit, si Albertus magnus ex præscripto sacrorum canonum quemdam ex suis Religiosis, ut vocant conversum, hujus delicti convictum rursus exhumatum Eccesiasticâ privavit sepulturâ: si denique constitutiones nostræ p. 2. c. 41. præcipiunt, *ut proprietarius tanquam voti transgressor acriter puniatur:* nos pestilentem hanc luem pro virili abominemur, & satagamus, ut vivendo in communi, nec aliud desiderando præter unicam Dei fruitionem accenseri mereamur beatis illis, qui *nihil habentes* proprii in hoc sæculo, erunt *omnia possidentes* in regno æterno cœlorum. 35.



Ex

CAPITE I. REGULÆ

Distribuatur unicuique vestrûm à Præposito vestro, victus, & tegumentum.

Alimenta, & Indumenta subditis esse subministranda.

DISCURSUS V.

36. TAnto furore grassabatur efferata rabies Decii, & Valeriani in Christianos, ut innumeri, nî prodi vellent, ac pessum ire, cogerentur, attoniti & trementes sese subducere conspectui hominum, urbes fugere, ac asylum in vastis Eremis & tesquis inhospitis rimari. Ex iis præ aliis memoratu dignus est Paulus, qui annos 15. natus desertum locum securitatis causâ investigavit in Ægypto, reperit, & latuit usque ad annum ætatis 113. occupatus in solâ contemplatione rerum cœlestium, eo successu, ut primus sacrorũ Eremitarum haberetur Institutor, & exemplar. Tenebrosa quædam & præceps caverna præbuit illi habitaculũ, frequentes non minus, quàm ferventes preces refrigerium, palma fructûs in victum, & folia in amictũ ac iñocentiæ operimentum. Ita loquitur breviarium. 15. Jan. *Palmâ ei victum, & vestimentum præbente vixit ad 113 annum*: Quod autem palma illa præstitit Paulo, id muneris exhibere debet sollicitus Prælatus subditis, qui recepti sacris claustris vivunt toto spiritu consecrati divino obsequio, illorum indigentiæ subveniatur sedulò, nec corporalia denegentur subsidia iis, qui spiritualibus laboribus, orationis, meditationis, studiorum, vigiliarum, sacrificiorum &c. intendunt: Sed juxta dictamen regulæ: *distribuatur unicuique vestrûm à Præposito vestro victus, & tegumentum,* ut nempe, qui servit altari, de altari alatur. Hanc obligationem licet satis de se manifestam, cogito non nullis sacræ Scripturæ locis amplius illustrare discursu præsenti.

37. Haud ignoro, primos, tùm Græcos tùm Romanos Sapientes adstipulari

stipulari ac subscribere veritati huic unanimiter. Chilonis monitum erat, *ut sua quisque domui praesset, primam enim curam debemus familiaribus.* Läert. lib. 1. Pittacus dicere solebat: *Optime constitutam esse domum, cui superfluum nihil abundet, & necessarium nihil desit.* Eodem animi sensuM. Cato rogatus, *quid maximè in re familiari expediret:* reposuit *benè pascere:* cum urgeretur quid secundum? satis benè pascere; tandem quid tertium? conclusit: bene vestire. Sed scrutemur potius sacras Scripturas.

Varios erudita antiquitas posteris transmisit apologos, sed Primas facilè, sive sapientiam spectemus, sivè amænitatem vendicatis, qui 38.
Judic. 9. recitatur: *Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem.* In publicis his, plantarum comitiis, posteaquam dudum, cuinam arborum prærogativa, ac dignitas regalis deferrebatur, deliberatum fuit: pensatis cujusque meritis, ac virtutibus, tandem in olivam conspirarunt, cui dixêre: quandoquidem tibi non deest oleum, quo in regem ungeris: en sceptrum, & coronam, *impera nobis.* Cùm autem olea onus oblatum subire detrectaret, conversæ arbores ad ficum; Euge dicebant, quoniam lac benignitatis quaqua versum diffundis, quæ dos propria est Regum, ac Principum. *Veni, super nos accipere regnum.* At etiam ficu tantum honorem subterfugiente, accesserunt vitem, sub prætextu, quòd esset purpuræ coruscantis: *Veni, & impera nobis.* Non immeritò quis miretur electionem hujusmodi arborum: Quid enim? quare suffgragia non tulerunt in favorem lauri: quæ solâ umbrâ poterat â fulmine præservare immunes? aut Platini, quæ instructa tot scutis militaribus, quot foliis ornata protegeret ab insultu hostili? *mille clypei pendent ex eâ* Cant. 4. v. 4. aut excelsæ Populi, quæ super alias elevata *ferit sidera vertice?* quomodo quæso convenit purpuræ regiæ cum olivâ, cui pallor cinereus insidet? aut cùm ficu, cujus rami fragilitate summâ fatiscunt? cum vite distortâ, quæ alieno fulcro continuò eget? verùm ingenium arborum laudabit, quisquis accuratius perpenderit earum consilium: ad regiam dignitatem non steriles, foliis superbas, sed fructibus vacuas deligunt, sed fæcundas ac beneficas, ut Mundus intelligat dignitati Gubernantis annexam esse obligationem providendi subditis, de rebus necessariis, eumque, qui aliis *est præpositus*, teneri distribuere unicuique victum & tegumentum, ac paternè tueri.

Parum abludit â recitato libri Judicum apologo somnium vel visio Josephi; qui videbatur sibi cum fratribus laborare in aperto agro, & 39.
colligare maturas, & segetes albicantes in manipulos, cæterum in admirationem rapuit, quod manipuli fratrum in sig-

num reverentiæ, ac obsequii venerarentur proni manipulum, qui erectus Josephum repræsentabat, *vidi quasi consurgere manipulum meum, & stare; vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Gen. 37. v. 7. Mirabili hoc somnio Dominus Deus voluit delineare absolutam Ideam principis, qualem in Ægypto acturus esset Joseph, cui fratres sui submissè sese inclinare ac deprecari deberent. Optimè verò assumptus est manipulus Joseph in symbolum Principatûs, veri namque Principis nomen gerit, & manus implet, qui abundè suppeditat frumentum, quemadmodum ille non fratres duntaxat durissimâ fame vexatos, sed alios copiosissimi regni Ægypti incolas liberaliter pavit. Unde S. Augustinus opportunè: *adorant manipulum: per quem de famis periculo liberandi erant.* serm. 81. de temp.

Egregium documentum, quod promotus ad Prælaturam, parvo principatui similem, debeat fratribus, & subditis panem præbere ac alimenta, eâque ratione reverentiam, æstimationem ac adorationem sit reportaturus.

40. Hebræus Populus, cum ereptus vinculis Ægyptiacæ servitutis pretiosâ in deserto libertate frueretur, oblivisci tamen non poterat ollarum, & si Superis placet, lautitiarum, quas offerebat Ægyptus, idcirco intemperanter quiritari cæpit, imò etiam laxatis furoris habenis, nescio quæ Moysi duci suo minitari. O popule prorsus effrons & duræ cervicis! quid nectis querelas, & murmura? *vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus: scietisque, quod ego Dominus DEUS vester.* Exod. 16. v. 12. quod Sole in occasum vergente mensa vobis adornabitur, carnibus instructa, atque sub proximam auroram abundantia panis cœlestis conferetur, argumento erit, me pientissimum Dominum ac DEUM vestrum esse. Magnitudinem Dominii poterat DEUS luculenter demonstrare, quod eliserit, ac dissipárit adamantinas servitutis catenas, quod maris Erithræi procellas in firmissimos muros consolidaverit; fundumque illis transmutavèrit in amœnissimum pratum, & exercitum Ægyptiorum numero maximum, rabiè succensum armis tremendum, in abisso submerserit; at noluit alio, quod DEUS sit ac Dominus, comprobare testimonio, quàm quod alimenta, & cætera vitæ necessaria subsidia liberaliter impertierit. Itaque ubi Principes hujus sæculi auctoritatem & dominatum ostentant, subjectos populos despiciendo, affligendo, opprimendo, immania tributa exigendo, DEUS econtrà maximum Monarcham, & absolutum Dominum se ostendit, non auferendo subditis, quod possident, sed conferendo, quo indigent; non minuendo

minuendo facultates subditorum, sed necesitatibus eorum subveniendo, non emungendo lac & sanguinem, sed pascendo & recreando, quod ingeniosè advertit Oleaster hic in Exod. *Munus Domini est suis necessaria providere; considera quaeso, in quo se Dominum ostendat, non in donis auferendis, sed dandis, non in exigendo ministerio, sed in donis exhibendis.* Quod autem in magno DEO nostro interpres hic observat, convenit vos, ô Prælati, sedulò imitari: magnum enim erit, si fulgeatis nobilitate sanguinis, amicorum insignium copiâ, acie intellectûs, prudentiâ regiminis, at verò eximius erit character, & prærogativa sanè præclara, ne dicam Divina, si subditis ill s carnes, & panes porrigatis, quæ jure debentur, & in constitutionibus eorum sustentationi assignantur. Nolite igitur concreditos vobis Religiosos in angustias adducere, sed potiùs omni charitate, & generosâ quadam liberalitate necessitudini eorum consulite, & agnoscemini, ut pii Patres, dignique ministri ac æmulatores DEI munificentissimi.

Si David, ubi vix enuntiârat: *Dominus regit me:* Ps. 22. v. 1. continuò subjunxit, *in loco pascua ibi me collocavit;* Vos quoque, O Præsules, qui Rectores estis ac Directores Religiosorum, decet simul esse amantissimos Provisores: si Chirstus Redemptor noster, qui fideles suos appellavit pusillum gregem: *Nolite timere pusillus Grex.* Luc. 12. v. 32. mox vigilem, ac providum declaravit pastorem. *Ego sum pastor bonus.* Joan. 10. v. 11. vobis O Prælati, quos cura pastoralis premit, incumbit candido vestroReligiosoGregi de congruis ac opportunis providere pascuis, quod enim Princeps Pastorum Vicarius Christi omnibus superioribus injunxit: *Pascite, qui in vobis est, gregem DEI,* 1. Petri 1. v. 2. Vos arctiùs adstringit, ut sublevetis indigentiam vestrarum ovium triplici alimento, doctrinæ videlicet, exemplorum, & corporalis nutrimenti. Ita suggerit Hugo Cardin. in c. 6. Prov. *Prælatus tenetur subditis triplex dare pabulum, verbi, exempli, & temporalis subsidii.* Quo in genere mirificè præluxit S. P. Augustinus, qui charissimos suos Canonicos enutrivit pane ac melle cœlestis sapientiæ, ad heroicos virtutum progressus incitavit sanctissimo vitæ exemplo, necessit tibus corporalibus tàm promotâ liberalitate occurrit, ut Doctor Angelicus illum appellaret *dispensatorem strenuum,* atque ipsemet suis in regulâ disertis verbis præscriberet: *distribuatur unicuique vestrum à Præposito vestro victus & tegumentum.* 41.

Verùm ne diutiùs me cum victu detineam, etiam amictum consideremus: ad ista namque duo capita revocatur totum, quo Divus Paulus cumprimis moderatè limites humanæ necessitatis circumscribit: *habentes* 42.

tes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus. 1. Tim 6. v. 8. Quapropter Prælatus quilibet palmæ S. Pauli Eremitarum primipili haud absimilis victum & vestimentum suis subministrando promereri conetur palmam, & coronam religiosæ charitatis, ac imitari radios divinæ supereminentis prærogativæ.

43. Reprehensi Israëlitæ in extremis angustiis, desperatisque ærumnis, obtulerunt principatum nescio cui paulò melius constituto, his verbis: *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster.* Isaiæ 3 v. 6. ubi Septuaginta Interpretes adjungunt, *& cibus meus sub te sit.* Ille verò propriam inhabilitatem ad illos tantis calamitatibus exonerandos simpliciter, & candidè professus respondit: *non sum Medicus, & in domo meà non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi.* Jam verò si nota laudati Principis inde sumitur, quod aliis panem & vestimentum elargiatur, certè vos Prælati subditis *victum & tegumentum* præbendo, & quidem sine proprio dispendio, sed solum ex monasterii, cujus meri dispensatores estis ac ministeri, proventibus, omnes implebitis numeros, officii ac dignitatis vestræ, uti Doctissimus Forerius in eum Isaiæ locum discurrit: *Videant, qui aliis praeesse ambiunt, oportere eos domi habere, non sibi solis necessaria, sed quibus aliis in tempore subvenire possint. A Præsidentibus enim & Prælatis, veluti à penu refertissimo, petere debent subditi omnia humanæ vitæ subsidia, quo induti atque pasti, integrâque valetudine Domino vivant.* Quæ si accuratè ita mandaveritis executioni, eximiam laudem & applausum hominum, quin calculum etiam divinæ approbationis referetis.

44. Si minùs mihi, saltem Patriarchæ Jacobo fidem adhibete, qui molestissimo itinere lassus, & divinæ Misericordiæ supplex hoc iniit fœdus. Gen. 28. v. 20. *Si fuerit DEUS mecum, & custodierit me in viâ, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum &c.* ex istis, ait, indiciis colligam, Deum assistere mihi, meisque votis benignè annuere, si meæ protectioni jugiter invigilaverit, si panem & alimoniam non denegârit, si vestimenta & alia corporis subsidia indulserit, tunc enim verò ut Dominum submissè venerabor; atque ut DEO meo victimas, & holocautomata immolabo. Totum hoc pactum concinnè in probos superiores cadere potest, qui benevolè Religiosis subditis mensam congruam adornant, & vestitum opportunum distribuunt; hujusmodi enim Prælati diliguntur ut Patres, coluntur ut Principes, & propemodùm veluti Dii adorantur; veluti Dii inquam, divinæ enim Scripturæ mille locis repræsentant

sentant DEUM ut Monarcham supremum, prospicientem creaturis suis de alimentis ac indumentis. Legite, si placet sacram Genesin, & invenietis Protoparenti nostro â DEO cibum subministrari. *Ex omni ligno Paradisi comede.* Gen. 2. v. 16. & insuper vestitum: *fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas & induit eos.* Gen 3. v. 21. revisite S. Matthæum, & cognoscetis ex Sapientiâ Incarnatâ, alites largâ provisione â Deo ali, *respicite volatilia cæli &c. & Pater vester cælestis pascit illa.* Matth. 5. v. 26. nec flores camporum suis destitui vestimentis: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt &c. & Deus sic vestit.* v. 28. pensate parabolam filii prodigi, & nunquid grandævus parens effusissimo affectu contendit nuditatem reducis filii nobili veste cooperire? *Citò proferte stolam primam, & induite illum* Luc. 15. v. 22. nec lautæ refectionis obliviscitur, *adducite vitulum saginatum & occidite. & manducemus* v. 23. Ecce quam sollicite conjunguntur alimentum, & vestimentum hominis conservationi necessaria!

Observastis aliquando, Auditores, quàm frequenter titulus agni juxta ac ovis attribuatur Verbo Incarnato? Isaias anxiè ad incarnationem anhelans: *emitte agnum Domine*, exclamabat c. 16. v.; *Dominatorem terræ.* Idem Evangelicus Vates acerbissimam mæstissimamque mortem prædicens: *Sicut ovis*, inquit, *ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* c. 53. Baptista intendens digitum. *Ecce Agnus DEI*, dicebat Joannes. c 1. v. 29 & alter Joannes Apoc. 5. v. 12 testatur, quod sit *Agnus qui occisus est ab origine Mundi.* Constat equidem Christum nuncupari, tùm agnum, tùm ovem, ob suam singularem innocentiam, puritatem, munditiam, & inexpugnabilem patientiam, quâ sævissima tormenta, & ipsam pertulit necem, quin prorumperet in querelam aut lamentum: attamen non aberrabimus, si sustineamus, ideo etiam nomine agni & Ovis fuisse insignitum, quod nos benignissimè suis carnibus pascat, suo lacte potet, suâ lanâ vestiat, sanguine suo redimat, omni ratione fidelibus suis victum & vestitum procurans. Audi Bernard. S. 31. in cant. *bonus Pastor, qui animam suam dat pro ovibus suis: animam pro illis, carnem illis, illum in pretium, istam in cibum: res mira, ipse Pastor ipsa pascua est.* 45.

His ita discussis, ad vos jam converto sermonem, ô Religiosi subditi, & claudo sapientissimo Hugonis nostri â S. Victore discursu: quoniam Prælati indefessâ curâ laborant, ne vobis corporalis desit sustentatio, vestrarum sanè partium erit penitus in spiritualia incumbere studia Lectionis, Orationis, Contemplationis, impendendo vires omnes in ser- 46.

vitium templi, Chori & tabernaculi. Quoniam de altari pascimini, vestimini, & necessaria quæque accipitis; oppidò indecorum foret, altare â vobis deseri: *si vivimus de annonâ Christi, & justum est, ut laboremus in servitute Christi.* Hugo in hunc locum reg. ut igitur corona justitiæ, & merces retribuatur jure, solicitè laboremus, quæramus ardenter regnum Dei, applicentur omnes affectus nostri studio virtutum, religionis, & gloriæ divinæ, verbo: *primùm quærite regnum Dei, & justitiam ejus.* Luc. 12. v. 31. Et ne dubitemus, victum, vestitum, aliaque vitæ præsidia haud parcè oblatum iri. *& hæc omnia adjicientur vobis.*



Ex

CAPITE I.

Distribuatur unicuique vestrûm â Præposito vestro victus & tegumentum non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuique, prout cuique opus fuerit.

Subveniendum esse Necessitatibus subditorum.

DISCURSUS VI.

47. MOnumenta Veterum adeo scatent reconditâ doctrinâ, & licet unicum præsefetant in fronte titulum, omnijugam tamen complectatur disciplinam: quemadmodum enim, ut Seneca scribit, Ep. 108. *in eodem prato, bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam,* ita ex eruditis illis voluminibus colligere licet tùm flores amænissimæ eloquentiæ, tùm præcepta moralis Philosophiæ, tùm dictamina civilis Prudentiæ, ac regulas publicæ ac privatæ gubernationis, copia offertur, ut seligat pro lubitu, fructuque proprio, & sumat *quilibet apta sibi,* quod autem præstantissimis hisce libris summâ sapientiâ exaratis congruit: Idem Encomium Prælati prudentiâ & charitate religiosâ insignes ambiant: & ita se gerant, ut è vestiario

vestiario penuq; Monasterii subditi & famuli, ut inde tàm Canonici quàm conversi, tam sani quàm infirmi recipiant, *quilibet apta sibi*: distribuatur, non ut aularũ fert consuetudo cũ equisonibus, & mediastinis, determinatam singulis mensuram panis, vini, carniũ &c. admetiendo id, quod textui regulæ adversatur: *non æqualiter omnibus*, sed largiendo pro more primitivæ Ecclesiæ, *unicuique*, majoribus & minoribus v, alidis, ac valetudinariis, & reconvalescentibus, *prout cuique opus fuerit*. Ita pascatur jumentum, ne oneri succumbat, neve recalcitrare audeat: quod conformiter parænesi Hugonis Victorini pleniùs docere cogito: *sic servetur necessitas naturæ, ut abscindatur superfluitas concupiscentiæ.*

Nescio an securiùs fundamentum discursui meo suppetat, quàm quo nitebatur oratio Salomonis demississimè DEO oblata. *O mi Deus*, 48.
inquiebat ille, Prov. 30. v. 8. *mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria*: ne quæso permittas me constringi vinculis, & ergastulo extremæ paupertatis, quæ forsân præcipitem me ageret in barathrum desperationis: neque nimia circumfluat copia divitiarum, quæ fastum, arrogantiam, luxum, crapulam, & immodicam vivendi licentiam affricet, meis tamen necessitatibus remedium & cordi tranquillitatem indulge. Quod si verè *Initium vitæ hominis, aqua & panis, & vestimentum.* Eccl. 29. v. 28. Sub favorabili patrocinio mediocritatis neque propulsus in altum cum decumanis fluctibus ac tempestatibus præliabor, neque ad vada & brevia invectus periculosè hærebo, sed aspirante & carbasa implente, secundo vento mare præsentis sæculi felix trajiciam. Idem Theognidis erat votum, ut S. Basilius refert.

Non ego divitias, non opto magna, sed adsint
pauca, modo ut vivam lætus, & absque malis.

Eodem pacto prudens Prælatus Religiosis suis providendo secundum mensuram necessitatis, *prout cuique opus fuerit*, laudabiliter ita indigentiam sublevabit naturæ, ut prudenter amputet adversam virtuti scandalosamque redundantiam.

Desiderio Salomonis optimè consentiunt ritus Mosaicæ legis: ex- 49.
pressè enim Dominus indixit Moysi, ut ante Tabernaculum continuò in sacrâ mensâ prostarent panes præparati: *pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*, Exod. 25. v. 30. Causam mysterii agnoscere avetis? exponunt Philo, Lyranus, & S. Thomas, mensâ illâ designari bonitatem & providentiam Dei, qui mirabiliter ita disposuit, quò

 servis

servis suis Levitis ac Sacerdotibus necessaria nunquam deficeret alimonia. Audiamus Oleastrum hic: *voluit coram se semper panes habere, ut continuò nostræ indigentiæ memor esset, quemadmodum pia mater, frusta panis ante se ponit, ut parvulis frequenter egentibus subveniat.*

50 Neque opineris, mensam Religiosorum fore nimium parcam, si solis panibus oneretur, nam Deus etiam usque ad delicias suos amat. Protoplasto Adæ mensam varietate fructuum instruxit opiparam: *ex omni ligno paradisi comede.* Gen. 2. v. 16. Paulus Eremitarum Parens in horridâ solitudine pane, & dulcissimis palmæ dactylis alebatur: Filius DEI famelicis turbis dispensavit panem, *& ex piscibus quantum volebant.* Joan. 6. v. 11. Et in ultimâ cœnâ idem cum Discipulis & jam agnum paschalem manducavit. Eliæ, cum penes torrentem Carith exularet hominibus invisus, dapes non deerant, sed corvi attulerunt. *Panem & carnes manè & vesperi* 3. Reg. 17. v. 5. Judith in castra Assyriorum egressa pro commeatu secum portavit *& polentam, & palathas, & panes & caseum.* Isai mittens Davidem ad fratres suos sub signis Saulis militantes, *accipe*, ait, *fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes* 1. Reg. 17. v. 17. Abigail quoque ad recreandum David & commilitones non solum *tulit ducentos panes, & duos utres vini*, sed præterea *quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ*, 1 Reg. 28. v. 18. Abraham, egregium prudentis discretique Præsulis exemplar, tribus Angelis, quos Dei servos reputaverat, non tantùm apposuit *buccellam panis* Gen. 18. v. 5. Sed *tulit quoque butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis.* Quid plura? quod Ecclesiasticus c. 39. v. 31. asseveranter constituit: *Necessaria vitæ hominum, aqua, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum*; si accuratè in religiosis mensis observetur, *sic servatur necessitas naturæ ut ascindatur superfluitas concupiscentiæ.*

51. Relictis panibus Propositionis lustremus jam peras Apostolorum, testantur SS Evangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, Salvatorem nostrum, quum discipulos emisisset doctrinas Evangelicas promulgatum, *præcepisse eis, ne quid tollerent in viâ, non peram, non panem, neque in Zonâ æs* Marc. 6. v. 8. Verùm instante passionis tempore refert. S. Lucas, Dominum iisdem serio injunxisse, *qui habes sacculum, tollat, similiter & peram &c.* Luc. 22. v. 15 Quid dicemus ad hæc? qui prohibuit antea, ne discipuli pecunias vel alimonias in peris gestarent, jam ex adverso imperat, ut argento, & panibus probè instructi abirent: nunquid sibimet-ipsi contraria est divina Providentia? actionem eandem modo probat, modo improbat? nunquid Deus æterna veritas alicui subjacet transmutatio-

mutationi? absit! Verum tempora & circumstantiæ si varientur, apertiùs se Divina manifestat Providentia; cùm Apostoli iter facerent in Judæâ inter Patriotas, Contribules, & Amicos, sine terrenis subsidiis proficisci jubebantur; Quoniam eo casu charissimos suos ministros & filios Pater cœlestis interventu ejusmodi benevolorum hominum esset benignissimè nutriturus: at verò quando necesse fuit fugere persecutiones, exules & invisos Judæam deserere, barbaras adire nationes, tum enimverò Divinus Pastor consuluit, & instigavit, ut secum necessaria deportarent, & in quocunque eventu penuriam summam depulsarent, sed *unicuique, prout cuique opus erat tribueretur*. Quod animadvertens Venerabilis Beda in Lucam de Bono Jesu scripsit: *Congruam tempori regulam decernit, ut tollant victui necessaria* omnimodè desiderans, ne servis DEI alimenta, vestimenta, aliaque necessaria vitæ adjumenta subtraherentur.

Id quod hactenus è diversis supernæ Providentiæ familiaribus modis adduximus, jucundè confirmare licet ex varietate vultûs, quam ostendit, dum in terris degeret Salvator. Origenes tract. 35. in Matth. S. Paschasius, aliique indubitanter affirmant, in facie Christi non unam duntaxat, sed duas formas, & aspectus fuisse observatos, alteram dignitatem vultûs fuisse exhibitam quotidie, alteram in monte Thabor gloriosam, cum divinitatem selectis Apostolis manifestaret. At plus citati subjungunt: nempe quod sicut manna in deserto tot varios induit sapores, quot erant diversa Israëlitarum desideria, & gustus, appellante Scripturâ *panem, omne delectamentum in se habentem*. Sap. 16. v. 20. Ita vultus Redemptoris responderit desideriis, fidei, necessitatibus, meritis, ac demeritis populorum: *unicuique apparebat secundum quod fuerat dignus*, si aspiciebant justi mirum in modum exhilarabantur, si scelerati, horrore, & pudore concutiebantur. 52.

Haud secùs quilibet bonus Pastor, quilibet Prælatus, instar Christi, instar sacri cujusdam Prothei in subditorum commodum debet *formas induere varias*, & quantum cujusque vel genius exigit, vel necessitas succurrere miseris, exhortari pusillanimes, recreare infirmos, sublevare oppressos, & abundè providere omnibus dando *non æqualiter omnibus, sed potius unicuique prout cuique opus fuerit*. 53.

Vidit Evangelicus Samaritanus infelicem illum viatorem, qui crudeliter â latronibus dilaniatus, & semivivus relictus humi sub dio jacebat, & vulnera, quibus corpus transfixum erat, amaritudine cordis asperabat. Hoc, inquam, miserando spectaculo commotus Samaritanus, 54.

cumento desiliit, & affectu Patris, solicitudine chirurgi occupatus mederi constituit: *appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum* Luc 10. v. 34. Ita oleum & vinum pro viatico ad extinctionem sitis, & condimentum panis assumpta applicuit saluti ægrotantis: Vinum inserviit eluendis plagis, sanguine & squalore obsitis, membrisque debilibus confortandis: oleum conduxit leniendo vulnerum dolori & hiatibus molliùs in salutem & integritatem reducendis; adjunctæ sunt fasciæ, quæ tuerentur ab injuriâ aëris, & pretiosos liquores cohiberent, donec perfecta sanitas iis fomentis restitueretur. Unum est, quod vehementer hoc in facto scire cupio, quid existimatis AA An benignissimus ille Samaritanus ad reddendum languenti priorem valetudinem effudit totum, quod utre advexit vinum, & omne oleum in vase repositum? minimè: sed homo providus id solùm impendit, quantum vini ad abstergenda vulnera, & olei ad medelam exigebatur: cùm enim maturâ esset prudentiâ, & longâ experientiâ rerum polleret, occurrere voluit peramanter necessitati proximi, non verò prodigè & frustrà dissipare, quod alium in usum laudabiliter secum portârat. Hoc nomine illum commendat doctissimus Sylveira t. 3. f. 358. n. 77. *ut optimè providus solùm necessaria & non superflua præstitit.*

55. Hinc nos ita rationem subducamus: si vox: *Samaritanus*, quemadmodum docuit S. Gregorius latino idiomate, idem valet ac *Custos*, & ideo luculenter designat Prælatos, quorum solicitudini ac protectioni creduntur Religiosi, profectò dum isti jacent doloribus oppressi, vel in animâ languidi: vel in corpore saucii, tenetur Prælatus summâ charitate illos juvare impertiendo vinum jucunditatis, & oleum misericordiæ: magnâ tamen moderatione, ut ne vel vino inebrientur, vel in oleo largè nimìs affuso computrescant: cautè igitur, modestè ac discretè *distribuatur unicuique, prout cuique opus fuerit.*

56. Porro cum sermonem jam de vino & oleo habeamus, sacer quidam textus Apocalypseos, naturâ suâ perquam obscurus ad propositum à nonnemine præclare interprete egregiè illustratur. Reserandum erat tertium libri mystici sigillum, cùm ecce tibi, inquit S Joannes, apparuit Persona bilancem in manu tenens. *Habebat stateram in manu suâ*, Apoc. 6. v. 5. simulque è medio quatuor prodigiosorum animalium vox ista prodiit: *vinum & oleum ne læseris:* variè se hic torquent Doctores ad genuinum sensum eruendum, & in diversas sententias abeunt. Ferrariensis tamen, & Sylveira o 11. n. 116. constanter sustinent, regnum hoc loco & dominium Ecclesiasticum repræsentari, manibus præferri librum,

librum, symbolum æquitatis, & justitiæ: Quilibet enim bonus Prælatus obligatur actiones suas pensare, ac justo pondere & mensurâ unicuique tribuere quod jure debetur. Quòd autem mentio fiat: *vinum & oleum ne læseris*: rationem esse, quoniam vino denotatur fervor charitatis, & oleo suavitas misericordiæ, quibus commune sit, superior insistere hujusmodi virtutum exercitio, ne carnes, caseum, oleum, vestimenta subditis ullatenus subripiat, sed potiùs benignitate laudabili, vinum, oleum, alimenta, vestitum ita distribuat, ut accuratè satisfaciat & necessitatibus pauperum subditorum, & præscripto suarum constitutionum. *Admonetur*, inquit Sylveria hîc q. 14. n. 149. *Prælatus Ecclesiasticus, sic habere stateram in manu, ut charitati, & pietati non offendat, sed ut minoribus provideat, juxta unius cujusque indigentiam, & necessitatem.* 57.

Quapropter agite, Prælati optimi, charitate vestrâ *distribuatur unicuique, prout cuique opus fuerit*: sicut Abraham sub meridiem stravit mensam, & viatores æstu Solis, & molestiâ itineris delassatos recreavit liberaliter, ita vos subditis & filiis vestris convenienter providete, de prandio, cœnâ, & vestimentis. Quid enim? filius Jobi primogenitus omnes fratres suo adhibuit convivio, & lautè tractavit, vosne, qui dignitate majores estis, & gratiâ reliquos superatis, sordidâ quadam avaritiâ religiosos fratres vestros defraudetis, qui penitùs ab æquitate beniquitateque vestrâ dependent? David rebatur justam se habere causam gratulandi Patrifamilias, cum psalleret. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*: Neque vos pudeat sedere in communi mensâ cum subditis vestris, & pari gaudere victu, nec lautiùs haberi, si enim Sapiens voluit, præparari mensam non tantùm prò nobis, sed etiam prò extraneis: *orna mensam, & si qua in manu habes, ciba cæteros.* Eccl. 29. v. 13. quantò magis nos promptissimâ voluntate, familiaribus, & domesticis monasterii instruere debemus? si Christus JEsus, respiciens turbas, viribus exhaustas, & inediâ confectas, commiserationis affectum intimum persensit, & miraculo interposito reficere voluit, vos pariter, ceu digni Pastores, *pascite, qui in vobis est, gregem Christi.* 1. Petr. 5. v. 2. hac ratione olim æternus Judex in personâ subditorum benevolè â vobis habitus, ad vos, amicè conversus dicet. *Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, nudus eram, & coöperuistis me* Matth. 25. v. 35. idcircò pro dignâ retributione *venite benedicti Patris mei percipite regnum &c.*

Ex

cumento desiliit, & affectu Patris, solicitudine chirurgi occupatus mederi constituit: *appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum* Luc 10. v. 34. Ita oleum & vinum pro viatico ad extinctionem sitis, & condimentum panis assumpta applicuit saluti ægrotantis: Vinum inservit eluendis plagis, sanguine & squalore obsitis, membrisque debilibus confortandis: oleum conduxit leniendo vulnerum dolori & hiatibus molliùs in salutem & integritatem reducendis; adjunctæ sunt fasciæ, quæ tuerentur ab injuriâ aëris, & pretiosos liquores cohiberent, donec perfecta sanitas iis fomentis restitueretur. Unum est, quod vehementer hoc in facto scire cupio, quid existimatis AA An benignissimus ille Samaritanus ad reddendum languenti priorem valetudinem effudit totum, quod utre advexit vinum, & omne oleum in vase repositum ? minimè: sed homo providus id solùm impendit, quantum vini ad abstergenda vulnera, & olei ad medelam exigebatur: cùm enim maturâ esset prudentiâ, & longâ experientiâ rerum polleret, occurrere voluit peramanter necessitati proximi, non verò prodigè & frustrà dissipare, quod alium in usum laudabiliter secum portârat. Hoc nomine illum commendat doctissimus Sylveira t. 3. f. 358. n. 77. *ut optimè providus solùm necessaria & non superflua præstitit.*

55. Hinc nos ita rationem subducamus: si vox: *Samaritanus*, quemadmodum docuit S. Gregorius latino idiomate, idem valet ac *Custos*, & ideo luculenter designat Prælatos, quorum solicitudini ac protectioni creduntur Religiosi, profectò dum isti jacent doloribus oppressi, vel in animâ languidi: vel in corpore saucii, tenetur Prælatus summâ charitate illos juvare impertiendo vinum jucunditatis, & oleum misericordiæ: magnâ tamen moderatione, ut ne vel vino inebrientur, vel in oleo largè nimis affuso computrescant: cautè igitur, modestè ac discretè *distribuatur unicuique, prout cuique opus fuerit.*

56. Porro cum sermonem jam de vino & oleo habeamus, facer quidam textus Apocalypseos, naturâ suâ perquam obscurus ad propositum à nemine præclare interprete egregiè illustratur. Reserandum erat tertium libri mystici sigillum, cùm ecce tibi, inquit S. Joannes, apparuit Persona bilancem in manu tenens. *Habebat stateram in manu suâ*, Apoc. 6. v. 5. simulque è medio quatuor prodigiosorum animalium vox ista prodiit: *vinum & oleum ne læseris*: variè se hic torquent Do[illegible] genuinum sensum eruendum, & in diversas sententi[illegible] riensis tamen, & Sylveira o 11. n. 116. constante[illegible] hoc loco & dominium Ecclesiasticum repræ[illegible]

librum, symbolum æquitatis, & justitiæ: Quilibet enim bonus Prælatus obligatur actiones suas pensare, ac justo pondere & mensurâ unicuique tribuere quod jure debetur. Quòd autem mentio fiat: *vinum & oleum ne læseris*: rationem esse, quoniam vino denotatur fervor charitatis, & oleo suavitas misericordiæ, quibus communesit, superior insistere hujusmodi virtutum exercitio, ne carnes, caseum, oleum, vestimenta subditis ullatenus subripiat, sed potiùs benignitate laudabili, vinum, oleum, alimenta, vestitum ita distribuat, ut accurratè satisfaciat & necessitatibus pauperum subditorum, & præscripto suarum constitutionum. *Admonetur*, inquit Sylveria hîc q. 14. n. 149. *Prælatus Ecclesiasticus, sic habere stateram in manu, ut charitati, & pietati non offendat, sed ut minoribus provideat, juxta unius cujusque indigentiam, & necessitatem.* 57.

Quapropter agite, Prælati optimi, charitate vestrâ *distribuatur unicuique, prout cuique opus fuerit*: sicut Abraham sub meridiem stravit mensam, & viatores æstu Solis, & molestiâ itineris delassatos recreavit liberaliter, ita vos subditis & filiis vestris convenienter providete, de prandio, cœnâ, & vestimentis. Quid enim? filius Jobi primogenitus omnes fratres suo adhibuit convivio, & lautè tractavit, vosne, qui dignitate majores estis, & gratiâ reliquos superatis, sordidâ quadam avaritiâ religiosos fratres vestros defraudetis, qui penitùs ab æquitate beniquitateque vestrâ dependent? David rebatur justam se habere causam gratulandi Patrifamilias, cum psalleret. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*: Neque vos pudeat sedere in communi mensâ cum subditis vestris, & pari gaudere victu, nec lautiùs haberi, si enim Sapiens voluit, præparari mensam non tantùm prò nobis, sed etiam prò extraneis: *orna mensam, & si qua in manu habes, ciba cæteros.* Eccl. 29. v. 13. quantò magis nos promptissimâ voluntate, familiaribus, & domesticis monasterii instruere debemus? si Christus JEsus, respiciens turbas, viribus exhaustas, & inediâ confectas, commiserationis affectum intimum persensit, & miraculo interposito reficere voluit, vos pariter, ceu digni Pastores, *pascite, qui in vobis est, gregem Christi.* 1. Petr. 5. v. 2. hac ratione olim æternus Judex in personâ subditorum benevolè â vobis habit[illegible] ad vos, amicè conversus dicet. *Esurivi, & dedistis mihi manducare,* [illegible] *& dedistis* [illegible] *bere, nu*[illegible]*m, & coöper*[illegible]*tis me* Matth. 25. v. 35. [illegible] *isti Patri* [illegible]
i[illegible] gr[illegible] one ve[illegible]
[illegible] nun[illegible]

Ex

CAPITE I.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium libenter velint illud esse commune.

Opes terrenas libenter esse in commune conferendas.

DISCURSUS VII.

58. SOl Planetarum nobilissimus, ab Ecclesiastico c. 43. v. 2. vas *admirabile opus Excelsi*, honorificentissime nuncupatus, instrumentum magnopere suspiciendum, & fabrica dignissima Omnipotentis dexteræ, præter alias suas singulares prærogativas, geminato Thesauro luminis, & caloris producit, vovet, & in fluxu perenni conservat partes inferioris hujus universi: Et licet tam bruta animalia, quàm homines altum stertant, nec quispiam ortum illius supplex, radiosque vitales diffundendos efflagitet; Nihilominus ille pro innatâ suâ beneficentiâ, ut Academicus inscribit, *non exoratus exoritur*; suàque sponte, & naturali impulsu beneficia, quantum fieri potest, elargitur, *& universum illustrat*,

59. Illustrissimum hoc exemplar proponit Epictetus cuivis bono Principi, ne dudum exspectet libellos supplices calamitosorum subditorum, vel importunas deprecationes, & gemitus, ut miseriæ amoveantur, & auxiliùm impetrent, sed malit liberâ prævenire pietate, ac beneficentiâ, ut ad instar Solis terreni opem acceleret, non vocatus, sed naturali, ut ità dicam, propensione inclinatus. *Sicut Sol preces & blandimenta non exspectat, ut exoriatur, sed statim surgit, & ab omnibus salutatur, sic tu nec plausus exspecta, nec strepitus, vel laudes, ut benefacias; sed sponte benefac: & pariter ac Sol omnibus charus eris:* Epic. apud Stobæum.

60. Quandoquidem filius DEI, homo factus, titulo Solis quemvis Religiosum

ligiosum condecorat, *vos estis lux Mundi* Matth. 5.v. 14. & omnis præterea, qui nomen dat vitæ regulari, licet antea omnibus rebus circumfluens, pecunias plurimas, fundos, ædes &c. possederit, tenetur divitias quaslibet summâ suâ voluntate ac studio ad communem usum transscribere; *qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.*

Consultò præscribit regula, eam rerum abdicationem suscipiendam esse *libenter* : quippe Sancto Paulo testante, *hilarem datorem diligit DEUS.* 2. Cor. 9.v.7. & subjicit Hugo Victorinus: *libenter debemus terrena dare, ut possimus cœlestia comparare,* Deoque hæc voluntaria & ultro facta oblatio maximopere arridet, ideo rem vobis non ingratam me præstiturum confido, si pluribus id in præsenti discursu evicero.

Et sanè non immeritò videri possit Magnus Augustinus ex Senecâ 62.
didicisse, medullam beneficii esse, animum promptum, lætum, & benevolum benefactoris: *sic demus,* laudatus ille dicebat moralis Philosophus. 2. de benef. c. 1. *quomodo vellemus accipere, ante omnia libenter, citò, sine ullâ dubitatione,* donetur munus animo libenti, absque tergiversatione vel judicio cordis reluctantis, nam *gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit.* Cœlum imitetur benefactor, quod undique ornatum scintillantibus Stellis, *dum spectat, ditat* : imitetur nubes, quæ suas præpingues gazas effundunt, *pascente nullo* ; imitetur fontem, qui expositus in medio horti, *dat omnibus affluenter, & non improperat.* Quod si verò tantùm exigitur ad beneficia, quibus se mutuò prosequuntur homines, quid de oblationibus dicemus spectantibus obsequium, servitutem, & gloriam DEI?

Agebatur de construendo Domini tabernaculo per modum translativi templi, & Moyses ingentem suum populum, 62.
convocans omnes exhortabatur: *Separate apud vos primitias Domino, omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino : aurum & argentum, & æs, hyacintum, & purpuram.* Exod. 3. v. 55. O Dilecti! esto metalla omnia tùm pretiosa, tùm vilia magno sudore malleis & ligonibus eruantur è fodinis; esto purpura vi extorqueatur è muricibus occisis, esto violenter evellatur linum è terrâ, nihilominus hæc omnia, cum dedicanda sunt DEO in primitias, spontè debent è liberalibus manibus, plenoque consensu voluntatis egredi, quia DEUS est liberalissimus & generosissimus summorum munerum largitor, cujus, ut scribit S. Gregorius Nazian. orat in S. Bapt. *prompta munifica atque prolixa natura est, quæ jucundius dat, quàm alii accipiunt.* Et vos quoque adjicite generositati manuum serenitatem frontis, & hilaritatem cordis cùm dona

vestra offertis: atque hoc ipsum postulat S. Augustinus à suis Religiosis: *Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter, cito, & prono animo offerant, ut velint illud esse commune.*

63. Omnem ferè modum excedunt tituli ac Encomia, quibus honoratur aquila tum sacris, tum profanis calamis: â Virgilio vocatur: *Jovis ales*, ab Apuleio *sublimis*, ab aliis *regia* & *regalis*: per ipsam, teste Pierio Valeriano, *imperialis majestas*, adumbratur; quod etiam Ezechiel, licet sub metaphorâ; c. 17. v. 3. describere voluit: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu &c. Et Moyses effigiem DEI agnovit in eadem, canens: sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Deut. 32. v. 11. rursum S. Maxim. ser. de ascen. *per omnia aquilæ similitudo competit Salvatori* Lubens prætereo centum alias insignes aquilæ dotes, & solummodo ad præsens institutum nostrum animadverto in aquilâ eam magnanimitatem, quòd benignissimè communicat aliis avibus prædam laboriosè partam: Unde in Emblemate gerit Epigraphen: *non sibi provida soli*, vel etiam: *quod mihi hoc aliis.* Quam ob causam titulis regiæ Imperialis, magnæ & quasi divinæ insigniri arbitror: non aliter ô venerandi Canonici demonstrare vos, vel potestis, vel debetis sublimes & gloriosos, quàm inserendo medio cygnorum candori, spiritum & nobilissimam indolem aquilæ, ac libenter ad usum communem monasterii contribuendo, sive bova castrensia vestrâ solicitudine acquisita, sivè alio titulo donationis vel hæreditatis comparata: hâc certè ratione luculenter animum magnum, regalem & generosum prodetis. Talis mens erat Cyri, qui superbissima oblata munera in varios distribuit amicos, contestans, malle se videre alios lætè ac opulentè adornatos, quam singulari pompâ, & fastu notari: Max. serm. 6. Ita Artaxerxes Longimanus dicere solebat, regium esse magis dare, quàm accipere. Plut. apoph. & Agesilaus magis delectabatur, si spolia inter milites dividerentur, quàm si familiarem solùm rem suam augere posset.

64. Placet denuo ad Sacram paginam reverti? audite quæso Isaiam Propheram, qui gaudio ac immenso regni cœlestis beatis assignati jubilo, immensum Dominum Deum ita affatur: *lætabuntur coràm te, sicut exultant victores captâ prædâ, quando dividunt spolia.* Ad tria capita videtur reducere tripudium ac felicitatem paradysi: nempe quod cives superni adversarias potentias impigrè prostraverint, & gloriosè triumphent, *sicut exultant victores*: quòd assecuti fuerint prædam omni spe ac opinione majorem. *Exultant captâ prædâ*, quod beatitas duplcicetur, quia pari vice alter alterius bona possident, & omnia sibi mutuò communicant.

municant. *Exultant quando dividunt spolia.* Prorsus hoc in adagium suum convertit Agesilaus: *sibi haud parva jucundius esse, si milites suos ditaret, quàmsi ditesceret ipse.* Quantò magis triumphantem Ecclesiam in hoc æmulatur militans, in qua lætantur Servi DEI, & singulari gaudio perfunduntur, quod fugiendo Sæculum, calcando sensus, spernendo vanitates, excellentissimam obtinuerit victoriam, divinâ gratiâ fruantur, & anima humilitatis & dulcedinis mari innatet, quod opes privatas in usum communem tranferendo speciali beatitudine potiantur. Ita fixum maneat: *beatius est magis dare quàm accipere.* Act. 20. v. 35.

Verùm pro majori emphasi contemplemur adhuc duos jam supra memoratos egregios viros Samaritanum, & Abrahamum, quorum exemplo res proprias in usum communem *libenter* impertire aliorumque indigentiam sublevare discamus. In horridâ Sylvâ sese conspectui offert miserabilis viator, qui carpens Jerichuntinum iter vix non ad portas mortis, & limen sepulchri deductus est. Is â crudelissimis latronibus dirè vulneratus, â transeunte Sacerdote, & Levitâ immisericorditer derelictus, auxilium, & solatium â mitissimo Samaritano recepit. Triste spectaculum commiserationem extorsit, & extrema calamitas fervorem charitatis stimulavit, ut jumento desiliens impenderet, quid quid saluti ac revocilationi esset idoneum, subsidia viæ, vinum, & oleum, & argentum elargitus est, ut opitularetur misero: & verò, quibus opus habes ô infelix? an vino ad repurgandas plagas, an oleo ad easdem sanandas? libenter ecce utrumque administrabo, *infundens oleum & vinum.* Quid amplius desideras? an fascias ad obligandas, fovendas & consolidandas illas? libenter aliud cum non habeam præter pallium illud in fascias discindam. An eges hospitio? libenter meum accomodabo iumentum, & pedes stipabo lætus, fidelis, carnes. Quid ulterius poscis, num pecunias, queîs tibi commodè prospicias? libenter, dictum factum. *Protulit duos denarios* Luc. 10. v. 34. Ita se gessit celeberrimus ille Samaritanus, & largiendo pauca, plura cum non haberet, nos docuit, animum ad nos ipsos advocare. & bona nostra, vineas e. g. oliveta, vestimenta, & divitias privatim publico applicare, & facere commune, quod omnino sonant regulæ verba, *Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune.* 65.

66. Ad Abraham pergamus, qui sicuti Pater fuit fidei nostræ, ita absolutum extitit perfectæ charitatis exemplar: spectando canitiem,

 &


& annos, referebat nivem, at considerando fervorem spiritûs, ad promovenda emolumenta proximi, merum ignem spirabat. Adspicite illum sub limine tentorii sui; sub æstu meridiei intentum itinerationi peregrinantium, quos ardentiùs refrigerare cupit, quàm venator inhiet feris captandis, ingendi gaudio delibatus, cùm tres hospites adventare cerneret, quasi thesaurum reperisset, tripudiat, & expansis brachiis obviam procedit, stringit, ac excipit. *Cucurrit in occursum eorum* Gen. 18. magnàque curâ ac celeritate *festinavit in tabernaculum*: Agite mei Domini indulgete, quo valeam servire vobis; quidquid in ædibus hisce possideo, vestris lubens dedico obsequiis: hisce meis manibus pedes vestros aquâ odoriferâ lavabo, panem ipse appponam, & instar dapiferi ad mensam inserviam. Inde se mox contulit ad Saram, ut ea, suas quoque manus in servitio hospitum sanctificaret; *festinavit in tabernaculum ad Saram*, postmodum *ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum* præparari curans, & idem extemplô *tulit butyrum, & lac & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis.* Atque ita supplevit vices sedulâ cujusdam ministri, & mensæ sub quercu umbrosâ stratæ inserviit. Videtis quot quantisque signis optimam voluntatem exprimat, quæ tota commodis aliorum nullâ sui ratione habitâ studebat, & in deliciis numerabat, juvare extraneos, quibus *libenter volebat omne bonum suum esse commune*: & quibus non oblectetur dignissimo hoc spectaculo: *videas*, inquit Os aureum hom. 41. *in extremâ senectâ juvenilem alacritatem, & fortem quasi juvenem exultantem, & putantem se invenisse thesaurum quendam hospitum adventu.*

67. Vos spectant liberales hi Abrahami affectus, vos, inquam, concernunt, quicumque, vel jam ipso facto consecrati estis, vel impensè propediem aggregari cupitis Canonicis regularibus. Per Candorem hujus religiosi habitus datur cognoscere, quot sunt servi DEI, tot esse Angelos vestibus humanis coöpertos: si divitias & copias possideris Abrahami, *libenter* eas insumite in gratiam congregationis. Quæ vestrâ generosâ liberalitate indiget: sub umbrâ vestrâ refrigerium præstate, pane vestro nutrite: aut mensam instruite, omni studio communem utilitatem quærendo, dum, *quod habetis in seculo, libenter vultis esse commune.* Ita implebitis desiderium DEI, qui *hilarem datorem diligit, & dando libenter terrena poteritis cælestia comparare.*

68. Plutarchus litteris prodit Alexandrum Macedonem prô alendo exercitu grande æs alienum ducentorum talentorum conflâsse, cumque navi conscensâ itineri accingeretur, creditores convocasse, & opes suas

inter

inter eos distribuisse,, uni villas,& agros assignando, alteri regalem supellectilem conferendo, huic curam vectigalium colligendorum, alios illi reditus adscribendo,ut regale patrimonium, & proventus summoperè distraherentur, imminuerenturque: & Parmenioni roganti,quid tibi O Rex reliquum erit? respondisse: *Superest mihi spes acquirendi majora.* Hem fructum præclarissimum vestræ largitatis, ô mei Religiosi! multò certior vobis suppetit syngrapha, pro bonis hisce vestris temporalibus vitæ communi collatis, restitutum iri cœlestia,& divitias fluxas æternis compensandas esse contuplicato fænore: *date* igitur, *& dabitur vobis*, inquiebat Salvator, & quidem *mensuram bonam, & confertam, & coägitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Luc. 6. v. 38. quin imo. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. v. 29.



Ex

CAPITE I.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune, qui autem non habebant, eorum infirmitati quod opus est tribuatur, &c. c. 1.

Divites, & pauperes in Monasteriis esse recipiendos.

DISCURSUS VIII.

Quantumcumque procellosum, ventisque commotum debacchetur mare fluctusque modò ad sydera attollat, modò imam abyssum & immane barathrum ostentet: Portus tamen illius furorem minimè horret, sed potius velut insu- 69

servis suis Levitis ac Sacerdotibus necessaria nunquam deficeret alimonia. Audiamus Oleastrum hic: *voluit coram se semper panes habere, ut continuò nostræ indigentiæ memor esset, quemadmodum pia mater, frusta panis ante se ponit, ut parvulis frequenter egentibus subveniat.*

50 Neque opineris, mensam Religiosorum fore nimium parcam, si solis panibus oneretur, nam Deus etiam usque ad delicias suos amat. Protoplasto Adæ mensam varietate fructuum instruxit opiparam: *ex omni ligno paradisi comede.* Gen. 2. v. 16. Paulus Eremitarum Parens in horridâ solitudine pane, & dulcissimis palmæ dactylis alebatur: Filius DEI famelicis turbis dispensavit panem, *& ex piscibus quantum volebant.* Joan. 6. v. 11. Et in ultimâ cœnâ idem cum Discipulis & jam agnum paschalem manducavit. Eliæ, cum penes torrentem Carith exularet hominibus invisus, dapes non deerant, sed corvi attulerunt. *Panem & carnes mane & vesperi* 3. Reg. 17. v. 5. Judith in castra Assyriorum egressa pro commeatu secum portavit *& polentam, & palathas, & panes & caseum.* Isai mittens Davidem ad fratres suos sub signis Saulis militantes, *accipe*, ait, *fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes* 1. Reg. 17. v. 17. Abigail quoque ad recreandum David & commilitones non solum *tulit ducentos panes, & duos utres vini*, sed præterea *quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ*, 1 Reg. 28. v. 18. Abraham, egregium prudentis discretique Præsulis exemplar, tribus Angelis, quos Dei servos reputaverat, non tantùm apposuit *buccellam panis* Gen. 18. v. 5. Sed *tulit quoque butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis.* Quid plura? quod Ecclesiasticus c. 39. v. 31. asseveranter constituit: *Necessaria vitæ hominum, aqua, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum;* si accuratè in religiosis mensis observetur, *sic servatur necessitas naturæ ut ascindatur superfluitas concupiscentiæ.*

51. Relictis panibus Propositionis lustremus jam peras Apostolorum, testantur SS Evangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, Salvatorem nostrum, quum discipulos emisisset doctrinas Evangelicas promulgatum, *præcepisse eis, ne quid tollerent in viâ, non peram, non panem, neque in Zonâ æs* Marc. 6. v. 8. Verùm instante passionis tempore refert. S. Lucas, Dominum iisdem serio injunxisse, *qui habes sacculum, tollat, similiter & peram &c.* Luc. 22. v. 15 Quid dicemus ad hæc? qui prohibuit antea, ne discipuli pecunias vel alimonias in peris gestarent, jam ex adverso imperat, ut argento, & panibus probè instructi abirent: nunquid sibimetipsi contraria est divina Providentia? actionem eandem modo probat, modo improbat? nunquid Deus æterna veritas alicui subjacet transmutatio-

mutationi? absit! Verum tempora & circumstantiæ si varientur, apertiùs se Divina manifestat Providentia; cùm Apostoli iter facerent in Judæâ inter Patriotas, Contribules, & Amicos, sine terrenis subsidiis proficisci jubebantur; Quoniam eo casu charissimos suos ministros & filios Pater cœlestis interventu ejusmodi benevolorum hominum esset benignissimè nutriturus: at verò quando necesse fuit fugere persecutiones, exules & invisos Judæam deserere, barbaras adire nationes, tum enimverò Divinus Pastor consuluit, & instigavit, ut secum necessaria deportarent, & in quocunque eventu penuriam summam depulsarent, sed *unicuique, prout cuique opus erat, tribueretur.* Quod animadvertens Venerabilis Beda in Lucam de Bono Jesu scripsit: *Congruam tempori regulam decernit, ut tollant victui necessaria* omnimòdè desiderans, ne servis DEI alimenta, vestimenta, aliaque necessaria vitæ adjumenta subtraherentur.

Id quod hactenus è diversis supernæ Providentiæ familiaribus modis adduximus, jucundè confirmare licet ex varietate vultûs, quam ostendit, dum in terris degeret Salvator. Origenes tract. 35. in Matth. S. Paschasius, aliique indubitanter affirmant, in facie Christi non unam duntaxat, sed duas formas, & aspectus fuisse observatos, alteram dignitatem vultûs fuisse exhibitam quotidie, alteram in monte Thabor gloriosam, cum divinitatem selectis Apostolis manifestaret. At plus citati subjungunt: nempe quod sicut manna in deserto tot varios induit sapores, quot erant diversa Israëlitarum desideria, & gustus, appellante Scripturâ *panem, omne delectamentum in se habentem.* Sap. 16. v. 20. Ita vultus Redemptoris responderit desideriis, fidei, necessitatibus, meritis, ac demeritis populorum: *unicuique apparebat secundum quod fuerat dignus,* si aspiciebant justi mirum in modum exhilarabantur, si scelerati, horrore, & pudore concutiebantur. 52.

Haud secùs quilibet bonus Pastor, quilibet Prælatus, instar Christi, instar sacri cujusdam Prothei in subditorum commodum debet *formas induere varias,* & quantum cujusque vel genius exigit, vel necessitas succurrere miseris, exhortari pusillanimes, recreare infirmos, sublevare oppressos, & abundè providere omnibus dando *non æqualiter omnibus, sed potius unicuique, prout cuique opus fuerit.* 53.

Vidit Evangelicus Samaritanus infelicem illum viatorem, qui crudeliter à latronibus dilaniatus, & semivivus relictus humi sub dio jacebat, & vulnera, quibus corpus transfixum erat, amaritudine cordis asperabat. Hoc, inquam, miserando spectaculo commotus Samaritanus, 54.

cumento desiliit, & affectu Patris, solicitudine chirurgi occupatus mederi constituit: *appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum* Luc 10. v. 34. Ita oleum & vinum pro viatico ad extinctionem sitis, & condimentum panis assumpta applicuit saluti ægrotantis: Vinum inservijt eluendis plagis, sanguine & squalore obsitis, membrisque debilibus confortandis: oleum conduxit leniendo vulnerum dolori & hiatibus molliùs in salutem & integritatem reducendis; adjunctæ sunt fasciæ, quæ tuerentur ab injuriâ aëris, & pretiosos liquores cohiberent, donec perfecta sanitas iis fomentis restitueretur. Unum est, quod vehementer hoc in facto scire cupio, quid existimatis AA. An benignissimus ille Samaritanus ad reddendum languenti priorem valetudinem effudit totum, quod utre advexit vinum, & omne oleum in vase repositum? minimè: sed homo providus id solùm impendit, quantum vini ad abstergenda vulnera, & olei ad medelam exigebatur: cùm enim maturâ esset prudentiâ, & longâ experientiâ rerum polleret, occurrere voluit peramanter necessitati proximi, non verò prodigè & frustrà dissipare, quod alium in usum laudabiliter secum portârat. Hoc nomine illum commendat doctissimus Sylveira t. 5. f. 358. n. 77. *ut optimè providus solùm necessaria & non superflua præstitit.*

55. Hinc nos ita rationem subducamus: si vox: *Samaritanus*, quemadmodum docuit S. Gregorius latino idiomate, idem valet ac *Custos*, & ideo luculenter designat Prælatos, quorum solicitudini ac protectioni creduntur Religiosi, profectò dum isti jacent doloribus oppressi, vel in animâ languidi: vel in corpore saucii, tenetur Prælatus summâ charitate illos juvare impertiendo vinum jucunditatis, & oleum misericordiæ: magnâ tamen moderatione, ut ne vel vino inebrientur, vel in oleo largè nimìs affuso computrescant: cautè igitur, modestè ac discretè *distribuatur unicuique, prout cuique opus fuerit.*

56. Porro cum sermonem jam de vino & oleo habeamus, facer quidam textus Apocalypseos, naturâ suâ perquam obscurus ad propositum à nonnemine præclare interprete egregiè illustratur. Reserandum erat tertium libri mystici sigillum, cùm ecce tibi, inquit S. Joannes, apparuit Persona bilancem in manu tenens. *Habebat stateram in manu suâ*, Apoc. 6. v. 5. simulque è medio quatuor prodigiosorum animalium vox ista prodiit: *vinum & oleum ne læseris:* variè se hic torquent Doctores ad genuinum sensum eruendum, & in diversas sententias abeunt. Ferrariensis tamen, & Sylveira o 11. n. 116. constanter sustinent, regnum hoc loco & dominium Ecclesiasticum repræsentari, manibus præferri librum

librum, symbolum æquitatis, & justitiæ: Quilibet enim bonus Prælatus obligatur actiones suas pensare, ac justo pondere & mensurâ unicuique tribuere quod jure debetur. Quòd autem mentio fiat: *vinum & oleum ne læseris*: rationem esse, quoniam vino denotatur fervor charitatis, & oleo suavitas misericordiæ, quibus communefit, superior insistere hujusmodi virtutum exercitio, ne carnes, caseum, oleum, vestimenta subditis ullatenus subripiat, sed potiùs benignitate laudabili, vinum, oleum, alimenta, vestitum ita distribuat, ut accurratè satisfaciat & necessitatibus pauperum subditorum, & præscripto suarum constitutionum. *Admonetur*, inquit Sylveria hîc q. 14. n. 149. *Prælatus Ecclesiasticus, sic habere stateram in manu, ut charitati, & pietati non offendat, sed ut minoribus provideat, juxta unius cujusque indigentiam, & necessitatem.*

57. Quapropter agite, Prælati optimi, charitate vestrâ *distribuatur unicuique, prout cuique opus fuerit*: sicut Abraham sub meridiem stravit mensam, & viatores æstu Solis, & molestiâ itineris delassatos recreavit liberaliter, ita vos subditis & filiis vestris convenienter providete, de prandio, cœnâ, & vestimentis. Quid enim? filius Jobi primogenitus omnes fratres suo adhibuit convivio, & lautè tractavit, vosne, qui dignitate majores estis, & gratiâ reliquos superatis, sordidâ quadam avaritiâ religiosos fratres vestros defraudetis, qui penitùs ab æquitate beniquitateque vestrâ dependent? David rebatur justam se habere causam gratulandi Patrifamilias, cum psalleret. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*: Neque vos pudeat sedere in communi mensâ cum subditis vestris, & pari gaudere victu, nec lautiùs haberi, si enim Sapiens voluit, præparari mensam non tantùm prò nobis, sed etiam prò extraneis: *orna mensam, & si qua in manu habes, ciba cæteros.* Eccl. 29. v. 13. quantò magis nos promptissimâ voluntate, familiaribus, & domesticis monasterii instruere debemus? si Christus JEsus, respiciens turbas, viribus exhaustas, & inediâ confectas, commiserationis affectum intimum persensit, & miraculo interposito reficere voluit, vos pariter, ceu digni Pastores, *pascite, qui in vobis est, gregem Christi.* 1. Petr. 5. v. 2. hac ratione olim æternus Judex in personâ subditorum benevolè à vobis habitus, ad vos, amicè conversus dicet. *Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, nudus eram, & coöperuistis me* Matth. 25. v. 35. idcircò pro dignâ retributione *venite benedicti Patris mei percipite regnum &c.*

Ex CAPITE I.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium libenter velint illud esse commune.

Opes terrenas libenter esse in commune conferendas.

DISCURSUS VII.

58. SOl Planetarum nobilissimus, ab Ecclesiastico c. 43. v. 2. vas *admirabile opus Excelsi*, honorificentissime nuncupatus, instrumentum magnopere suspiciendum, & fabrica dignissima Omnipotentis dextræ, præter alias suas singulares prærogativas, geminato Thesauro luminis, & caloris producit, vovet, & in fluxu perenni conservat partes inferioris hujus universi: Et licet tam bruta animalia, quàm homines altum stertant, nec quispiam ortum illius supplex, radiosque vitales diffundendos efflagitet; Nihilominus ille pro innatâ suâ beneficentiâ, ut Academicus inscribit, *non exoratus exoritur*; suàque sponte, & naturali impulsu beneficia, quantum fieri potest, elargitur, *& universum illustrat*,

59. Illustrissimum hoc exemplar proponit Epictetus cuivis bono Principi, ne dudum exspectet libellos supplices calamitosorum subditorum, vel importunas deprecationes, & gemitus, ut miseriæ amoveantur, & auxilium impetrent, sed malit liberâ prævenire pietate, ac beneficentiâ, ut ad instar Solis terreni opem acceleret, non vocatus, sed naturali, ut ita dicam, propensione inclinatus. *Sicut Sol preces & blandimenta non exspectat, ut exoriatur, sed statim surgit, & ab omnibus salutatur, sic tu nec plausus exspecta, nec strepitus, vel laudes, ut benefacias; sed sponte benefac: & pariter ac Sol omnibus charus eris:* Epic. apud Stobæum.

60. Quandoquidem filius DEI, homo factus, titulo Solis quemvis Religiosum

ligiosum condecorat, *vos estis lux Mundi* Matth. 5.v. 14. & omnis præterea, qui nomen dat vitæ regulari, licet antea omnibus rebus circumfluens, pecunias plurimas, fundos, ædes &c. possederit, tenetur divitias quaslibet summâ suâ voluntate ac studio ad communem usum transscribere; *qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune.*

Consultò præscribit regula, eam rerum abdicationem suscipiendam esse *libenter* : quippe Sancto Paulo testante, *hilarem datorem diligit DEUS.* 2. Cor. 9.v.7. & subjicit Hugo Victorinus: *libenter debemus terrena dare, ut possimus cælestia comparare,* Deoque hæc voluntaria & ultro facta oblatio maximopere arridet, ideo rem vobis non ingratam me præstiturum confido, si pluribus id in præsenti discursu evicero.

Et sanè non immeritò videri possit Magnus Augustinus ex Senecâ didicisse, medullam beneficii esse, animum promptum, lætum, & benevolum benefactoris: *sic demus*, laudatus ille dicebat moralis Philosophus. 2. de benef. c. 1. *quomodo vellemus accipere, ante omnia libenter, citò, sine ullâ dubitatione,* donetur munus animo libenti, absque tergiversatione vel judicio cordis reluctantis, nam *gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia, ubi nulla mora fuit.* Cœlum imitetur benefactor, quod undique ornatum scintillantibus Stellis, *dum spectat, ditat* : imitetur nubes, quæ suas præpingues gazas effundunt, *pascente nullo*; imitetur fontem, qui expositus in medio horti, *dat omnibus affluenter, & non improperat.* Quod si verò tantùm exigitur ad beneficia, quibus se mutuò prosequuntur homines, quid de oblationibus dicemus spectantibus obsequium, servitutem, & gloriam DEI? 62.

Agebatur de construendo Domini tabernaculo per modum translativi templi, & Moyses ingentem suum populum, convocans omnes exhortabatur: *Separate apud vos primitias Domino, omnis voluntarius, & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram.* Exod. 3. v. 55. O Dilecti! esto metalla omnia tùm pretiosa, tùm vilia magno sudore malleis & ligonibus eruantur è fodinis; esto purpura vi extorqueatur è muricibus occisis, esto violenter evellatur linum è terrâ, nihilominus hæc omnia, cum dedicanda sunt DEO in primitias, spontè debent è liberalibus manibus, plenoque consensu voluntatis egredi, quia DEUS est liberalissimus & generosissimus summorum munerum largitor, cujus, ut scribit S. Gregorius Nazian. orat in S. Bapt. *prompta munifica atque prolixa natura est, quæ jucundius dat, quàm alii accipiunt.* Et vos quoque adjicite generositati manuum serenitatem frontis, & hilaritatem cordis cùm dona 62.

F vestra

vestra offertis: atque hoc ipsum postulat S. Augustinus à suis Religiosis: *Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter, cito, & prono animo offerant, ut velint illud esse commune.*

63. Omnem ferè modum excedunt tituli ac Encomia, quibus honoratur aquila tum sacris, tum profanis calamis: â Virgilio vocatur: *Jovis ales*, ab Apuleio *sublimis*, ab aliis *regia* & *regalis*: per ipsam, teste Pierio Valeriano, *imperialis majestas*, adumbratur; quod etiam Ezechiel, licet sub metaphorâ; c. 17. v. 3. describere voluit: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu &c. Et Moyses effigiem DEI agnovit in eadem, canens: sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Deut. 32. v. 11. rursum S. Maxim. ser. de ascen. *per omnia aquilæ similitudo competit Salvatori* Lubens prætereo centum alias insignes aquilæ dotes, & solummodo ad præsens institutum nostrum animadverto in aquilâ eam magnanimitatem, quòd benignissimè communicat aliis avibus prædam laboriosè partam: Unde in Emblemate gerit Epigraphen: *non sibi provida soli*, vel etiam: *quod mihi hoc aliis.* Quam ob causam titulis regiæ Imperialis, magnæ & quasi divinæ insigniri arbitror: non aliter ô venerandi Canonici demonstrare vos, vel potestis, vel debetis sublimes & gloriosos, quàm inserendo medio cygnorum candori, spiritum & nobilissimam indolem aquilæ, ac libenter ad usum communem monasterii contribuendo, sive bona castrensia vestrâ solicitudine acquisita, sivè alio titulo donationis vel hæreditatis comparata: hâc certè ratione luculenter animum magnum, regalem & generosum prodetis. Talis mens erat Cyri, qui superbissima oblata munera in varios distribuit amicos, contestans, malle se videre alios lætè ac opulentè adornatos, quam singulari pompâ, & fastu notari: Max. serm. 6. Ita Artaxerxes Longimanus dicere solebat, regium esse magis dare, quàm accipere. Plut. apoph. & Agesilaus magis delectabatur, si spolia inter milites dividerentur, quàm si familiarem solùm rem suam augere posset.

64. Placet denuo ad Sacram paginam reverti? audite quæso Isaiam Prophetam, qui gaudio ac immenso regni cœlestis beatis assignati jubilo, immensum Dominum Deum ita affatur: *lætabuntur coràm te, sicut exultant victores captà prædà, quando dividunt spolia.* Ad tria capita videtur reducere tripudium ac felicitatem paradysi: nempe quod cives superni adversarias potentias impigrè prostraverint, & gloriosè triumphent, *sicut exultant victores*: quòd assecuti fuerint prædam omni spe ac opinione majorem. *Exultant captà prædâ*, quod beatitas duplcicetur, quia pari vice alter alterius bona possident, & omnia sibi mutuò communicant.

municant.

municant. *Exultant quando dividunt spolia.* Prorsus hoc in adagium suum convertit Agesilaus: *sibi haud parva jucundius esse, si milites suos ditaret, quàm si ditesceret ipse.* Quantò magis triumphantem Ecclesiam in hoc æmulatur militans, in qua lætantur Servi DEI, & singulari gaudio perfunduntur, quod fugiendo Sæculum, calcando sensus, spernendo vanitates, excellentissimam obtinuerit victoriam, divinâ gratiâ fruantur, & anima humilitatis & dulcedinis mari innatet, quod opes privatas in usum communem transferendo speciali beatitudine potiantur. Ita fixum maneat: *beatius est magis dare quàm accipere.* Act. 20. v. 35.

Verùm pro majori emphasi contemplemur adhuc duos jam supra memoratos egregios viros Samaritanum, & Abrahamum, quorum exemplo res proprias in usum communem *libenter* impertire aliorumque indigentiam sublevare discamus. In horridâ Sylvâ sese conspectui offert miserabilis viator, qui carpens Jerichuntinum iter vix non ad portas mortis, & limen sepulchri deductus est. Is â crudelissimis latronibus dirè vulneratus, â transeunte Sacerdote, & Levitâ immisericorditer derelictus, auxilium, & solatium â mitissimo Samaritano recepit. Triste spectaculum commiserationem extorsit, & extrema calamitas fervorem charitatis stimulavit, ut jumento desiliens impenderet, quid quid saluti ac revocilationi esset idoneum, subsidia viæ, vinum, & oleum, & argentum elargitus est, ut opitularetur misero: & verò, quibus opus habes ô infelix? an vino ad repurgandas plagas, an oleo ad easdem sanandas? libenter ecce utrumque administrabo, *infundens oleum & vinum.* Quid amplius desideras? an fascias ad obligandas, fovendas & consolidandas illas? libenter aliud cum non habeam præter pallium illud in fascias discindam. An eges hospitio? libenter meum accomodabo iumentum, & pedes stipabo lætus, fidelis, carnes. Quid ulterius poscis, num pecunias, queis tibi commodè prospicias? libenter, dictum factum. *Protulit duos denarios* Luc. 10. v. 34. Ita se gessit celeberrimus ille Samaritanus, & largiendo pauca, plura cum non haberet, nos docuit, animum ad nos ipsos advocare. & bona nostra, vineas e. g. oliveta, vestimenta, & divitias privatim publico applicare, & facere commune, quod omninò sonant regulæ verba. *Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune.* 65.

Ad Abraham pergamus, qui sicuti Pater fuit fidei nostræ, ita absolutum extitit perfectæ charitatis exemplar: spectando canitiem, & 66.

& annos, referebat nivem, at considerando fervorem spiritûs, ad promovenda emolumenta proximi, merum ignem spirabat. Adspicite illum sub limine tentorii sui; sub æstu meridiei intentum itinerationi peregrinantium, quos ardentiùs refrigerare cupit, quàm venator inhiet feris captandis, ingendi gaudio delibatus, cùm tres hospites adventare cerneret, quasi thesaurum reperisset, tripudiat, & expansis brachiis obviam procedit, stringit, ac excipit. *Cucurrit in occursum eorum* Gen. 18. magnàque curâ ac celeritate *festinavit in tabernaculum* : Agite mei Domini indulgete, quo valeam servire vobis ; quidquid in ædibus hisce possideo, vestris lubens dedico obsequiis : hisce meis manibus pedes vestros aquâ odoriferâ lavabo, panem ipse appponam, & instar dapiferi ad mensam inserviam. Inde se mox contulit ad Saram, ut ea, suas quoque manus in servitio hospitum sanctificaret ; *festinavit in tabernaculum ad Saram*, postmodum *ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum* præparari curans, & idem extemplô *tulit butyrum, & lac & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis.* Atque ita supplevit vices seduli cujusdam ministri, & mensæ sub quercu umbrosâ stratæ inserviit. Videtis quot quantisque signis optimam voluntatem exprimat, quæ tota commodis aliorum nullâ sui ratione habitâ studebat, & in deliciis numerabat, juvare extraneos, quibus *libenter volebat omne bonum suum esse commune* : & quibus non oblectetur dignissimo hoc spectaculo : *videas*, inquit Os aureum hom. 41. *in extremâ senectâ juvenilem alacritatem, & fortem quasi juvenem exultantem, & putantem se invenisse thesaurum quendam hospitum adventu.*

67. Vos spectant liberales hi Abrahami affectus, vos, inquam, concernunt, quicumque, vel jam ipso facto consecrati estis, vel impensè propediem aggregari cupitis Canonicis regularibus. Per Candorem hujus religiosi habitus datur cognoscere, quot sunt servi DEI, tot esse Angelos vestibus humanis coöpertos : si divitias & copias possideris Abrahami, *libenter* eas insumite in gratiam congregationis. Quæ vestrâ generosâ liberalitate indiget : sub umbrâ vestrâ refrigerium præstate, pane vestro nutrite : aut mensam instruite, omni studio communem utilitatem quærendo, dum, *quod habetis in seculo, libenter vultis esse commune.* Ita implebitis desiderium DEI, qui *hilarem datorem diligit, & dando libenter terrena poteritis cælestia comparare.*

68. Plutarchus litteris prodit Alexandrum Macedonem prò alendo exercitu grande æs alienum ducentorum talentorum conflâsse, cumque navi conscensâ itineri accingeretur, creditores convocasse, & opes suas

inter

inter eos distribuisse, uni villas, & agros assignando, alteri regalem supellectilem conferendo, huic curam vectigalium colligendorum, alios illi reditus adscribendo, ut regale patrimonium, & proventus summoperè distraherentur, imminuerenturque: & Parmenioni roganti, quid tibi O Rex reliquum erit? respondisse: *Superest mihi spes acquirendi majora.* Hem fructum præclarissimum vestræ largitatis, ô mei Religiosi! multò certior vobis suppetit syngrapha, pro bonis hisce vestris temporalibus vitæ communi collatis, restitutum iri cœlestia, & divitias fluxas æternis compensandas esse contuplicato fœnore: *date* igitur, *& dabitur vobis*, inquiebat Salvator, & quidem *mensuram bonam, & confertam, & coägitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Luc. 6. v. 38. quin imo. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet & vitam aternam possidebit.* Matth. 19. v. 29.



Ex

CAPITE I.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune, qui autem non habebant, eorum infirmitati quod opus est tribuatur, &c. c. 1.

Divites, & pauperes in Monasteriis esse recipiendos.

DISCURSUS VIII.

Quantumcumque procellosum, ventisque commotum debacchetur mare fluctusque modò ad sydera attollat, modò imam abyssum & immane barathrum ostentet: Portus tamen illius furorem minimè horret, sed potius velut insu- 69

perabile vallum omnem impetum retundit ac elidit. Portum subeant tùm ingentes naves onerariæ, quæ opes aliunde advehunt inæstimabiles, & tranquillâ ibi gaudent securitate: tum scaphæ ac dromades, quæ in alto â procellis jactatæ, ceu ludus ventorum jam quiescunt, & rident æstum irati Oceani.

70. Quis abnuat, mare plenum discriminis esse perversum sæculum, *in* quo navigia sive homines quicunque præsenti subjacent periculo, *in* momenta ferè singula ne submersi pessumeant? at securum portum testatur S. Laurentius de Discipl. Mon, Convert c. 14. Justinianus, esse Religionem, quò prudentiores sese recipiant: Quemadmodum verò marinus portus haud gravatè admittit ac suo gremio conplectitur, & naves majores vectorias, præsidiarias, biremes, ac deciremes, & minores orarias, monoxyla, lembos, ita Religiosum contubernium ad exemplum S. Augustini coöptare debet magnos æquè & generis prosapiâ, vel divitiarum copiâ spectatos, ac parvos, & pauperes, qui præter bonam voluntatem nihil adferunt, sed labores manuum suarum servitio monasterii consecrant, ita proderunt Religionis domicilia, inquit B. Umbertus S. 25. *non solùm illis, qui divites fuerunt in sæculo, sed etiam, qui pauperes, ut periculum acceptionis Personarum evitatur*, quâ de re plura hîc disserere constitui.

71. Pauperes, & tenuioris fortunæ homines, si penitiùs consideremus, quod res est, nequaquam merentur excludi Monasteriis, cum sæpè naturæ dotibus præcellant, & egregiis virtutibus fulgeant. Christiana religio, scribit D. Hieronymus ep. 14, ad Celant: non attendit altitudinem stemmatis, sed mentis, & ingenuos ac nobiles discernit â servis per honestatem morum: sicut autem in oculis DEI nobilis est ille, qui peccatis non deservit, ita splendorem veræ ingenuitatis ac dignitatis confert, & indicat virtutis ornamentum. Parvi profectò refert, *in* palatio natum esse, vel in tugurio, si pariter omnes de fontibus salutiferis Christi regeneremur. In Religione, quæ domus DEI est benignè debet excipi, quisquis sincerè cupit aggregari. Neque dedecet opulentis ac nobilibus associari egenos, & ignobiles, cum neminem lateat in choro Musicorum ex concentu bassi & cantûs jucundam resonare harmoniam. Arca testamenti laminis aureis coöperta non dedignabatur opertorium cilicinum, & fabricatione Sanctuarii fervente recipiebantur quidem pretiosa metalla, uniones, & gemmæ, sed pelles caprinæ â pauperculis oblatæ non respuebantur. Bethlehemiticum stabulum, quod erat symbolum Religionis, ingrediebantur Magi eximia munera deferentes

ferentes, verùm etiam Pastoribus non præcludebatur aditus, qui non nisi Religiosos contribuere poterant affectus. Claustra Regularium speciem præseverunt sepulchri Salvatoris, quod equidem obsequia Josephi de Arimathiâ, & Nicodemi, virorum sanguine illustrium, admisit, verumtamen Petri & Joannis pauperum piscatorum non recusavit.

Vidit Ezechiel Propheta in splendidâ nube currum mirabilem, quo gloria & summa DEI Majestas eluxit: licet autem Cherubini spiritus illi nobilissimi famularentur ac proveherent, nihilominus facies quatuor animalium, Leonis, Vituli, Aquilæ & hominis exhibebant. *Similitudo vultûs eorum facies hominis, & facies Leonis, à dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis â sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Amabo quis non miretur tam prodigiosas & monstro-similes combinationes? si placuit Altissimo in theatro nubium ipsoque cœlo explicare magnitudinem gloriæ suæ, quid agant in illâ sublimitate leones antris Africæ assueti? quid vituli lac maternum in pascuis ambientes? quid homines terrenis opibus addicti? quid aquilæ in petris & rupibus montanis nidificantes? Dein quomodo cum gloriosâ Creatoris Majestate concordant hæc ipsa animalia? 72.

Ad enucleandum hoc dubium permittite priùs aliud quodpiam expedire; suboriebatur in primitivâ Ecclesiâ contentio nonnulla, & quidam etiam in gratiis S Petri nolebant sanctam fidem & legem gratiæ prædicari gentilibus, cùm ecce tibi Apostolorum Princeps in extasin rapitur Act. 11. v. 5. Et attonitus videt *descendere vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo*, tertiam vicem quod intuens observabat comprehendi *quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cœli.* Accessit vox sonorè cohortantis: *Surge Petre, occide, & manduca*: ceu juberetur interimere in ipsis, quod vitiosum erat, ac convertere in propriam substantiam; cùm vero nausearet ipse has dapes, quas immundans reputabat, certior fit â supernâ voce, *quòd Deus mundavit, tu non commune dixeris,* simulque linteum fuit denuo in cœlis reconditum. Quâ visione in excessu mentis magnus Apostolus docebatur, sæpiùs res primâ fronte abominabiles, ac indignas, virtute Divinâ ad excelsam puritatem promoveri: multoties quæ oculis mortalium videntur contemptibilia, cœlo apparere pretiosa, ipsumque linteum pannum, qui Petro, quod cum leone jumenta, cum serpente aquilas, aut columbas conjungerent, nequaquam arrisit, DEO plenissimè satisfecisse. O linteum admirandum! quàm bellè adumbras Religionem illam, quæ candido lino suos coöperit alumnos? ad eam quippe veniunt & 73.

regii

regii Leones de tribu Judâ, præditi conspicuâ generositate; & lassa ju-
menta colendis agris adscripta; & serpentes sagaci prudentiâ insignes,
& columbæ puritatis ac innocentiæ notâ amabiles. Atque DEUS O-
ptimus Maximus, qui *non est acceptator personarum*, omnes assumit, & pa-
ternè complectitur, & sicuti quoslibet invitat: *audite hæc omnes gentes,
auribus percipite omnes, qui habitatis Orbem, quique terrigenæ, & filii homi-
num simul in unum dives & pauper.*

Ita omnes locupletes, & inopes, nobiles, & ignobiles, Religiosos,
& laicos efficere puros Sanctos, & gloriosos calidè concupiscit: nec
minùs quærit honorari sudore corporis & labore mechanico, quàm al-
terius in eâdem domo functione spirituali.

Jam vero reflectamus oculos in animalia currui Ezechielis alliga-
74 ta, servitio magni Numinis destinata. Fateamur, necesse est, legem gra-
tiæ & gloriam Redemptoris per omnes Orbis terrarum provincias à
Religiosis promulgari, qui sanè in officio illo Apostolico citra defati-
gationem ac tædium desudant, nec incongruè dixeris eos tenere faciem
Leonis, bovis, hominis, & aquilæ, circumeunt enim Prædicatores im-
perterriti cum pectore, ac voce, seu rugitu Leonis: eorum latus laici
stipant, qui boum instar, rudiores ingenio, ad labores & servitia corpo-
ralia sunt noti. Nonnulli more aquilarum per raptus, & contemplatio-
nes evolant: alius interea filius Adæ languore depressus servit, obedit, ac
sustentat, unde non sine singulari Providentiâ Numinis factum, ut
in Religionibus tanquam opportunis seminariis, *terrigenæ, & filii homi-
num, dives & pauper simul* congregaretur, ut ab his & illis, operâ junctâ,
& sancta fides, & Ecclesia militans & orthodoxa religio validè admi-
nistraretur, & propagaretur.

Hanc Sacerdotum, & fratrum Laicorum consociationem elegan-
75. tet delineatam cernimus in celeberrimâ urbe Jerusalem, quæ non tan-
tum, ut sacri interpretes consentienter tradunt, sanctam designat Ec-
clesiam, sed omnem quoque domum, in qua Religiosi degunt: ibi nam-
que divinæ decantantur laudes, quod monuit Propheta: *lauda Jerusa-
lem Dominum* Psal. 147. v. 1. ibi peculiari studio adversus hostiles in-
sultus portæ muniuntur: *Confortavit seras portarum suarum*, ibi descen-
dunt affatim super incolas, inundationes cœlestium benedictionum:
benedixit filiis tuis in te. Ibi volant continuò candida vexilla pacis,
posuit fines tuos pacem. Ibi instruitur mensa pane Angelico omni sua-
vitate referto: *& adipe frumenti satiat te:* Ibi DEUS Clientes suos pal-
lio nivis seu lanâ convestit. *Qui dat nivem sicut lanam &c.* Quod si
autem

autem ex vobis sciscitur, quinam sint Hierosolimorum cives, respondebitis certè, non Levitas duntaxat, & Sacerdotes ad quadraginta millia servitio templi deputatos, verùm etiam innumeros Israelitas, insuper & exteros, ut Tyrios, Sidonios Æthiopes, Arabes, Indos incoluisse. *Ecce Alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiophum hi fuerunt illic.* Psal. 86. v. 4. haud aliter in ædibus religiosis commorantur nonsolùm nobiles, Sacerdotes & ministri sanctuarii, sed etiam homines cœteroquin vulgares vilis conditionis, humilis fortunæ, qui vires suas impendunt, & occupantur in abjectioribus obsequiis: verumtamen ex consortio Religiosorum virtute præstantium, & ipsi Sanctitatis amore tanguntur, ac excitantur ad Studium virtutum; unde mira affectuum symmetria in totâ Canoniâ resultat, ut pauperes quoque in necessitatibus subleventur, ac juventur, quod regula præscribit: *Eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiamsi necessitas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire.*

Ex magnificentissimâ Hæbreorum metropoli ad se nos invitat 76. amænitas villæ. Quod enim de domo Jacob, seu toto populo Israelitico sub metaphorâ edixit Isaias c. 5. v. 7. *Vinea Domini exercituum domus Israel est*: cui etiam Servator noster suffragatur: *homo quidam plantavit vineam* Matth. 21. Id pariter asseverare possum, monasterium quodvis aut familiam religiosam mereri nomen vineæ. Quâ de causâ, inquies, religio appelletur vinea? plures occurrunt rationes, unam considero; quemadmodum in vineâ reperiuntur vites, & ulmi, vites quæ producant fructus, & germinent, ulmi quæ pedamentum præbeant, ac sustentent: ambæ simul colligantur ubi riduæ ornantur, fructibus vitis, carbunculis, & saphiris uvarum onustæ. Econtrà vites annoso vigore, & adminiculo ulmi egregiè fulciuntur: Ita possunt in statu religioso per vites intelligi nobiles, qui reditus & opes religioni contuleruntur: Aut viri literati, qui virtutum exemplo, & doctrinæ splendore infames, & bonis fortunæ multùm commodant, per ulmos verò exprimitur sollicitudo laicorum, qui suâpte quidem naturâ sterilescunt, vites tamen sudium instar suffulciunt, dum servilia opera præstant, & necessaria vitæ subsidia solerter procurant, atque ita respondent desideriò Apostoli ad Gal. 6. v. 2. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Committere non possum, quin adducam in medium parabolam 77. Salvatoris, quæ mirificè propositum thema illustrat: *Simile est*, inquit Dominus Matth. 13. v. 47. *regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex*

omni genere piscium congreganti. Quoniam Christus Dominus Sanctos Apostolos elegit, ut essent piscatores hominum, noluerunt illi suo deesse officio, sed retia Evangelici dogmatis in varias Mundi, Oceano non dissimilis, plagas miserunt, successu nequaquam pœnitendo; innumerabiles namque ac diversissimas gentes è cœno vitiorum, & profundæ Idololatriæ in littus, & lucem veritatis extraxerunt. Cæterùm, si vocationi supernæ opera sancta, & constantem vitæ justitiam adjunxerint, conversæ animæ ad mansiones cœlestes transferentur: Sin autem sceleribus aliis aliisque contaminare se pergant, interibunt æternùm titiones infernalis incendii. Hactenùs retè atque ad sensum communem. Verùm quid prohibet sub effigie tam famosi retis revereri vitam religiosam, quæ suam originem debet Sanctis Apostolis per Canonicos regulares à Sancto Marco Alexandriæ in Ægypto propagatos? Illa sanè admodum retis omnium nationum fideles ad S. observationem mirabiliter adduxit, & quia nullam hominum sortem excludit, optimè dicit: ***ex omni genere piscium*** congregasse sub signo religiosi instituti: Hebræos, Græcos, Latinos Sapientes, & Idiotas, Principes & subditos, Nobiles ac ignobiles, pauperes & locupletes, magnos, & parvos. Hac quippe viâ Respublica religiosa indies ex unione multorum incrementum sumet, ac magis confortabitur, & mutuis exemplis ad altiorem Spiritum, & majorem sanctimoniam omnes exstimulabuntur: unde paucis immutatis, repetere licet assertum S. Greg. Papæ homil. 11. in Evangelia: *Ecclesia* (sive Religio) *ex omni genere piscium congregat, quia ad peccatorum veniam,* (imo ad perfectionis apicem) *sapientes & fatuos, liberos & servos, divites & pauperes, fortes & infirmos vocat.*

78. Quamvis adjungendum sit, altâque mente reponendum, haud quaquam ad certitudinem vel pignus salutis sufficere, inclusum esse reti Religioso, sed præterea postulari à nobis bonitatem vitæ, fidem, charitatem, humilitatem, innocentiam &c et eas actiones, quibus in vasa gloriæ præparemur. Nihil prodesset, S. Hieronymus ait, Hierosolymis vixisse nisi sanctior vita instituatur. Cùm Monasterium ingredimur, vitia secularia proscripta foris relinguantur: & quandoquidem vitam socialem, & communem amplexi sumus, absit, quòd vel nobilis *habeat fastidio* pauperes, & humili loco natos, vel vicissim isti inflentur societate nobilium. Pretiosissimum charitatis vinculum àdstringat omnes in sanctâ pace: dumque Canonici ardenter inserviunt Domino in templo, ad altare, in cathedrâ, explicando veritates Evangelicas, & sacramenta divina administrando, fratres conversi, & laici fideliter ac prudenter in officiis

officinis commissis operentur, & Canonicis devota sua, humilia & parata exhibeant obsequia, ut unusquisque, impletis omnibus officiis, injuncti muneris ex jugo Christi, mansuetè sanctèque portato, pennas recipiat, quibus ad beatas sempiternasque mercedes evehatur.



Ex

CAPITE I.

Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Cap. 1.

Cum opibus terrenis etiam affectum esse exuendum.

DISCURSUS IX.

ALiàs amorem religiosæ paupertatis persuadere vobis conabor 79.
O AA! nunc summo affectu & animi contentione ad inquirendum & avidè possidendum magnum mirabilemque Thesaurum omnes invito, complectitur is immensas cœli divitias, & tamen defossus latet sub vilissimâ glebâ terræ, *Simile est regnum Cœlorum, thesauro abscondito in agro.* Matth. 13. v. 44. ruri occultatur, & contingat alicui innotescere, *quem, qui invenit homo, abscondit*, ingenti gaudio eruit, ac rursum diligentissimè colat. Thesaurus est adeò incomparabilis pretii, ut justè ac sapienter pro ejus adeptione omnes possibiles fortunæ vilescant, & erogentur, qui enim reperit, *vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum.* Nempe renuntiandum est omnibus, ad obtinendum bonum, quod omnia excedit. Porro, voluntas, & affectus noster frui nequeat quæstu duplicis thesauri, cœlestis, & terreni, fluxi ac æterni, divini, ac humani; quisquis animam vult ca-

pacem reddere DEI, qui transscendit omnem thesaurum, & bonum est infinitum, oportet penitus privari omni re, quæ Deus non est: atque denotatur his verbis: *vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.* Consentit magnus Gregorius homil. 11. *Agrum profectò, venditis omnibus, comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cælestis custodiam calcat.*

80. Age igitur, si Deo frui Sanctamque illius gratiam indipisci velis, ille est Thesaurus, post angustos claustrorum cancellos, in abditâ solitudine Religionis invenitur. Si quis seriò potiri cupit, & facultates terrenas possidet, necessario iis nuntium mittit & prorsus abdicat: *qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune*: quibus verò res angusta domi, ut cum inopiâ luctarentur, necesse est etiam desiderium habendi radicitus evelli. *Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Non enim sufficit*, ait Hugo Victorinus, *exteriorem relinquere substantiam, nisi interiorem abscindamus concupiscentiam.* Et iterum: *primùm jubemur habita deserere, deinde terrena non quærere, ut postea celerius ad cælestia possimus anhelare.*

81. Vita Religiosorum in duas classes universè distribuitur, Monachorum scilicet ac Clericorum: illi originem censentur trahere ab Eliâ & Elisæo, isti ab ordine Levitico.

Cæterum Palæstina, pinguis illa regio, cùm in duodecim tribus dispertiretur, nulla pars obvenit Levitis, utpote qui Decimis, largisque populi oblationibus alerentur, & curis terrenis liberis, meris Dei obsequiis, vacarent; unicè intenti custodiæ tabernaculis, hymnis, & laudibus divinis persolvendis, præparandis, & purificandis victimis vasisque sacris, ministerio Sacerdotum & Pontificum in Sacrificiis rectè obeundis &c. unde quòd opportunè Divus Ambrosius in Psal. 118. v. 57. *Portio mea*, observat ipsum nomen *Levi*, quod denominationem tribuit Levitis, *significat ipse mihi assumptus, significat ipse meus, hoc & non alii tributarius, non decimarius, sed ipse mihi possessio, ipse meus fructus, ipse meus census assumptus mihi, vel assumptus à me.* Quod si verò Levitæ, velut apertius prototyporo Clericorum & Canonicorum Regularium vi suæ professionis elevati sunt supra turbas fidelium, Mundo superiores, & selecti ad pura obsequia DEO præstanda, perspicuum erit, quicunque desiderat servis DEI, & Religiosis annumerari, à curis & commoditatibus sæculi expedire se debere: *sit talis,* inquit S. Ambrosius l. c. *alienus à vitiis, segregatus ab omni labe peccati, qui nihil habeat commune cum sæculo,*

nihil

nihil Mundi hujus vindicet sibi, cui non sit corporalium possessio cupiditatum &c. nec aliud ptorsus intendit S. Augustinus, cùm præcipit: *qui aliquid habebant in sæculo*, quando initiantur DEO, *libenter velint illud esse commune.* Et qui opibus destituti sunt, etiam cupiditates abjiciant, quo seposito, quovis onere aut impedimento agilius elati DEO fruantur & inhæreant.

Profundiorem indaginem postulare videtur narratio, quam S Joannes cap. 1. Apocalypsis instituit: singulari favore admissus est in conspectum amantissimi sui Magistri, qui visendum se præbuit Majestate tremendâ, oculis ardentibus, ore bicipiti, gladio armato, voce instar fragoris aquarum, insolito impetu collisarum: ex quo Joannem tantus corripuit horror, ut Sanctis pedibus advolutus jacuerit tanquam vitâ defunctus. *Cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus* Apoc. 1. v. 17. Superi! si aliud is non conspexit, quàm gaudium sui cordis, delectissimum Redemptorem, quare invadit glacies venas, faciem pallor, omnes artus miserabils tremor? In cœnâ ultimâ confidenter caput deposuit in sinu illius, & modò horreat oculos attolere ac intueri vultum? adspicit authorem vitæ, & detruditur in angustias mortis, cupidus sequendi ac inserviendi adgeniculatur, & hæret in luctuosâ vertigine & horrore ad extremũ quasi agonẽ perductus? quid dicemus ad hæc. 82.

Convertamus oculos in Campos Damascenos, atque ex memorandis Sauli gestis discemus causam, cur Joannes animo lingui cæperit. Ille quippe efferus irâ, & ferociter spirans minarum, cœlo bellũ moliebatur, sed publicâ in viâ cecidit humi prostratus; qui Leonis instar furibundus grassabatur, contremuit more Leporis, ac sagittâ lucis confixus in cæcitatem incidit pretioso visûs Thesauro orbatus. *Apertisque oculis nihil videbat.* Act. 9. v. 8. Disquirunt hîc Doctores ac Interpretes, quare Dominus Deus, cùm voluerit ad sanctam fidem dirigere Saulum in viâ, potentiâ privarit, ne videret viam? si voluit ditare gratiâ, cum miseriis depressit? si placuit eum penitùs illuminari, quam ob rem tenebris involvit? ac excæcat? Respondeo. Divina bonitas assumere Paulum decreverat, mutato ex fero Synagogæ Ministerio in mansuetum Christi Apostolum, idcirco habuit patulas aures, ad excipiendum supremi Numinis imperium: *audivit vocem dicentem sibi*, & morigeram ostendit voluntatem: *Domine, quid me vis facere?* at oculorum acie destituebatur interim, *& nihil videbat*: nullum sæculare objectum, nulla res Mundi occurrebat, quæ animum distraheret, sed spiritu prorsus libero, & ab omni mole vel turbâ negotiorum 83.

 expedito

expedito ad sinceram servitutem DEI se accingebat, nempe verba sunt S. Ambrosii lib. 1. de Abraham c. 9. *desinit videre sacularia, qui incipit audire divina.*

84. Ecce jam rationem, quare dilectus ille discipulus coràm pedibus Domini, cujus vestigia denuo sequi, & pensare ardentissimè quærebat, corruerit, & tanquam mortuus elanguerit; videlicet proprio voluit commonstrare exemplo, illum reverà satis aptè disponi ad servitium Dei, qui secundùm inclinationes cordis mortuus est commoditatibus sæculi, qui facultates, domus, sanguine junctos relinquit, qui vanitatibus Mundi amplius non immoratur, qui vitiis & concupiscentiis sub jugum missis ad solum Deum anhelat, jure sibi usurpans S. Petri verba: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Matth. 19. v. 27. neque in vanum gloriari poterit cum Doctore gentium: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Gal. 2 quod idem Apostolus repetit, gratulatur Colossensibus c. 3. v. 3, *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in DEO.* O felicem Religiosum illum, qui motus naturæ ita confixit, ac in Christo mortificavit, ut vitam vivat tantùm in magno DEO!

85. Verùm cur alibi magis quam in magno Patre nostro Augustino mirabiles hos affectus rimamur? fuderat ille torrentem amarissimarum lacrymarum aluendas sordes animæ suæ, tantâque vi rapiebatur in amorem & obsequium Numinis, ut, velut alter Phænix, non alio quâm cœlesti arderet incendio. Ah facessite, exclamabat identidem, facessite impostoris Mundi fallaces spes; nec enim aliud inposterum cor meum suspirabit vel admittet, quàm Deum unicum! Ita vanæ uxorum blanditiæ! valete amores teneri filiorum, non ambio auri cumulos, non honorum titulos; valete celebratæ exedræ & cives docentis ore tam avidè pendentes! non laborabit amplius volubilis lingua mea in tradendis litteris humanis, & scientiis Mundi, quoniam spiritus meus vocatur ad perdiscenda mysteria divina: nec amplius dies meos transigam inter applausus literatorum, sed remotus â strepitu sæcularium tricarum, in secessu quodam mentem meam excolere satagam, ut proferat fructus vitæ æternæ: atque ita generosè renuntians omnibus, quæ justè possederat, & obturans aures, advertes vanissimas Sirenum Mundi suggestiones, *non jam uxorem*, utut habetur sect. 6. in convers. 5. Maji, *non filios carnis, non sæculi divitias, non honores quærens, sed soli Deo placere studens, totus ad Deum ex intimis præcordiis est conversus:* Ita ceu navis fluctibus jactata, mercibus projectis, salva è medio tempestatis emersit, & portum

tum beatæ felicitatis sublit; ità ceu nova aquila, spretis nativis rupibus, evolavit usque ad sphæramSolis;ita velut alter Elias pallium exuit,atque in curru innocentium flammarum ad paradisum conscendit. Has gnomas ex Hugone Victorino hausimus, qui ait: *jubemur habita deserere, deinde terrena non quærere, ut postea celerius ad cælestia possimus anhelare.*

Neminem,opinor,fidelium latet visio illa mirabilis, qua Moysen famulum suum dignatus est Dominus in deserto montis Horeb: rubus & spinis armatus, & flammis coronatus, aptabatur in sedem seu thronum, in quo Deus apparere voluit; obstupuit Moyses, novitate rei perculsus, & propius accedere, quo curiositatem impleret, ac pasceret oculos,constituit: sed repente sistere jubetur; nec appropinquare magis, nisi calceos prius deposuisset. *Solve calceamentum de pedibus tuis* Exod. 3. v. 5. quod nullatenus terra Sancta calcanda esset pedibus, quos pelles mortuorum animalium obvolverent: *Locus enim in quo stas, terra sancta est.* scio sacrum hunc textum inexhaustam esse aurifodinam omnis generis documentorum verùm inpræsenti vestigiis S. Bernardi insistens dicam, terram sanctam esse Monasterium à servis Dei, velut totidem Angelis carne vestitis inhabitatum, hîc sanè germinat spineta pænitentiæ, macerationis,ciliciorum: hîc lata coruscant insontes flammæ ferventissimorum affectuum, & amoris in Deum ac proximum ardentis. Unde non abs re concluseris, hanc esse terram sanctam, in qua Deus commoratur. *Hic Domus DEI est & porta cæli* Gen. 28. v. 17. Nosti,optimeReligiose, pedibus tuis designari mentis affectus; *non enim movetur anima pedibus, sed affectibus*, ait S. Augustinus, & rursum: pes tuus, affectus tuus. Quando igitur pedes tui, hoc est, affectus tui forsan ligati sunt,ac involuti exuviis brutorum, sive operibus, & desideriis sensualibus flagitiosis, & homine Christiano, ne dicam religio,soindignis avaritiæ, odii, lasciviæ &c. omni conatu ac studio debes emergere, atque perruptis vinculis, & repagulis in libertatem eluctari, & puritatem prosequi, nec enim congruit loco sacrato affectus profanus, nec potest Domus Dei tolerare incolas impuros, & sceleribus contaminatos. *Cella terra sancta, & locus sanctus est,* scribit S. Bernardus ad fratres de monte DEI. *Morticinium mortuarum affectionum vel hominem mortuum à corde locus sanctus, vel terra sancta nequaquam dici patitur.* Apage proin cum quisquiliis, & rebus vilissimis cum terrenis curis & sæcularibus desideriis! nequit animaReligiosa adDeum adscendere,nisi prius magnanimo pede proculcarit, & fugaces divitias, & terrenos ac pulverulentos affectus. 86.

Expressum


87. Expressim Christus discipulis suis in mandatis dedit, ut si forsan Evangelicam doctrinam civitati cuipiam annuntiarent, eamque refractariam & contumacem deprehenderent, actutum egrederentur, etiam pulvere pedum adversus illam excusso: *Quicunque non acceperint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris.* Marc. 6. v. 11. quod sanè mandatum impigrè exhauserunt Paulus & Barnabas, quando Antiochiæ, Piscidiæ cives ac Judeos extremâ pervicatiâ resistere verbo Dei experti: *excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.* Act. 13. v. 51. excusserunt pulverem pedum, quô palam contestarentur, & ipso facto exclamarent. O infortunatos longæ peregrinationis nostræ labores, quibus nullus omninò respondet fructus, sed inventum sparsi evanuêre, ad modum pulveris hujus in aëra dispersi. Excesserunt pulverem ad manifestandum, se populos, qui Sanctum Evangelium suscipere detrectant, ut exoso cœlo relinquere, nec pulverem ipsum intra civitatem obambulando collectum, sufferre posse, tanquam abominabilem. Excusserunt pulverem in testimonium apertæ incredulitatis Antiochensium, at pulvis ille in extremi judicii die coalescet in nubem, & fulmina severissimi supplicii contorquebit in eos: nam, consentiente S. Hilario in Matth. 10. 14. *Signo pulveris pedibus excussi æterna maledictio relinquetur.* Verùm quidquid alii ex abjecto hoc pulvere colligant, mihi placèt eruere unicum magni ponderis documentum ad vestram instructionem, ac utilitatem O Religiosi! si civitate hujus Mundi exceditis, commigraturi in urbem refugii, & domum Dei, quæ religio est, haud quaquam sufficit relinqure ædes paternas, sanguine junctos, vel morum similitudine amicos, sed oportet pedes abstergere, nec umbram aut vestigium introducere pulveris mundani: *excutite pulverem:* Superbarum cogitationum, ne vos comitentur, neve efferant: *excutite pulverem* affectuum, lucris, & opibus avarè inhiantium. *Excutite pulverem*; Memoriæ illecebrarum, & turpium scandalorum: atque ita pedibus nudis, *puris*, & mundis, Angelorum instar, cœlesti viæ insistite, & sanctissimi agni legite vestigia.

88. Refertur in sacrâ Genesi Rachelem, cum fugeret lares patrios, habitatura deinceps in tentoriis mariti sui Jacobi, clanculum abstulisse idola sacrilegè â Parente suo adorata. Gen 31. v. 19. Illaque subinde â S. Patriarchâ ad radices Terebinthi cujusdam in profundissima caverna fuisse defossa, ne amplius in faciem cœli emergerent, quæ monstra inferni repræsentabant. Avertant Superi, ne quispiam vestrûm morem Rachelis imitatus, cùm sæculo exit, atque ad monasterium, quæ

sunt

sunt Dei tabernacula, se confert, adsportet secum Idola propudiosæ Veneris, concupiscentiarum; sordidi Plutonis divitiarum, ferocientis Martis irarum & contentionum: sed potiùs ex adverso omnia, qua Jacob prævivit, sub terebintho sanctæ crucis tumulentur, ne unquam vobis imposterum prævaleant, sed exempti vos luctuosâ illâ execrabili servitute, atque in libertatem filiorum DEI asserti feliciter ad supremam hæreditatem enitamini.

Ut primum Abraham Patriarcha cœleste jussum inaudiit; abdicato Patris officio, & munere Sacerdotis assumpto unicum suum filium in holocaustum designavit DEO Optimo Maximo: ac impositis Isaaco lignis ad aram & rogū necessariis viæ se accinxit, gestans in *manibus Ignem & gladium.* Ambæ igitur manus ita ex toto erant occupatæ; tùm apprehendendo ferrum funestæ cædi deputatum tùm facem vibrando, adeo memorabili suscitando incendio sacram, ut alteri usui esse non possent: Satis erat Abrahamo ense præcidere, & igne in cineres redigere, quidquid divino adversaretur præcepto. Qua de re Philo Hebræus L. de Cherubim. *Sapiens ille Abraham,* inquit, *quando incæpit juxta Deum metiri omnia, nihil creaturæ tribuens, accipit ignem & glaudium, resecare, & exurere quidquid mortale habebat, ut expeditâ cogitatione sublimis ad eum evolaret.* Sicuti verò Abraham illectus desiderio Creatori suo integrè obsequendi, triumphavit omnem humanam & violentam affectionem, paratus amputare, flammisque devorandis dare, si quod obstaculum poneretur, ne alioquin â summo bono disjungeretur, ita nos convenit præcingi gladio, de quo Salvator: *non veni pacem mittere, sed gladium.* Matth. 16. v. 34. & amputare nodos gordios quorumlibet sequiorum animi motuum, deinde amplecti illum, de quo idem Dominus testatur, *ignem veni mittere in terram* Luc. 12. v. 49. quo concremetur alium quemcunque ignem vitioso è fomite in nobis excitatum. Hac ratione profectò servus Dei ad modum arboris truncæ ascendet *ramis recisis altius,* & instar Eliæ beneficio flammarum supra Mundum elatus felicissimè transiliet in paradisum, 89.



Ex

CAPITE I.

Eorum Infirmitati, quod opus est tribuatur, etiamsi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterant invenire.

Infimis etiam servis de necessariis esse providendum.

DISCURSUS X.

60 TAndem aliquando, ubi obscuri, & tetrici dies molestæ hyemis abeunt, locumque cedunt temperato Veri, tum cælum, & terra mirabiliter in amænitatem omnem conspirant, quo Mundus innovatus vigorem resumat. Interea cum squalida, ac iners tellus torpescit, anxièque anhelat ad rorem & pingues pluvias, quibus cespites irrigentur, & abjecta penèque emortua germina fæcundentur; DEUS benignissimè solatium & auxilium parat. unde Virg. 2. Georg.

Tum Pater Omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ, descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

91. Infinita illa Bonitas & Providentia, quæ instaurat, fovet, ac tuetur vilissimos arborum stolones, & sylvarum germina, & surculos, patheticè vos docet, O Prælati, Præsides, Rectores Canoniarum, & Monasteriorum assistere, pascere, & providere minimis illis famulis, ab extremâ paupertate adductis, ut Religiosis inserviant. Tametsi autem in sæculari statu necessariis vitæ adminiculis caruissent, nihilominus in religione quoad omnia paternè prospiciatur: id enim regula disertè mandat: *Eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiamsi paupertas eorum, quando foris*

foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire. Quem in locum sapienter Hugo Victorinus noster discurrit, inquiens: *sivè enim divites sint, sive pauperes, sive nobiles, sive ignobiles, quicunque accedunt ad servitutem Christi, justum est, ut vivant de annonâ Christi, dignus est enim operarius mercede suâ.*

Inter præconia, quibus in Sacris Literis frequentius celebratur DEUS, haud dubiè titulus Patris eminet: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Deut. 32. v. 6. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & Susceptor salutis meæ.* Psal 88. v. 27. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Sap, 14. v. 3. & sanè est, cur plenis vocibus proclametur Pater, quoniam incredibili quadam teneritudine nos velut amantissimos filios enutrit, solicitus, ut ibi angustiæ, & calamitates inundant, sua misericordia latius exuberet. Unde in Oratione Dominicâ vix invocatur: *Pater noster, qui es in cælis.* Matth. 6. v. 9. & continuò supplicatur: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ab ipso poscuntur alimenta: quippe qui pronâ voluntate, abundanterque *dat escam omni carni* Psal. 135. v. 25. *& aperit manum suam, & implet omne animal benedictione.* Psal. 144. v. 16. Vide sis ergo, & agedum, ò bone Prælate, qui sub titulo Abbatis geris nomenclaturam Patris, & iisdem Numinis gaudes prærogativis, si subditis abjectioribus, & oppressis majoribus ærumnis, liberaliter succurras, & paternè provideas: profectò opera DEI præstabis: ita extimulat S. Gregorius Naz. orat. de curâ pauperum: *fratri calamitoso sis DEUS, DEI misericordiam imitando.* Ita suggerit Strabo L. 10. dicens: *homines maximè DEOS imitari, quando benefecerint.* Sed pace vestrâ ex recondito sacri Epithalamii textu auspicabor hunc meum discursum. 92.

Cant. 4. v. 1. delineatur symbolica effigies sacræ Sponsæ sub pluribus ingeniosis metaphoris: & capillitium ita quidem prædicatur: *capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Nolim jam diutius immorari liberali sensui, figuratæ hujus locutionis, probè gnarus, quod sicut non injucunda est facies gregis caprarum, quæ pascuntur è latere vicini montis, oppositæ radiis obliqui Solis variegatos, mundosque pilos collustrantis, ita coma Sponsæ longiuscula densa, subflava, miram præseferre pulchritudinem censeatur: sed relicto cordice, sensûs literalis, gustemus medullam, & allegoriam ipsam penitus inspiciamus. Duas res copulari hic video, & Capillos Sponsæ, & gregem caprarum: ex mente S. Ambrosii edicam capillos velut totius corporis ornamentum esse imaginem Prælatorum, qui merito virtutum, 93.

& status sublimitate *compagem mysticam*, monasterii corpus eminentius excedunt: *capillamentum verbi est altitudo, & eminentia quadam justarum animarum.* S. Ambrosius in Cant. Interim altitudini crineum adjunguntur greges caprarum, ad instructionem, quod, quemadmodum capræ, mamillas gerunt, pingni dulcique lacte fœcundas, & lubentissimè proles suas, imbelles ac indigas fovent, & nutriunt, *cernere licet*, verba sunt Ambrosii, *uberi lacte distentas super teneram sobolem materna pietate solicitas.* Ita Præsides religionum, qui more capillorum eminent, & maternam curam induant, præbendo subditis ubera, & conferendo lac, cibum, alimenta etiam postremis familiæ, & cœteroquin maximè inhonoris, id namque regula exigit: *eorum infirmitati quod opus est tribuatur, etsi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterant invenire.*

94. Nec dum sacra Cantica nos dimittunt, adeo scatent profundioribus sensis. Quo loco vulgata nostra Editio, perhibet Deum recreari, & pasci in mediis liliis nostræ castitatis, puritatis, ac iñocentiæ: *pascitur inter lilia*, textus Hebraicus exponit verbo activo: *pascit in liliis*, quod verti etiam posset, *qui pascit lilia*, & Septuaginta legunt: *Pastorem agens in liliis*, quod probari videtur Divo Ambrosio in Hymno: quem Ecclesia Virginibus consecrat: *qui pascis inter lilia*: Quod si autem Dominus Deus amænè pascitur inter lilia, & una liliis opima pascua accomodat, jure asseveraverim, singulari quodam affectu inter Canonicos Regulares commorari, qui tanquam candida lilia in Monasteriis ceu sacris hortis consita impendiò pascunt sanctâ solitudine, devotione, sacrificiis, & exercitiis religiosis, vicissim autem pascuntur uberi gratiarum influxu. Audite Bernardum Serm. 71. Cant. *Et cum pascit pascitur, & pascitur cum pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro aquè spirituali profectu gaudens.* Verum plura cum sint liliorum genera, quædam albicantia nivibus coöperta, quædam rubicosa purpureis vescita flammis, alia compta ceruleo amictu, quædam elatiora, alia in vallibus reclinata. Quamvis Deus pascet lilia tum dignitate sublimia, tum fervore spiritûs ardentia, tum contemplationis officio cœlestia, attamen plus cœteris afficitur in ea, quæ serpunt in depressâ valle miserabilis conditionis, ultimæ humilitatis, ac paupertatis. Eapropter ipsemet gloriatur esse *lilium convallium* Cant. 6. v. 1. rationem subjungit D. Ambrosius l. 3. de virg. *quia est flos humilitatis & simplicitatis.* Quoad pauperibus simplicibus demissis efficatius opituletur, & suis gratiis copiosius communiat: Ita *qui in altissimis est Dominus in imis est dilectus.* S. Bernardus, Serm. 70. Cant.

Inter

Inter plantas cùm versemur, ex hortis Salomonis suavissimo liliorum odore perflatis convertamus nos ad arborem obstupescendæ molis Nabuchodonosori Regi in somno exhibitam. Erat illa tantæ altitudinis, ut verticem cœlestibus sphæris videretur inserere, tantæ vastitatis, & amplitudinis, ut immensa terrarum spatia inumbraret, tantæ fortitudinis ut æri ac adamanti litem propterea intendere posset; *magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum.* Si folia attendas, insolitam ostendant elegantiam, si fructus æstimes, opinionem & fidem excedunt, siquidem in ramis ludibundæ volucres alebantur, & sub umbrâ omnis generis animalia superfluum pastum nanciscebantur. Quem existimatis AA. designari arbore tam exoticâ? non alium certè, nisi ipsum Regem, potentissimum, ditissimum, & eorum, quos oriens Sol lustrabat, maximum: *arborem quam vidisti sublimem, atque robustam &c. tu es Rex.* Si verò urgeris, & scire vultis, quænam fuerit inter tot regias dotes præstantissima, esse asseram universalem ejus liberalitatem, ac munificam profidentiam, ut adeò cùm robur, eminentia, amplitudo vix attingerentur, explicatè providentia laudibus extolleretur, attestando creaturas omnes ab hac arbore sumpsisse alimentum: *esca universorum in eâ,* & rursus: *ex eâ vescebatur omnis caro.* O igitur dignam æternâ memoriâ generositatem Nabuchodonosoris! qui non tantum domesticis, & aulæ ministris, quod Salomon præstiterat, de necessariis providit: nec solùm indigenas pavit latissimi sui regni, sed aluit etiam volucres cœli, & adeò largè dispensavit beneficia, *ut animalia quoque & bestia,* pecora campi, & feræ sylvarum vitæ subsidiis ab ipso instruerentur; Ita imitatur magnum Deum nostrum, aperuit manum & adimplevit *omne animal* etiam despicatissimum, & vilissimum benedictione. 95.

Ad incomparabilem hanc gloriam S P. Augustinus invitat. O Prælati, à vestrâ sollicitudine postulat derivari *escam universorum,* ut alimenta è communi promptuario monasterii subministrentur tùm Doctoribus, qui in Cathedris ac suggestis, tùm oeconomis, qui sedulò temporalia canoniæ commoda procurant, tum Sacerdotibus, qui deserviunt templo, choro, altari, tùm ministris, quibus officinarum cura est commissa, tum vel maximè iuventur, & considerentur etiam illi, qui fuligine obducti culinam verrunt, sordidas lances, & vasa coquinaria eluunt: hoc quippe ordinat regula: *eorum infirmitati, quod opus est tribuatur, etiamsi paupertas eorum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire.* 96.

Mirabilis, & notatu apprimè dignus videtur Psalmi 131. con-
97. textus, quàm primum David præ gaudio exclamavit: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.* O felicem sortem! O magnam vitæ religiosæ in communi exactæ jucunditatem! causam mox subdit: *sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* Quasi apertè diceret: illa est præcipua vitæ communis felicitas, quod Charitas, & religiosa promisso instar pretiosissimi aromatis primò quidem capiti sive Prælato, exinde cæteris omnibus abundè impertiatur. Primas vendicat Abbas & ipse Pontifex *unguentum in capite*, inde defluit ad mentum seu ministros propiores, *descendit in barbam, barbam Aaron.* Nec sistit, sed ulterius diffunditur, ad pectus & partes corporis hujus mystici inferiores, atque dum etiam infimi quique persentiscant, limbo & vestium peniculamentis expressi; *descendit in oram vestimenti ejus.* Id moris exactè servavit Samuel, cum Saulem in Regem uncturus triginta viros nobiles invitavit, ut Vulgata habet, patiterque lauto convivio quadraginta alios è vulgo adhibuit. Mendoz. tr. 3. f. 68. n. 6. Assuerus quoque, postea quam Magnates, & Principes regni sex mensium spatio apparatis, epipareepulis, & mille dapum cupediis saginavit potius, quàm recreavit, tamen diebus septem liberali mensâ metropolis suæ cives, & minimos trivialesque homines excepit. Nec minùs salutis nostræ vindex amantissimus, cum turbas videret in solicitudine fame, omniumque rerum penuriâ fermè enectas, miseriâ motus tot millibus famelicorum alimoniam benignè contulit, ipso facto communefaciens: *infirmitati eorum tribuatur*, etiamsi penitus *paupertas eorum*, nec ipsa necessaria poterat invenire.

98. A cibo pauperum turmæ collato sermonem convertamus ad potum sitibundis præbitum. Abraham ætate jam multùm profectus, & perquam cupidus conjugem filio suo Isaac jungendi, id negotii cuidam ex suis servis fide, prudentiâ, & solertiâ magis conspicuo mandavit. Hic imperata facturus penetravit in Mesopotamiam, & extra civitatem Nachor quietem cæpit ad fontem, quò sub crepusculum exierunt aquas hausturæ nobiles filiæ, Divinâ sic aspirante gratiâ, secum statuit famulus, illam seligere in Sponsam hero suo, quæ rogata vellet paululum aquæ ad extinguendam suam sitim largiri, sponte suâ etiam camelos suos potaret. Et ecce dum vix Rebeccæ lectissimæ Virgini petitionem exposuit: cùm placidissimè respondit: perlibenter: *bibe Domine mi celeriter: quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Gen. 48. v. 18.

48. v. 18. unde ad tam comem oblationem illi reciprocè præclara & ditissima contradidit munera, & è vestigio in Sponsam Isaaco designat: Nimirum prudens & fidelis admodum ille servus non venustatem corporis, non nobilitatem generis, non côpiam divitiarum, sed unam, & solam animæ virtutem spectavit, cùmque in comperto haberet, adeo pronam in advenas Charitatem, ut non servo tantum postulatam indulgeret refocillationem, sed ultrò etiam camelos potaret, dignam censuit, quæ ficeret Nurus Abrahami, Sponsa Isaaci, Mater Jacobi numerans inter servos nepotes, ipsum etiam humanâ carne vestitum Salvatorem Mundi.

O ter felices animæ, quibus ad imitationem Rebeccæ curæ est, 99.
omni benevolentiâ, miserias aliorum depellere, & refrigeria, sivè petita, sivè non petita prompte offerre: pascere Canonicos & famulos, cunctisque auxilia necessaria contribuere usque ad Camelum, quod Ligures proverbio ajunt, hoc est, usque ad eos, qui ultimis Monasterii occupationibus distinentur; hac sanè Charitate vos dignos reddetis, quos DEUS in Sponsas suas assumat & monilibus suorum charismatum & gratiarum exornet; ac tandem universali applausu in cœlestibus tabernaculis recipiat, opere in vobis adimplens infallibile promissum Matth. 10. v. 42. *qui proximo dederit in necessitate calicem aquæ frigidæ*, non perdet mercedem suam.



Ex

Ex

CAPITE I.

Nec erigant Cervicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant.

Conversos, quàm necessarii sunt, tam officiosos esse debere.

DISCURSUS XI.

100. MAximopere Sancto Patriarchæ Noemo bilem movit, ubi rescíit ab impio & temerario filio suo ac Nepote Cham, & Chanaam nuditatem suam derisam fuisse, ac ludibrio habitam, unde verbis non tam objurgationis, quàm indubitatæ præsagitionis prosapiæ Chananæorum servitutem indixit ignominiosissimam unâ ac summè calamitosam. *Maledictus Chanaam servus servorum erit fratribus suis.* Gen. 9. v. 25. Quæ dira servitutis imprecatio ad eum usque diem inaudita in sacris literis, ad duo revocatur capita: primum servitutem imponit, dein serviendum auguratur iis, qui ipsi nullâ gaudent libertate, sed aliis servitio sunt mancipati. Hanc phrasin formamque loquendi præ nimiâ suâ submissione usurpavit S. Gregorius Papa, quem exinde Romani Pontifices imitantur declarando, se servos eorum, qui Domino serviunt. *Clemens decimus, Servus Servorum DEI*: Loquendo de statu ac professione religiosâ, haud dubiè Servi Dei sunt Canonici, Monachi, & quotquot operam navant prædicationi Evangelicæ veritatis & promulgandis è Cathedrâ doctrinis Catholicis; SS. Sacramentis administrandis, templo, choro, altari providendis, at servos servorum congruè nuncupaveris Laicos, qui habitu sacro induti humilioribus, & inferioribus monasterii applicantur ministeriis, puta colendis hortis, verrendis claustris, cibis parandis victui quærendo, mensæ servitio obeundo, curæ infirmorum gerendæ; hi tales propriè *servi servorum* appellantur: plerique cum degerent in sæculo, miserâ conflictabantur paupertate: at canonicorum benigni-

gnitate monasterio aggregati, *invenerunt victum & tegumentum, quale foris invenire non potuerunt.* attamen non est, quòd insilentur, quia insignibus viris familiariter utuntur, potius intra modestiæ limites se contineant, reverentiam, obsequium deferant, magni æstiment, ac devotè inserviant ex regulæ præscripto, *Non erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant. &c.* Age igitur, quod apta religionis gubernatio exigat laicos famulaturos iis, qui unico DEI servitio deputati aliis occupationibus abstinent, priore parte præsentis discursûs disseram, quod autem iidem cum profundâ sui submissione, Religiosâ charitate, venerabundo famulatu exigere vitam debeant, conclusionis erit argumentum.

Omnia prorsus ornamenta, quibus affluit Sancta Mater Ecclesia, 101.
divite venâ â Spiritu Sancto promanate, veritas est Sole meridiano lucu-lentior: derivantur inde dono gratiæ, lumina fidei, illustrationes Prophetiæ, ministrationes ad utilitatem, communicatio doctrinæ, virtus miraculorum, notitia idiomatum, interpretatio Scripturarum, & quemadmodum S. Paulus docet 1. Cor. 12. v. 11. *hæc omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult:* sicut ergo omnia humani corporis membra vim recipiunt, & vigorem ab animâ sibi consentaneum, quo videt oculus, auris percipit sonum, palatum sapores discernit, intellectus speculatur, lingua loquitur, manus operatur, & pes progreditur; ita in corpore mystico, quod est Ecclesia, è variis membris coagmentata, sunt Apostoli, Prophetæ, Doctores, Interpretes Scripturarum, Patratores miraculorũ, *& omnia operatur unus & idem Spiritus.* Idem sentiendum de Religione particulari, quæ coalescit è pluribus Personis velut totidem membris, diversa officia perficientibus, unitis tamen omnibus in ordine ad unum corpus constituendum cujus quidem caput est Prælatus, vicem oculorum supplent viri acuti, & contemplationibus dediti: Prædicatores linguæ muniis funguntur: Confessarii, & obedientes instar aurium se habent. *Qui enim administrant,* inquit S. Dorotheus doct. 6. *Caput: qui verò speculantur, & corrigunt, Oculi, qui sermone prosunt, os, obediunt, aures.* Per manus pedesque hujus corporis rectè intelliguntur Laici, quibus incumbit corporeis, & manualibus exercitiis insistere, ac circuire quocunque necessitas vocat operis, & utilitas monasterii. Porro, ut oculus pars nobilior labore manuum eget, caputque robore ac humilitate pedum fulcitur: Unde *non potest oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii* 1. Cor. 12. v. 5. ita etiam manus ac pedes, â capitis, & oculo-

oculorum directione pendere debent, ut omnia mutuò connectantur Quod Horatius in arte testatur:

Alteriusſic
Altera poſcit, opem res, & concurat amicè.

102 Celeberrimum illud castellum, quod Salvator intraverat, ex mente SS. Basilii c. 2. constit. Mon. Hieronymi in cap. 1. Thren. Thomæ Aquinat. 22. q. 182. perquam aperte significat felicitatem monasterii, in quo venerationem & famulitium recipere dignatur filius DEI. Cæterum duæ ibidem extiterunt sorores: Martha, & Maria, illa typum præseferens vitæ activæ, ista contemplativæ: hîc pariter adsunt Sacerdotes, & Clerici defixi ad pedes Servatoris nòn absimiles Mariæ, ita reliqui pensi non habent, sed uni DEO assistunt per spirituales exercitationes, videlicet orationem, piam commentationem, operosam divini verbi promulgationem, administrationem Sacramentorum, & curam animarum, quarum salutem medullitus sitiunt, & promovent: verum nec laici cedant sedulitati Marthæ, quoniam *certum eſt*, inquit mellifluus Abbas serm. 3. de assumpt. *hujus tenere locum fratres officiales, quos fraterna charitatis intuitus variis adminiſtrationibus deputavit. Martha* quippe *ſatagebat circa frequens miniſterium*, sivè, ut habet lectio græca, *diſtrahebatur* multiplici curâ, & operationum cumulo, magno enim fervore cernebatur, ait Jansenius, *ſurſum & deorſum currens ac ſollicitè ſatagens, ne quid omnium deeſſet, quod ad ſuaviter excipiendum tantum hoſpitem pertineret.* Non minorem postulat diligentiam officium fratris conversi, in hospitum domicilio decenter aptando, in cubiculis purgandis igne & aquâ sufficiendis, ne peregrinis quid desit, quod religiosa charitas, & modestia offerre debet, in alimentis præparandis, instruendâ mensâ, nulli studio parcat. Quapropter si fratres conversi per vitam activam Marthæ repræsentantur, oportet se continuò componant ad ejus humilitatem, velut in speculo relucentem, quo discant cum omni submissione debitum exhibere obsequium Canonicis ac suis Superioribus.

103. Perinsignis fuit vel imprudentia, vel audacia Petri, qui pauper piscator cùm esset, extractusque de luto, & conditione vilissimâ, Christo tamen præfractè contradicere non est veritus, & legem quadantenus præscribere filio DEI. Exposuit Dominus necessitatem transeundi Jerosolymam, & â principibus Sacerdotum indignissima quæque perpetiendi: quod Petro displicuit, & *capit illum increpare dicens, abſit â te, Domine.*

mine, non erit tibi hoc Matth, 16. v. 22. Quis similem unquam audivit præsumptionem, ac temeritatem? Quid ain tu O Petre? rogat. S. Augustinus in Psal 5. *dicis absit, & dicis Domine? utique si Dominus est potestate facit,* Servi est exequi voluntatem Domini, non mandata injungere eccur tu propriam egressus sphæram attentas adversari sanctissimæ illius ordinationi? latere non potest hunc tuum Zelum cum imprudentiâ, crassâque ignorantiâ esse conjunctum, atque hic ipse, ni fallor, Scopulus est, cui alliditur sæpè sæpius imprudentia conversorum, quos dubito ignaros appellemus, in superbos? quanquam Prælatus in præceptis, dat quidpiam, ac disponit, illi tamen obedire cunctantur, jussa Domini taxant, sugillant, moderantur, & quum deberent examussim operari manibus, arrogant, munus oculorum multa dispiciendo, ac docendo, nempe *sus Minervam.* Tandem stolidissimo fastu exequuntur, non id operis, quod fuerat præceptum, sed quod proprio cerebro facit satis. Ita refractarii evadunt, & oppidò ingrati iis, qui erexerant illos è luto sæculi, & traduxerant ex deserto in terram sanctam religionis, clavesque ad officinas crediderant, adversus eos insurgunt juxta illud Deut. 32. v. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit.*

Non minùs amæna, quàm ingeniosa est fabella illa, quod asinus 104.
cùm impositam humeris gestaret statuam Isidis Deæ, populusque flexo poplite, transeuntis somniatam divinitatem adoraret, ratus, honorem tantum sibi exhiberi, sese insolenter extulerit, ac nescio qua gravitate arrogantiâque incesserit: *intumescit admodum superbiens*: Alciat. Embl. 7. at Agaso putidâ hac stultâque superbiâ animadversâ, dorsum, & crura plagis, & ingeminatis ictibus oneravit, baculo dedocens errorem & vanissimum spiritum elisit. Hem tibi, ut in vivâ tabulâ depictam Conversorum quorundam temeritatem, qui ubi perspiciunt religioso habitu se ornatos esse, jussòsque præesse sacrario, penori, Cellario &c. immemores prioris suæ miserabilis conditionis magnificè se circumspiciunt: *intumescit admodum superbiens, & erigit cervicem,* opprobriis, & convitiis digniores personas impetendo, quibus ambit in statu æquari, perinde ut eidem adhibetur mensæ: verbis certè rusticis, & incultis eos offendit proque aggresti suo genio injuriis afficit, tanquam subjectos, ut qui vestimenta, cibum, & potum ab illo recipiunt. Quæ quidem pervicatia omnino meretur â Prælato subjici disciplinæ, & iteratis retundi verberibus: uti monuit Ecclesiasticus. c. 33. v. 25. *cibaria & virga, & onus asino; panis & disciplina, & opus servo.*

Quodsi cupido vos incessit clarius videndi fastum, & insolentiam
105 temerariorum hujusmodi Ministrorum: Lustrate S. Matthæum, & obstupescetis; dispertitus est variè talenta sua Dominus, uni decem assignans, alteri quinque, tertio unum; singulis præcipiens, ut pro virili negotiarentur: beneficium grato animo profitentur, & duplicato fœnore compensant ambo, & ille, cui decem, & alter cui quinque talenta fuère commissa: qui verò unum accepit, quis nescit quantâ impudentiâ, & temeritate non propriam socordiam, vel excusare, vel deprecari, sed austeritatem Domino exprobrare, ac damnare præsumpserit: *Scio, quia homo durus es, metis, ubi non seminasti &c.* Matth. 25. v. 24. Hinc sanè non obscurè colligitur, quod ubi viri copiosis dotibus, nobilitatis, comitatis, prudentiæ, scientiæque clari liberalitatem, supremi rerum arbitri, & beneficentiam submissiè venerantur, conversi è contrario homines nihil; nullis talentis conspicui, absque modestiâ & reverentiâ obvios audacter invadunt, mordent, & offendunt. Tantâ frequenter perversione in monasterio *divites humiliantur pauperes illic inflantur.*

106. Veterem apologum è libris Judicum semel & iterum commemoravimus, neque in præsenti prætereundus est, adeo confirmat appositè, quod asserimus. Conventum universalem celebrabant arbores, in commune deliberaturæ, quænam ad fastigium regium evehenda esset. Judic. 9. v. 8. prima hæc dignitas offerebatur per seriem, olivæ, fico, viti, quæ tamen sub communi prætextu renuebant amplecti onus regiminis, ratæ consultius fore, coronâ carere, quàm pinguedine, dulcedine, & liquoris suavitate, quibus abundabant, & amorem populi, ac æstimationem merebantur, privari. Quàm primum verò diadema oblatum est rhamno, asperum hoc dumetum quantocyus sese erigens, fiat, respondit, En promptum meum regnandi animum; succedite proinde, & sub umbrâ meâ requiescite, alioquin è sinu flâmmas evibrabo, quæ nec Cedris Libani parcent, *Si verè me Regem vobis constituitis, venite, & sub umbrâ meâ qui requiescite, si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & devoret cedros Libani:* Jud. 9. v. 15. Advertitis, opinor, quantum differant Oliva Sacerdotibus Regibusque injunctionis materiem subministrans, ficus distillans è ramis candorem lactis, & in fructibus mel & saccharum includens, vitis onusta pyropis, purpura, & pretiosis Thesauris, quibus præclara indoles, & nobilis naturæ genius magnam gloriam comparavit, quin propterea efferentur, & insulsum inurbanumque nuntium remitterent, sed potius modeste ac comiter

munus

munus impositum detrectarent; at spinetum â naturâ neglectum, inter squalores deserti natum, & enutritum, infelix & sterile arbustum, nec aliis usibus aptum, quàm ad pungendum, feriendum, deprædandum, spinetum hoc, inquam, postulare non erubescit, ut arbores omnes, quantumvis nobiles ac præeminentes sibi accidant, atque sub umbram suam prosternantur, secus si faxint, incendium, & exterminationem comminatur, etiam altissimis cedris Libani. Quid aliud in Religionibus est cernere, quando viri virtute ac doctrinâ præcellentes, nobilitate, & academicis gradibus conspicui, dignitatem subterfugiunt, modestiam colunt, & magno meritorum incremento *humiliantur:* Conversi econtra, per miserum illud senticetum repræsentati, atque extracti è sylvâ incultâ, nimium quantum superbâ quadam temeritate præsumunt, alios & seniores, & meliores, aspernari, lancinare, obganniri, denigrare, supprimere non verentur, *pauperes illic insilantur,*

Claudianum testem adhibeo hac in parte omni exceptione majorem, loquitur is de Eutropio, homine triviali, & è fœce vulgi emerso, â fortunâ tamen cœcâ evecto, ad prima subsellia summasque sedes ac dignitates imperii. Quid expectamus? Eutropius, ait poëta humillimo loco natus, nullâ prærogativâ naturæ admodum illustris, Cæsari tamen proximus, potestatis collatæ abusione enormi oppugnabat infensissimè; Quos natalium splendor cæteris clarius extulit, compingebat in obscuros ac tetricos carceres, quorum meritis plena applaudere theatra decuisset, catastis, ferroque gravabat? & cippo includebat, quorum virtus aureo monili fuisset dignissima: in exilium amandabat spectatissima aulæ ornamenta, & quo majorem ostentaret auctoritatem, divina, humanaque jura pedibus proculcabat: Ita 107.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum
cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes
ut se posse putent, nec bellua tetrior ulla est,
quàm servi rabies in libera colla furentis,

Elucidemus idipsum authentico S. Scripturæ testimonio, quod exhibet D. Matthæus c. 18. v. 27. Præpotens quidam Rex iniit rationem cum servis: succurrit unus, qui debebat decies mille talenta: grande æs alienum! solvendo non erat: libellum supplicem devotè porrigit, & sperare, quod non poterat, facile obtinet, summâ Regis benignitate, ac 108.

ac munificentiâ totum debitum condonatur: at barbarus ille ac inhumanissimus servus ex adverso, cum alter conservus centum deberet denarios, atque multis præcibus inducias, pro nomine hoc expediendo, flagitaret inflexibilis, quidque pietas esset, ac comiserationis nescius, instar tigridis catenis solutæ vel catulis orbatæ involat, gulam apprehendit *& tenens suffocabat eum, dicens: redde quod debes.* Expressum hoc symbolum est conversi illius rustici, ac bardi, qui videns se amantissime à *Prælato* haberi, protegi, ac foveri, alios tam inscitè, tam durè ac crudeliter persequitur, & quò plus auctoritatis indultum est, eò amplius insolescit, ac intolerabili ferociâ, & superbiâ grassatur.

109. Avertat Deus, O charissimi fratres mei, ne simile monstrum in vobis notetur! adlecti estis Religioni Apostolicæ in servitium: *Obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Ephes. 6. v. 5. obedientiam præstate uti Prælatis, ita & reliquis Canonicis Dominis vestris tùm affectione internâ, tùm veneratione externâ, haud secus, ac si effigiem Christi in iisdem agnosceretis ut partes vestras adimpletis, & illi hac ratione, honore debito, & sincerâ charitate affecti justè tractentur & benevolè acquiescant.

110. Caveant erigere cristas, quod nobilium societate fruantur, potius mentem in cœlum elevent: *sursum cor habeant*, continuam memoriam grati conservent, quibus miseriis erepti fuerint benignitate Canonicorum atque rependant, & Patronis suis, & ipsi religioni, quæ teneritudine prorsus maternâ providet, & omnium maximè DEO, quod adeo clementer sublimare dignatus fuerit: omnimodis satagant eâ demereri gratitudine, ut auxilio ejus confortati post bonam fidelemque servitutem sacris Ministris exhibitam promoveantur, assequanturque favorem illius Domini, qui se ipsum omnibus, sub signis virtutum impigrè militantibus in æternam gloriosamque mercedem reservat.



E

Ex

CAPITE I.

Nec erigant cervicem, si socientur eis, ad quos foris accedere non audebant, ne contingat detestanda perversitas, ut in Monasterio, ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.

Quam detestabile sit perversè operari adversus Sanctorum Exempla.

DISCURSUS XII.

Apulia laudatissima regio, quà latè patet, imaginem refert gaudentis naturæ: agri vastissimi, quique oculis prospectum eriperent flavescenti segete fluctuant, & superbos Cereris thesauros ostentant: immensa planities aperit mille amænitatum Theatra, deliciosæque Floræ pompas explicat: alicubi visuntur odorifera myrteta, alibi frondent integri lucus cedrorum, malorumque cytriarum, aureis fructibus, argenteis floribus divitum: quàcunque incedas, rident prata, virent herbæ, fragrant caliæ, candent lilia, vernant rosæ, & variegatis tapetibus terra insternitur. Quid quod etiam per longos marium tractus suavissimus odor spargatur, ut jurares, in vicinio delicias instaurari paradisi? attamen si contingat ea littora legi, nonneminem accendi desiderio, in terram exscendendi, & itinere tam nobili, & pretioso utendi, rerum periti obsistunt, quàm possunt maximè, & admonent tantum serpentium, & viperarum multitudinem sub floribus illis latitare, ut vivus evadat infernus, qui apparuerat paradisus voluptatis: & non jam locum habeat Virgilianum illud: *latet anguis in herbà*, cum potiori jure dicatur *latent in floribus angues*. 111.

Si Canonici Regulares, veluti flores cedrorum argenteo candore exornan- 112.

exornantur, & recondunt in gremio aurum eximiæ charitatis, si latè fragrantiam exhalant sanctæ conversationis, si salutari ad fovendum proximum abundant calore, prohibeant Superi, ne inter illos commorentur more serpentium conversi, qui primùm pondere paupertatis gravati repebant per terram illi, posteaquam familiaritate gaudent nobilium cedrorum; non præsumant attollere serpentium caput: *nec erigant cervicem, quia associantur eis, ad quos foris accedere non audebant, ne contingat detestanda perversitas,* ut nobiles proficiant humilitate, pauperes infententur superbiâ, & Canonici spargant lumen virtutum, & sanctitatis, conversi obscurrent vitiis & vitâ culpabili ac scandalosâ: *& ubi quantum possunt, fiunt divites laboriosi, fiant pauperes delicati.* Porro quàm sit execrabile perperam operari, quamvis sancta exempla oculis subjiciantur, pensiculatiùs modò dispiciamus.

113. Haud parùm affligit ruricolas, si probam sementem terræ ubertim mandârunt & messi copiosæ intenti, deprehendunt germen in vilius quoddam frumenti genus desciviſſe, & non triticum in panem pro nobili mensâ, sed avenam pro pastu jumentorum apparere. De quo Virgil. 1. Georg. *Exspectata seges vanis elusit avenis.* Et Ovid; quoque. 5. Metam: *arvàque jussit fallere depositum, vitiataque semina fecit*, quod vero agris inducit occultus astrorum influxus, aliquando picturis accidit ex imperitiâ, ut eleganti vultûs humani delineationi jungatur hispida cervix equi & imago affabrè inchoata pulcherrimæ virginis mònstrosè tandem deformetur:

Humano capiti cervicem pictor equinam
jungere si velit ac turpiter atrùm
desinat in piscem, mulier, formosa supernè
spectatum admissi risum teneatis amici. *Horat. in arte.*

Cæterùm, quod in corruptione frumenti est calamitas, quod in effigie pictorum Chymericâ est fatuitas, hoc in moribus religiosis à normâ virtutum in vitia deflexis, cum S. P. Augustino appellatur *detestanda perversitas.* Et sanè indignum est, ac abominabile, desciscere à virtutibus majorum, ut quando in illis pretiosum frumentum erat venerationi, in posteris notetur vilitas avenæ. Quando illi verbo, & opere gloriari poterant: *cibus sum grandium*, successores indigitentur, *pabulum jumentorum* faciesque hominis in primis fundatoribus summo cultu habita, in Nepotibus *turpiter atrum desinat in piscem.* David

David impetitus mille insidiis Regis Saul, errabat in solitudinibus: subinde alimentorum penuriâ pressus delegit nonnullos ex manipulo suo, qui Nabal, hominem copiosis divitiis vallatum, qua par esset, modestiâ sollicitarent, vellet Davidi cum suis asseclis opem ferre, & in aliquod refrigerium nonnihil alimoniæ subministrare; verùm rusticus ille ac omnis civilitatis experis homo, ut assolebat, probris excepit, & calumniis, impudenter miseris insultando: *Quis est David? & quis est filius Isai?* 1. Reg. 15. pessimè Davidem habuerit hæc atrox injuria, & ad suos commilitones versus, agite filii, ait, *accingatur unusquisque gladio suo*, ipse quoque se ferro stipavit, & cum quadringentis viris iter insistit, justissimâ irâ succensus, pœnas severas, opprobrii repetitum: *accinctusque est & David ense suo.* Quid hoc rerum? mansuetudo ipsa in corde David sedem jam dudum fixerat: unde confidenter obsecrat Psal. 131. v. 1. *memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Sauli, capitalissimo hosti toties interitum machinato, cum posset impunè vitam eripere, condonavit, cumque familiares ad vindictam extimularent, & consulerent, melius esse prævenire quàm præveniri, & indignum esse vitâ, insonti qui vitam invideret, omni conatu liberavit, defenditque, at modo præperat iram, & ultionem plenam exoneraturus contra Nabal? 114.

Dubium hoc facilè diluetur, si testimonium quoddam S. Pauli attendè consideremus, qui loquens de verbo Divino pro salute Mundi Incarnato, ait, noluisse illud assumere Angelicam naturam, sed humanam prætulisse: *nusquam Angelos apprehendit sed semen Abrahæ apprehendit.* Hebr. 2. v. 10. DEUS bone! si natura Angelica fuit nobilior, honoratior, excellentior, quam ob causam repudiatâ illâ, naturam humanam selegit, vilitatem nostri limi, & abjectissimam sibi uniendo miseriam, videte mirabile consilium, & immensam Numinis benignitatem. quamvis natura utraque peccati labe fuerit infecta, longissimis tamen inter se natura humana, & angelica discriminibus disjunguntur: humana quippe natura in protoparente Adamo ita fuit ex integro vitiata, ut ne unus quidem descendentium vi pacti eximeretur â culpâ: *nemò mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Consonat l. 9. de verbo Incarnato c. 40. Jovius Monachus ita scribit: *cùm nos lapsi sumus, nullum reliquum fuit exemplar, quod eandem naturam integram retineret:* quia verò nullum superabat mores in melius emendandi, vitamque sanctè exigendi prototypon, DEUS ærumnam hominis miseratus, humanam naturam induit, quam sublevaret atque purgaret: secus 115.

accidit naturæ Angelicæ, cum enim duæ superessent partes virtutis studio addictæ, & sanctitatis fulgore coruscantes, lucifer cum sequacibus eo motus exemplo, debuit compescere appetitum effrenum, superbumque conatum ac sese in officio, statuque innocentiæ ac gratiæ continere. *Lapsis dæmonibus*, inquit Jovius. l. c *innumerabiles incorporeorum acies invariata consistunt, quæ & divinæ ordinationis exemplum, & nunquam flexæ rectitudinis specimen exhiberent.* At verò quia è regione tam illustrium exemplorum, lapsum miserabilem elegerunt, veluti omni misericordiâ indigni deferuntur mancipati barathro æviternæ damnationis.

116. Porro, quod æquissimus rerum arbiter Deus in refractarios spiritus decrevit, ex amussim videtur David adversus temerarium Nabal exequi voluisse: attestante Sacrâ paginâ, quod esset *durus & pessimus, & malitiosus*: 1. Reg. 25. atque mox subdit: *erat autem de genere Caleb.* Quod equidem non leviter iniquitatem Nabalis exaggerat, quia post habito optimo proavi Caleb exemplo, ferociam eam rusticamque asperitatem exhibuit, cùm ex adverso Caleb eximium decus Progenitorum Nabalis deprædicetur ob maturam prudentiam, benignam civilitatem comitatemque: sicut igitur Cacodæmones indignos se reddiderunt divinâ clementiâ, quod excitati sanctis bonorum Angelorum exemplis, impietati tamen adhæserint, ita Nabal negligens præclarissimorum speciminum, quæ Caleb omni virtutum genere clarus reliquerat, non meruit veniam, pietatem & clementiam Davidis recipere. O Canonici, si majores nostros, viros certè Apostolicos, Augustinum, Gelasium, Herculanum, Patritium, Ubaldum &c. oculis subjiciamus, dubitare nefas, quin præ Caleb fulserint virtutum encomiis, pauloque Angelis minores, cœlestis vitæ radios quaqua versum sparserint: Jam verò si nos more Nabalis, vel dæmonum instar, vitam vivere velimus, è diametro *splendidis* eorum exemplis oppositam, atque pro eo, ut vestigia premamus Religiosæ disciplinæ, humilitatis, pietatis DEI, proximique *Charitatis*, palam nos vendamus inimicos virtutum, & luminis Osores, enim verò *hæc detestanda perversitas* efficiet, ut vapulemus multis, & severissimâ castigatione excipiamur.

117. Non sine stomacho mansuetissimus Dominus inscitatus est, ac damnationem æternam comminatus duabus inclytis Gallilææ Civitatibus: *Væ tibi Corazim, væ tibi Bethsaida.* Matth. 11. v. 21. Quid ita? causam exponit Rabanus: Civibus illis doctrinam cœlestem Christus Divinus Magister promulgavit, stupenda miracula indies patravit, Sanctitate vitæ ad saniora consilia capienda excitavit, nihilominus rubigine

vitio

vitiorum pertinaci obsiti, & priori veterno culparum irretiti hæserunt; *plangit Dominus Civitates, quæ quondam mysterium DEI tenuerunt, & virtutum jam fructum gignere debuerunt.* Et si cum Chrysostomo, ac Theophilacto sentire, ac discurrere lubet, improperat, & minatur Dominus Bethsaidæ, urbique vicinæ Corozaim, quia tametsi Petrus, Andreas, Philippus, Jacobus, & Joannes, Apostoli originem inde traxerint, ac veluti faces prodigiosum sanctitatis splendorem evibrârint, illi tamen populi ad omnem ejusmodi claritatem obbrutuere, ut nec doctrinæ acutis telis transfixi, nec fervore ardentium flammarum calefacti, nec desiderio sequendi lumen ostensum aversi, fuerint, sed tenebris antiquis immersi favorem thesaurosque cœlestes respuerunt, & industrii salutis æternæ Salvatorisque contemtores vivere perexerint. Fallor, an *Corazaim*, quod vocabulum interpretantur, *hic est mysterium*, & *Bethsaida* explanata *domus frugum*, sint imago Religionis manifesta? Inibi arte divinâ docentur mysteria, & cœlestis agricula opimos virtutum fructus avidè expectat. Verùm si cognitioni de rebus supernis haustæ non respondent sanctæ operationes, si vita nostra, neglectis meritorum fructibus, transigitur in otio, & vanitatibus: si ob oculos rutilant heroici Apostolicorum virorum conatus fervidi. Quales fuere Petri, purissimi, ut Joannis, Zelotis velut Andreæ, Jacobi, Philippi, & interim nos languemus, dormitamus, tempus nugis fallimus, vel etiam scandalis oneramus, vereor heu nimiùm, ne trementum illud comminationis flumen: *væ tibi Corazim, væ tibi Bethsaida* feratur, & feriat, ubi occurrit adeo detestanda perversitas, ut quo loco desiderantur homines in religiosis observationibus *laboriosi*, pullulent socordes, inutiles, somnolenti *& delicati.*

Agitabatur solemnissimum quoddam universali plausu convivium, & subito triclinium, quod erat theatrum lætitiæ, vertebatur in horribile tribunal, & locum supplicii, ausus est, nescio quis, sese intrudere, atque convivio sine veste nuptiali accubare. Sed gravissimas temeritatis pænas dedit vinculis mancipatus pedibusque ac manibus constrictis in horridum, & fætentem carcerem conjectus. Ita memorat S. Matth. c. 22. v. 11. *Vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem! & dixit Rex ministris, ligatis manibus, & pedibus mittite illum in tenebras exteriores*: Quasi diceret: si possibile fuisset ignorare, qualis vestium ornatus requiratur, quo decenter honestèque compareres in tam magnifico Convivio, saltem ubi ingressus cœnaculum fuisti, & aspexisti *splendida discumbentium* 118.


vestimenta, verba sunt S. Cyrilli Hierosolymitani in præfat. *nonnè te oportuit, vel ex his, quæ cerneras discere?* nunquid tot nobiles convivæ singuli elegantissimè amicti debuissent proprio suo exemplo te communefacere, quo pacto te gereres? & non dispuduit te conspectui hospitum comprorum præstantissimorumque offere in centonibus hisce, in squalore ac sorditie vestium? effrons hæc impudentia tua excusari nequit, nec dissimulari audacia, quocirca facesse hinc, abi in malam crucem & *supplicium* æternum. Nuptiali veste, si S. Hilario credimus, designatur gratia Spiritûs Sancti & vita irreprehensibilis, *vestitus nuptialis est gratia Spiritûs sancti & Candor habitûs cœlestis*; Quis igitur vestrûm, O Religiosi, discoli, & inconsulti, quos nobilis circumdat chorus in habitu angelico regiæ mensæ assidentium, & singulari puritate nitentium, non erubescat se immiscere in veste lutulentâ, lacerâ ac sordidâ, moribus nimirum indignis & vitiosis imbutus? Ah quantum candidissimæ nives illæ arguent & condemnabunt fuliginem vestram! ad fulgorem Angelicorum ejusmodi luminum, heu nimium deformis apparebit obscuritas vestræ diabolicæ spurcitiæ! nec locus aliquis est veniæ, quando contra venerabilem Sanctitatem adversâ acie *detestanda perversitas* insurgit & inverecundè sese intrudit.

119. Multa erant, quæ miserabili questu identidem Job prosequeretur, præter alia graviter sensit, & ad Deum conversus in has querelas prorupit: O Domine, *instauras testes tuos contra me & multiplicas iram tuam, & pœnæ militant in me.* Job. 10. v. 17. Ea contrà me testimonia adducis, quæ mihi nullum permittant effugium, tibi verô accendunt difficilem iram, in caput meum exonerandam. Innuere Job voluit, quod Dominus Deus attendens inculpabilem & exemplarem, quam Sancti Præcessores, & magni nostri parentes exegerant vitam, eorum virtutibus moveatur ad accusandas condemnandasque fragillitatis, & miseriæ nostræ imperfectiones, uti advertit Magnus Gregorius 9. Moral. 35. *Beatus Job, quia vitam Patrum præcedentium conspicit, quid in se gemere debeat, subtilius agnoscit*: & apertiùs Hugo Cardinalis: *Testes DEI sunt Sancti hi sunt contra nos, dum vita eorum arguit pravitatem nostram.* Admirabile enim lumen, splendorque virtutum, quibus excelluerant, prodit enormem criminum nostrorum fœditatem, & vindicis supremi adversum nos exasperat iram & pænas accumulat. Quam vehementer, ut loquamur solum de regularibus Canonicis, ardens Augustini Charitas redarguit infelicem nostram frigiditatem? quàm potenter mira ejusdem benignitas, ut etiam sacra vasa diffringeret, ad levandas pauperum necessitate

cessitates, avaritiam vestram condemnabit. O Prælati, quorum cor saxeum non tangitur commiseratione, non flectitur pietate, non movetur angustiis & ærumnis inopum ac infirmorum? altum inclamat, nostrumque languorem, socordiam, & supinam negligentiam insimulat Patritius, qui perpetuis carnem suam jejuniis subegit, qui modicam quietem super rigidam petram capessivit, qui sexcentis inter diu vicibus, & totidem noctu genua flexit Numen veneraturus. Præceps in foveam vivæ calcis â quodam maleferiato fabro dabatur Ubaldus, sed non spirans vindictam, sed ingenti gaudio delibutus atrocem injuriam remisit, osculo pacis excepit; nonne convincit ac retundit impatientiam nostram, quolibet dicto factove minus ad gustum composito dirè exardescentem? Gilbertus carnibus perpetuò abstinuit, tempore adventûs, & quadragesimæ solo pane ac leguminibus vitam sustentavit, vestimenta, ne carni bene esset, nunquam sepusuit: qoantum teneritudini, & delicatæ mollique nostræ vivendi rationi exprobrat, ac insultat? hi certè, ut centum alios missos faciam, omnes ordinis Canonici Heroes clarissimi *testes DEI sunt, contra nos, dum vita eorum arguit pravitatem nostram.*

Evangelicus ille Juvenis, qui audiens domi suæ *symphoniam & chorum*, invidiâ malitiâque æstuans, *nolebat introire*, Luc. 15. v. 25. 120.
uno interpretum ore vituberatur; videte turbulentam hominis indolem: quia optimus parens charitatis brachiis amplexatur filium redivivum, ille mærore conficitur, tristique silentio: dum natura exhileratur concentu musico, illius improbitas perturbatur & magis exacerbatur: quodque DEO, & hominibus est acceptum, illi nauseam ciet, ac abominationem. Non melius poterat malus adumbrari Religiosus, cui volupe est amantissimæ Patris sui, sive Præsulis voluntati pervicaciter adversari, cui nihil difficilius clausurâ, & nihil jucundius accidere potest, quàm quaquaversum pro lubitu evagari: cui Chorus amaritudinem meram sapit, & Symphonia hymnorum Canticorum & Psalterii fastidium creat, quantumvis ex mente Sancti Ambrosii in cap. 15. Luc. *dulcem resultet lætitiæ suavitatem.* Nihilominus in rabiem inde, Tygridis instar, ac furorem agitur: mirum proinde non est, si Numinis ira talibus incumbat, & funditus extirpet: sed nullus nostrûm, nullus eò dementiæ abripiatur, potiùs imitemur Ministros Saulis in Nacoth amandatos: Samuelem ibi stipabat Prophetarum Chorus, cui primi, secundi, & tertii nuntii se junxerunt, prophetico spiritu imbuti: quin etiam Saul ipse, 1. Reg. 19. v. 20. illuc adveniens, paludamentum regium exuens & in extasin raptus, celebrandis divinis laudibus se accinxit;

Ita pariter nos, immensâ DEI clementiâ vocati, ad Canonicorum Regularium institutum, Sanctorumque Patrum excitati præclaro exemplo, satagamus æmulari charismata meliora, quò digni evadamus *multiplici gratiâ DEI*, & felicitate cœlesti, ac mercede gloriosâ.



Ex

CAPITE I.

Sursum Cor habeant.

Cor elevandum esse ad DEUM.

DISCURSUS XIII.

121. ADeò profundè pectus Augustini penetrarunt sagittæ, quas ignitas evibrarat Salvator, ut intima hauserint, & ditioni ac obsequio divino subjecerint. Cor illud, quod paulò ante sentinam impuritatum omnium jure nuncupasses, conversum jam est in fornacem stupendæ & flagrantissimæ charitatis, & ipsæ sagittæ involantes undequaque, & confodientes transierunt in pennas, quibus volatu exotico supra cœlos levaretur. Ita legimus: *vulneraverat charitas Christi cor ejus, & gestabat verba ejus, in visceribus quasi sagittas acutas:* Subindè non ampliùs sibi, sed soli unique DEO vivere, cunctos fideles impigrè ad servitutem, & usuram boni increati surrigere omni studio ac industriâ nitebatur: in summis habebat desideriis, ut omnes iis flammis arderent, quibus depasci animam suam dulcissimè persentiscebat: indoluit maximopere, cor hominis coinquinari Mundi hujus quisquiliis, & luteis nugamentis, hinc unicè quærebat separare pretiosum â vili, & cor subducere, atque supra Cœlos attollere, quod ut obtineat, alacriter omnes præsertim discipulos suos exstimulat. *Sursum Cor habeant, & terrena vana non quærant.* Et verò, si sancta Catholica Ecclesia sub incruento missæ sacrificio indies fidelibus suggerit: *Sursum corda:* quanto magis Religiosi, qui totos se divino mancipa-

tum

runt servitio, & sacræ perfectionis studio ac incremento, corda erigere adstingentur ? porrò *sursum cor habetur*, inquit S. Humbertus in reg. c. 28. *cum sursum gratia referuntur, cum sursum suspiratur, cum de magnitudine pietatis Patris cœlestis super nos recogitatur.* Cor igitur ad Deum elevetur sive ad laudis, & gratitudinis pensum exsolvendum, sivè ad animam dignè præparandam, quoad uberi gratiarum imbre perfundatur, ac beetur, de qua materie vobis, ut spero, benè faventibus, plura jam disserere aggredior.

Quid autem tergiversemur ? debetur Cor DEO, quoniam ipse id efflictim deposcit : *præbe fili mi, cor tuum mihi.* Prov. 23. v. 26. debetur cor Deo, neque, Bernardo teste, præstantius quid designabimus, quam si ei rependamus illud muneris, â quo recepimus : *nihil dignius producere potest, quàm ut ei se restituat, à quo factum est.* Apud Cornel. â Lapide l. c. debetur cor DEO, quo voluntas nostra perpetuo respiciat, operatio intellectûs nostri immobiliter defigatur, animæque pupillæ absque nictatione intendant; ita concludit mellifluus Abbas : *Cor Domino datum ipsum in omnibus, & de omnibus adorabit, & gratias aget.* 122.

Propheta Regius tacito secum serioque pectore versans immensa beneficia DEI rerum omnium opificis supremi, & Conservatoris, ad fideles se convertit, & agedum exclamat, *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Psal. 148. v. 1. & mox inferius. *Laudate Dominum de terrâ.* Hæret hic magnum Augustini ingenium, quâ ratione simul ex altissimis cœlis & terræ abysso profundissimâ egrediantur voces benedictionis & laudis divinæ ? Id sanè videtur exigere Psalmus : primò *de cœlis dicit : postea de terrâ, laudatur enim Deus, qui fecit cœlum & terram.* Verùm, O bone Deus ! si reipsâ nos degimus, in terrâ, nec aliter, quàm in terrâ locuti divinas laudes persolvere valemus, quid ergo postulas, ut nos, *qui in imo sumus*, contignationes fabricemur vel theatra cœlis vicina, è quorum vestigio magnalia DEI maximâ vocis contentione deprædicemus ? sed acutum Augustini responsum accipite : Equidem diffiteri non possumus, corpus nostrum agglutinari terræ, at verò cor ipsum haud gravatè sublevatur ad cœli altissima : & sicut Divus Cajetanus in extasi quâdam advertit, cor suum ex intimis fibris, ac visceribus evulsum, ignitisque alis instructum agili volatu cœlum versus rapi ; ita pronum erit nobis devotionis divinæque charitatis pennas cordi addere, & mentem supra omnia creata efferre usque ad DEUM, & ibidem præconia, honoresque dignos Creatori exhibere : *nos adhuc in imo sumus sed cum cogitamus, quomodo ibidem laudetur DEUS, cor ibi habeamus, & non* 123.

sine

sine causâ audimus: sursum corda. Levemus cor sursum, ne putrescat in terrâ. Quapropter licet vinculis præsentis vitæ destinemur, & pedibus calcemus terram, cor tamen & mens nostra cœlestibus admisceri debet civibus, ut ita queamus dignè *laudare Dominum de cœlis.*

124. Exodi c. 8. ubi Sacerdotum consecratio describitur, & requisita in eum finem arietis oblatio, inter alios sacros ritus narratur, Moysen è victimâ jam evisceratâ, & membratim discissâ pectus apprehendisse, ad cœlum sustulisse, ac religioso cultu Creatori obrulisse. *Tulitque pectusculum elevans illud coràm Domino.* Rogatis, quid portendat, quod tandem ex victimâ jam penitus Deo consecratâ in altum tollantur non oculi perspicaces, non dorsum robustum, non agiles pedes, sed pectus duntaxat? occurrit Sanctus Bruno, quoniam receptaculum cordis est pectus: Optimè hoc fideles instruit, pectus, & cor nostrum omni devotione ad DEUM esse evibrandum, cui uni DEUS plenissimè acquiescit: *Quare Moyses*, sententia est D. Brunonis, *coram Domino pectusculum elevat; Nisi ut corda & pectora nostra semper sint elevata ad cœlestia contemplanda.* Neque cor tantumodo rectum sit, ac conversum ad DEUM, ut debitas rependat grates, verùm etiam, ut aptiùs divinam gratiam & præmia tot votis expetita suscipiat. Quò planè spectant verba Regulæ præcipientis, ut probi Religiosi *sursum cor habeant*, quasi explicatiùs diceret: elevent cor ad cœlum & vela sanctorum desideriorum expandant auræ cœlesti, & vento Divini Spiritûs, quô recta in portum æternæ felicitatis devehantur. *Sursum cor habeat*, ut instar nubium contra faciem Solis attractarum atque aurei astri radiis mirificè lucentium coruscent. *Sursum cor habeant*, & supremus Artifex eruderabit, quod imperfectum est, ferrumque in aurum transmutabit, formans ex ipsis vasa electionis, & honoris. Verbo *sursum cor habeant*. Et quemadmodum scitè commentatur in c. 23. Proverb. Hugo Cardinalis: Amabilissimo DEO *prabendum est cor, quasi vas ad recipiendum oleum gratia, & aquam Sapientia salutaris, & vinum latitia spiritualis*, ut ita ex integro devoveatur, mundetur, & exhilaretur.

125. Non sine gravissimâ causâ, altoque mysterio Sponsa illa Mystica condecoratur titulo putei, quo vivæ aquæ à Bonitate Divinâ tanquam monte Libano descendentes colliguntur. *Puteus aquarum viventium, qui fluens impetu de Libano.* Cant. 4. v. 15.

Nostis, qualis debeat esse puteus iste, ut felicissimè adimpleatur à Deo? profectò sicuti aquæ labuntur de Libano monte, qui candore suo præcellentissimam exprimit munditiem, ita nolunt excipi, nisi in corde

lectiss-

lectissimæ puritatis. Rursum si aquæ illæ sunt vivæ, vivere quoque necesse est vitâ gratiæ, quisquis influxûs tam pretiosi capacem se cupit efficere. Quid plura? nomine illius putei cor nostrum repræsentatur, quod tunc dignum cœlestium favorum evadit repositorium, quando repurgatum fuerit â fæcibus terræ, & immune ab omni sorditie cœnoque culparum. Unde Gilbertus Abbas Serm. 37. *Aquæ, quæ descendunt de Libano, nesciunt colligi, nisi in puteum candidum, & aquæ, quæ cum impetu fluunt, volunt puteum habere capacem: altum & capacem efficies cordis tui puteum si curas terrenas egeras, si locum efficias in animo tuo lætitiæ spirituali.* Quam Spiritûs exultationem videtur David efflagitasse non tâm ex munere liberalis gratiæ, quàm ex merito justitiæ. O Domine, inquiebat, quoniam cor meum, & anima hæc mea terrenis obruitur curis, & immergitur mari, heu amarissimæ infelicitatis, dulcore tuo, quæso mitiges, ideò, quàm maximè possum, adlaboro, ut inde avulsum tibi consecrem. *Lætifica animam Servi tui, quoniam ad te animam meam levavi.* Psal. 85. v. 4. accipite mellitum pennæ Augustinianæ sensum. *Jucunda animam, jucunda eam, quia ad te levavi eam. In terrâ enim erat, & in terrâ amaritudinem sentiebat. Ne in amaritudine contabesceret, ne omnem tuæ gratiæ suavitatem amitteret, levavi eam ad te, jucunda eam apud te: solus enim tu es jucunditas, amaritudine plenus est Mundus. Certè rectè admonet membra sua, ut sursum cor habeant, audiant ergo, & faciant, levent ad cœlum, quod malè est in terrâ, ibi enim non putrescit cor, si levetur ad DEUM.*

Tametsi autem David in hoc Psalmo aliud non exprimat, quàm ardentia sua desideria consequendi â DEO felicitatem, in quo spem omnem collocarat, alibi tamen ingenti lætitiâ, & jubilo cordis exponit beatitatem eorum, qui mentem ab omnibus Mundi cupediis & vanitatibus abstrahentes promoventur ad cumulum bonorum omnium. *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuis* Psal. 83. v. 6. ô nimium fortunatos, qui tuo favore animati corda elevant & giganteis in exercitio virtutum proficiunt gressibus, illi paternâ tuâ manu deducuntur ad fastigium veræ beatitudinis: *etenim benedictionem dabit Legislator.* 126.

Specimen faustissimæ hujus sortis edidit S. Philippus Nerius, cujus cor tanto Spiritûs tripudio in DEUM efferebatur, ut quoniam angustia generosi pectoris capiendo non erat, maximo impetu costis allideretur, duabusque confractis limites suos egrederetur, quanto ardore, quot suspiriis anhelabat ad unionem cum filio DEI cor Sanctæ Claræ de monte falco, 127.

te falco, cui effigies Salvatoris à cruce pendentis prodigiosè apparebat impressa? Neque te præterire convenit gloriose Martyr Ignati cui familiare, quoad vixeras fuit in suavissimas has amoris voces prorumpere: *amor meus crucifixus est*, ab obitu verò in corde dissecto nomen ostendisti Sacratissimum aureis exaratum characteribus JESU Salvatoris.

128. Audite igitur O Religiosi, audite fideles quicunque, minimè *jam* mihi satisfit, inquit S Augustinus, non sufficit, quod aliqui *DEO* liquores devotè offerant pingues olææ, alii dedicent in purissimâ cerâ labores, & industriam apum, alii statis anni temporibus per abstinentiam vinum ceu Sanguinem uvarum sacrificent: nec omnem numerum implebitis, si DEO serviatis in austero jejunio, & maceratione carnis: quippe *non diligit DEUS*, ait S Augustinus, serm. 3. de nat. Dom. *nec oleum tuum, nec jejunium tuum, sed offer animam tuam*, non ergo postulat Deus oleum, ceram, & ciborum abstinentiam; sed qui nasci voluit in hunc Mundum, ad animam tuam salvandam, eandem solam quærit animam, quam offers, si sedulò te applicueris *moribus sanctis, cogitationibus castis, operibus fructuosis, avertendo à malo, & convertendo ad bonum.*

129. Paganis quoque persuasum fuit, quos fœminabant, DEos in oblationibus non habere rationem, num victimæ essent pingues, opimæ juvenes exquisitæ, an comparerent ad aram cum deauratis cornibus, aut floridis Corallis pretiosisve suffitibus, solumque attendere, quæ offerentium sit pietas, quæ munditics: Hinc Seneca l. 1. de benefic. c. 6. *non in victimis quidem, licet opima sint auròque præfulgeat Deorum honos, sed piâ, & rectâ voluntate venerantium.* Consonat Plinius in panegyrico Trajano dicto: *animadverto, etiam DEOS non tam accuratis adornantium precibus, quàm innocentiâ, & sanctitate lætari, gratioremque æstimari, qui delubris eorum puram, castamque mentem, quàm qui meditatum carmen intulerit.* non secus tu in præstando debito cultu vero Numini te geras: nec decet, *ut tua tribuas Deo*, scribit. S. Paschasius l. 7. in Matth. *te autem vitiis, & Diabolo, sed ut te primum restituas ei, deinde quæ tua sunt &c.* Igitur cor nostrum omni studio excultum speciem præseverat amanissimi horti, in quo cœlestis Sponsus non absque summo emolumento, plenâque felicitate nostrâ commoretur, vel arborem vitæ, & sanctæ crucis implantet, unde fructus suavissimos beatitudinis ubertim decerpamus.

130. Beatam Birgittam, cùm anceps animi hæreret, variisque distraheretur curis, Salvator excitare benignissimè voluit, in hunc ferè modum

affatus

affatus. l. 2. c. 18, filia mea; quo flammæ Charitatis in ſinu tuo concipi valeant, ac foveri, phœnicem imitare, ſicut is ligna arida congerit in nidum â Solis radiis calefacienda, ac inflammanda, ita neceſſe eſt ad recipiendas divinæ charitatis ſcintillas præparare *cor, quod purum ſit, & ſiccatum exterius ab omni Mundi delectatione, & interiùs plenum omni charitate*, hac ratione divini amoris & gratiæ fervore ſuccenſa, *quaſi avis renovata reſurges.* Idem Canonici noſtri exiſtiment ſibi dictum ad vitalem SpiritûsSancti calorem, & ignem ſuſcipiendum *ſurſum cor habeant*, puritatem, quam lineâ in veſte præſeferant, ſollicitè tueantur in corde, exſiccent illecebras Mundi, concupiſcentias carnis redundant, calorem dilectiònis fraternæ tueantur, reliquias iniquitatum aboleant, ita fiet, ut ardeant, & innoventur ſacratiſſimis flaminis Salvatoris.



Ex

CAPITE I.

Surſum cor habeant, & terrena ac vana non quærant

Cor in ſublime elatum ad Deum, præſervandum eſſe â Mundi vanitatibus.

DISCURSUS XIV.

A Deo eximias ac illuſtres prærogativas columbæ impertivit Dominus ut facilè primas inter innumeros volucrum greges ſibi vendicet: poſteaquam undæ catachyſmi ruptis cœlorum cataractis in excidium Mundi affatim effuſæ, & maculas corruptæ terræ eluerunt, & flammas divinæ juſtitiæ extinxerunt, columba tandem purpureo ſuo roſtro attulit ramum oleæ viridantis ſignum pacis conſtabilitæ. *Venit ad eum ad veſperam portans* 131.

 ramum

ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Gen. 8. v. 11. Quando Spiritus Sanctus visendum se sub imagine corporali præbere voluit, non aliam, quam columbæ induit: *in columba specie Spiritus sanctus visus est*, Ubi æternum Patris verbum dilectissimæ suæ Sponsæ blandiri constituit, titulo charæ ac innocentis Columbæ honorat: *surge, propera, amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni.* Cant. 2. v. 10. Non est animus hoc loco immorari diutius expendendis egregiis columbæ dotibus, *puritatis*, simplicitatis, Innocentiæ &c. sufficiat reflexio Justi Orgelitani & Aponii apud Cornel. â Lap. Can. 4. v. 5. Quod Columba sit expressum symbolum amoris castitatisque Conjugalis: quemadmodum ergo illa non aliam deinceps amat præter comparem, cui uni totum dilectionis affectum addixit, *sic anima sancta uni intendit DEO, illique totum suum amorem resignat, & tradit, nihil enim aliud cupit, quam uni DEO summè placere.* Pariter S. Augustinus in suis Canonicis mirificè probavit innocentem candorem Columbæ, & anxiè desideravit omnem eorum affectionem, ita in Deum obverti, ut prorsus alieni ab oblectamentis sæculi *sursum cor habeant & terrena vana non quærant*: argumentum dignum quod pluribus consideremus.

132. Quamvis quid amplius desideremus ultra luculentam Numinis voluntatem? *videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Deut. 32. v. 39. idcircò *diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ*, Deut. 6 v. 4. Ex quo discamus, quod sicut ipse unus est DEUS, ita etiam esse debeat unicum objectum cordis nostri, affectûs nostri, & desideriorum nostrorum, unde apposite Thedoretus. Q. 3. *docemur dilectionem non scindere in dilectionem Dei, & dilectionem auri, sed totam dilectionis vim Creatori Deo consecrare*: Et S. Petrus Chrysol. Ser. 147. *quidquid est cordis, quidquid mentis, quidquid virtutis humanæ ita Dei amore vult possideri, ut hominis mundanus non haberet quid violaret affectus.* Nec aliud â suis Religiosis poscit D. Augustinus: *sursum cor habeant, & terrena vana non quærant.*

133. Quo temporis momento verbum æterni Patris humanâ carne vestitum Mundo apparuit, Stella nova in Orientali plagâ effulsit, & veluti lingua cœlestis singulari suo splendore magnifice intonans, Sanctos Magos è veterno ac tenebris gentilitatis excivit, atque in Judæam, ut recens exortum Solem adorarent, provocavit: *vidimus Stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Matth. 1. v. 2. porrò astrum hoc non erat insertum firmamento; cujus sydera agitantur motu circulari: illud verò progrediebatur rectâ: Stellæ firmamenti noctu solumodo

solummodo coruscant; at novum hoc phænomenon interdiu quoque lætissimè rutilabat: Illæ immobiliter octavæ Sphæræ infixæ gyrantur, ista sub concavo Lunæ sedem habuit, ut inde per certa diei intervalla exoticos suos fulgores dispensaret: quæ causa Doctores movit, ut existimarent sub effigie Stellæ verum cometam terris illuxisse. Verùm mox alia insurgit difficultas, quam S. Thomas Aquinas exagitat: Cometæ ferali suâ luce portendere consueverunt mortes Principum, & interitum regnorum, ista verò Stella ex adverso gloriosam Dei nativitatem denuntiat, non igitur Cometæ nomine compellanda est, sed videtur, ait Doctor Angelicus 3. p. q. 37. a. 7. *quod fuerit de cælestibus Stellis.* Ego arbitror non incongruè vocare posse Stellam simul & cometam: natus est Rex gloriæ, Stella accensa est, ut fax lætitiæ, flammæque pacales: imminebat lapsus & eversio Regnorum, quæ per Orbem terrarum iniquitas condiderat, per cometam præsagiri decuit: Consentit D. Thomas, *nec aberrat significatio Cometarum, quia cæleste regnum Christi comminuit & consumit universa regna terræ.* Quapropter si cor nostrum Christi Domini jugo submittimus ejusque imperio affectus nostros mancipamus, eliminare oportet sinè morâ tyrannidem mundanæ vanitatis, & sævientium vitiorum: quò collimat regula: *sursum cor habeant, & terrena vana non quærant.*

Quia vero trium Magorum jam meminimus, illustre documentum, dum abitum parant, relinquere videntur, quod attentam considerationem, & memoriam omninò meretur. Herodes, priusquam valediceret. Magis, atque dimitteret è regio palatio, efflictim postulavit, irent bonis avibus, & exactissimè sibi reduces exponerent, quæcunque circa quæsitum infantem accidissent, quo ipso etiam in Bethleem profecturus debito honore, & obsequio afficeret. *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Matth. 2. v. 8. At Consilium hoc intervertit Deus, instruens in somno morigeros illos Magos, ac præcipiens, ne verbo quidem dignarentur Herodem, sed actutum desertâ Judæâ clam domum reverterentur. *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* v. 12. Quid ita? latuit in adorato infante sapientia ac virtus infinita DEI; nunquid erat quod Leo de tribu Judâ formidaret dentes ignavæ vulpeculæ? nunquid Gigas cœlorum à malitiâ & insidiis miserabilis vermiculi expaveret? cur ergo tam strictè interdixit, ne Magi reviserent ad aulam Herodis? 134.

S. Ambrosius perpendens prima Epistolæ ad Romanos verba: *Paulus* 135.

lus servus Jesu Christi, pluribus indagat, quorsum titulus iste spectaret: & tandem ita enodat in Ps. 118. Ser. 12. *ideo dicebat servus JESU Christi, quia nulli alii obnoxius tenebatur*: acsi aperte diceret, ita cor meum servitio Christi adscitum est totum, ut quantus, quantus suus sim: fulgurent quantumcunque radii volatilis felicitatis, perstringat quantum potest splendor auri, & alliciat terra, frustra est, oculos meos dudum *defixi* in vultu divini Solis, inde pascor, tanquam aquila, inde *exhilaror*, nulla Mundi compendia me hinc avellent, nullæ vanitates aditum cordis mei invenient. Ad Sanctos Magos jam refertamur; antequam Christum repererunt, illique se totos devoverunt in servos fidelissimos, poterant cum Herode quandam contrahere familiaritatem, inire amicitiam, fiduciam præseferre, ubi verò pueri JESU obsequiis addixerunt cor, & animam, omnesque suas cogitationes, omnia studia in uno Deo figere cæperunt, procul â personâ & consortio Herodis, procul â vitiis, & pravâ consuetudine abesse debebant, ut cogitationes etiam minimas â tyranno illo averterent: & ita *reversi sunt in regionem suam*: quid quod ipse Herodes videatur hoc agnovisse, & memorabili illâ gnomâ insinuâsse, cum dixit: *cùm inveneritis, renuntiate mihi*, homo namque, cum eam adipiscitur felicitatis sortem, ut Deum reperiat, eique vinculo invidendo jungatur, adstringitur illicò libellum repudii dare iniquitatibus, corruptelæ morum, & vitiis mundanis, quæ quidem sub efferi Herodis larvâ non inscitè designantur. Quod acutè S. Petrus Chrysol. ser. 158. colligit, *semper Diabolo renuntiat, qui pervenire ad Christum festinat.*

136. Antiquitus consuetudo laudabilis inolevit, ut fæminæ excellentioris formæ non prodirent in publicum, nisi facies esset velo obducta: quò allusit Abimelech Rex Geraris, specie captus lectissimæ Saræ, quando ait. Gen, 20. v. 16. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc dedi tibi in velamen oculorum.* Martialis describens solennem quemdam nuptiarum apparatum. l. 12. epig. canit,

Præluxêre faces, velarunt flammea vultus.

Agnes, laudatissima illa virgo, & cultissima Christi Sponsa, *posuit signum, inquiebat, in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* Et S. Amb. l. 2. de pænit. 13. *Tegmine caput velat, ne temere aut videatur, aut videat.* Totus est Sanctissimus Doctor in persuadendo, prorsus decere, ut neosponsa quacunque incedit, modestiâ stipetur, atque ita integrè uni servetur, ut præter Sponsum non quærat, vel adspiciat virum alterum, rationem nullo negotio, subdit Juvenalis satyr. 13. *pe-*

ctori

Etora nostra duas non admittentia curas : nam illicò , ut alius adjungit : *alterius vires subtrahit alter amor*: Ovid. Quid aliud nos exspectemus de animâ religiosâ ? ea cum desponsata sit Deo, imprudenter suum cor aliorsum detorqueret ; dedicandum est Sponso *: sursum cor habeant,* opus præterea est, ut instar modestissimæ virginis oculos suos obliget, velo recondat,atque vanitatum mundanarum nihil intueatur,nihil quærat,nihil desideret *: & terrena vana non quærant.*

S, Ambrosius premens eum Psalmi versiculum : *tuus sum ego, salvum me fac*, exclamat in Ps. 118. serm. 12. O quàm facile verba hæc 137.
proferuntur, quam difficulter in opus rediguntur *facilis vox, & communis hæc videtur, tuus sum ego, sed per paucorum est* Precaris equidem O homo, & Deum affaris : *tuus sum :* at libido tua, mentiris, opponit, quoniam in visco turpitudinum submersus aurium tenus hærens : at avaritia , meus es tu , occlamat , siquidem aurum adoras & argentum : at gula triumphatrix insultat, *meus es.* Qui Sardanapali more imbellem, enervatam, & sordidam vitam traducis Absit, has exprobrationes cadere in Canonicos Regulares : jussum est regulæ : *Sursum cor habeant,terrena vana non quærant :* absit, ne ambitio quemcunque prætexat titulum & arguat : *meus es*,quasi per ambages dignitatibus & primis cathedris inhiarint & iter ad prælaturas non clave meritorum aperuerint, sed ariete nummorum vel Magnatum interventu perruperint. Non objectet avaritia *: meus es.* Quando convincuntur mercaturas fecisse, contractibus mundanis sese immiscuisse, sordido quæstui avidissimè intentos Non audeat oggerere fæda intemperantia, *meus es.* Eò quod missâ communi refectione separatim cœnam lautiorem instruxerint, jejunia religiosa nimium protelari, vel augeri murmurarint, genio indulgere , cuticulamque curare soliciti. Absint isthæc â nobis,qui dudum nos nostraque omnia Deo addiximus *Sursum cor habeant ,* sed perpetuum simul nuntium mittant vanitatibus perversi sæculi, nec enim placet Creatori, servitium & amor divisus, sed unus diligi cupit, *ex totâ animâ & ex totâ fortitudine tuâ.*

Romanis, qui innumeras gentes consilio ac fortitudine subjece- 138.
runt ditioni suæ, cumprimis solenne fuit, ut, quotiescunque triumphum agerent de hostibus, accenserent Diis Romæ,hactenus coli solitis, nova ea Numina, ut eorum saltem sibi conciliarent favorem , quorum fiduciarios populos vi oppresserant & multiplicarent genios tutelares propriæ Civitatis, cujus Dominio provincias alienas submisissent , id memoratu dignum censeas, quod licet Judæa Romanorum tributaria

fuerit,

fuerit, eorumque Prætores, milites, pacis, bellique ministros aluerit, minimè tamen Deus Hebræorum Romæ receptus sit, vel aliquâ veneratione affectus; Causam, si vultis cognoscere, affert S. P. Augustinus: nimirùm, DEUS Israelitarum est verum, & infinitæ Majestatis Numen, quod unum, & solum adorari debet, proculque â fabulosis antiquæ superstitionis, & deliris Ethnicorum Diis amoveri, ut lux â tenebris, & veritas à putidissimis mendaciis: *Hujus DEI sacra recipere noluerunt, quia solum se coli voluerit*, ait, S. Aug. l. 1. de consensu Evang. Quod si verò cùm supremâ Dei nostri gloriâ, immensitate ac magnitudine pugnant nequitiæ scandalosæ Jovis impii, avaritiæ detestabiles Plutonis, doli, fraudesque Mercurii, vindictæ sanguinarii Martis, lasciviæ spurcissimæ Veneris, rancores, & insidiæ Saturni, necessum est Religiosi, ut Summo Deo se reddant acceptos, *sursum cor habeant*, ipsi uni se totos consecrent, omnium gentilium idola & affines culpas & flagitia abominentur: & *terrena vana non quærant.*

139. Ex jussu supremi rerum arbitri DEI famosum quoddam sacrificium instituit Patriarcha Abraham, deputavit animalia, tum quadrupedia, tum volatilia, eo tamen discrimine servato, ut priora in plures partes dispesceret, turtures verò & columbas offerret Creatori integras, *aves autem non divisit* Gen. 15. v. 10. Non vacat mysterio singulari ea Patriarchæ operatio: per quadrupedes figurantur vita, & opera mundanorum hominum, qui certè in varia dissecantur, dum opum cupiditatibus æstuant, ambitione, lasciviâ, irâ &c. distrahuntur, dissentiones, rixas, & fatales inimicitias alunt; qui verò voluntatem elevant, affectibus suis in Deum rapiuntur, & alis innocentiæ elevati, divisioni nequaquam sunt obnoxii, uno suo divino objecto saturi semper, ac recreati. Audite Theodoretum. Q. 1. in Levit. *qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur, animum collocantes illum tùm in terrenis, tùm in cælestibus, sed totum sursum ferunt.*

140. Sed ecce tibi quàm præclarum exemplar perfecti Religiosi est ille sanctitate conspicuus, ætate grandævus Simeon! movente Spiritu Sancto in templum se contulit, lumen suggerente Cœlo puerum JEsum adspexit, amore laxante sinum ambobus brachiis strinxit; incredibili gaudio delibatus merâ animæ dulcedine natavit: *Christo exposuit se totum*, inquit Seraphius Doctor in Luc. O amantissime Deus! O suavissime Salvator! quidquid sum, quidquid valeo, quidquid possideo, id totum tibi consecro: valete vana gaudia præsentis sæculi, vale impostor Munde! nullæ deinceps curæ terrenæ cor meum arrodent, nullæ anxietates

anim[æ]

animum dilaniabunt, quia jàm video, jàm teneo, & ulnis amplexor infinitum bonum meum. O Servi DEI, O Religiosi! en formam, quam sequamini, probè animadvertatis velim. *Quod utrâque manu & totâ virtute debemus Domino famulari.* Enim verò qui Dominum Deum totâ fortitudine suâ, omni virtute ac studio prosequitur, amat, inservit, est quod firmissè speret, vicissim à Deo se infinitis benedictionis, beatitudinis & gratiæ thesauris repletum iri, ac locupletatum.



Ex

CAPITE I.

Sursum Cor habeant, & terrena vana non quærant.

Cor ad DEUM erigendum esse, abstrahendo illud à Mundi vanitatibus.

DISCURSUS XV.

INgeniosa & peracuta est inventio S. P. Augustini, quòd amor cœlestis, & amor terrenus mutuis ingratiis, binas civitates architectari cæperint: substructiones porrò ita strenuè emersêre, ut in civitate terrenâ amor sui tyrannum ageret, ac sese usqùe ad altissimi DEI extolleret despicientiam, in cœlesti verò clavum imperii tenuit amor DEI, progrediens usque ad extremum nostri despicatum: *fecerunt*, inquit Augustinus l. 14. de civit. c. 28. *civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui, usque ad contemptum DEI, cœlestem verò amor DEI usque ad contemptum sui.* Illustri huic commentationi eleganter respondet Emblema Joannis Orozi, qui geminum terrestrem ac terraqueum globum, hinc inde repræsentavit, inscribens: *hà, da ser uno de dos*: id est: *alterutrum istorum*: innuebat videlicet, rerum spiritualium ac corporalium in eodem pectore connbium fore impossibile, 141.

nec quemquam posse cœlestibus simul affluere deliciis ac terrenis, vel gemino cœlo perfrui in præsenti juxta ac futurâ vitâ, Neminem esse, qui eodem tempore servire valeat virtuti ac vitio, luci & tenebris, Dæmoni & DEO, quod ipsum Gregorius M. indicat 18. moral. c. 8. *anima aut infimis delectatur, aut summis, & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima, utraque enim simul, & æqualiter amari non possunt.* Eodem spectat cautela nostræ regulæ, vix enim cohortatur servos DEI: *Sursum cor habeant*, cùm statim subjungit, *terrena vana non quærant*: Nec enim fieri potest, ut Oculus animæ sursum feratur ad res cœlestes, spirituales, divinas, simulque deprimatur ad abjectas, miseras terræ Mundique quisquilias, quod im præsens demonstrare est animus.

142. Inter ea, quæ immortalis omnium rerum Opifex sub exordium Mundi fabricatus est, excelluit firmamentum: producta jam erat immensa aquarum copia, cùm placuit divinæ Sapientiæ in medio aquarum condere firmamentum, quod Ahenei instarm uri superiores ab inferioribus separaret: *fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Gen. 1. v. 6. sistit hic gradum egregius Scripturarum interpres Hugo Card. argutè observans, sub-sistemate undarum firmamento innatantium felicitatem exprimi, ac ineffabiles cœlorum delicias; inferioribus verò aquis denotari emarcidas, miserabiles, & exsuccidas Mundi consolationes, *aquæ superiores cœlestes delectationes, inferiores, terrenæ, & carnales, ambæ* tamen solido ac impenetrabili disjunguntur firmamento; ut toto aberret cœlo; qui utrisque simul perfrui allaborat. *Has dividit firmamentum, ut nullus valeat ab his ad illas transire.* Unde profectò bonos Religiosos, quibus incumbit, ut *sursum cor habeant*, cœlestium cupidi, divinoque servitio addicti, necessitas gravis urget, *terrena vana non quærant.*

143. Quam veritatem in speculo aquarum, & firmamento annotavit Hugo Cardinalis, amplius claritate lucis S. Hilarius illustrat: cum canitur Psal. 138. v. 16. *dies formabuntur & nemo in eis*, Sanctus Pater traducit, ac interpretatur: *Die replebuntur, id est, vero lumine*, lux enim Christi est, Servi Dei expleti luce à Deo, sanctâque gratiâ dimanante, incapaces evadunt molis alterius cujuscunque fuscæ tenebræ, & cœca non subire nequeunt, ubi plenitudo lucis triumphat. *Nox enim in eum, qui die plenus est, non penetrat*, quem splendor diei circumdat, squalor umbrarum non afflat, *& qui die repletus est, diem tantùm in se habet.* Concors est Apostolus 2. Cor. 6. v. 14. *Quæ societas luci ad tenebras?* Si ergo

thronus

thronum fixerit lux in animabus justis, longè aberunt fæculenti vapores avaritiæ; exulabunt fumi, & fuligines superbiæ, rubigines rixarum evanescent, procul amandabuntur tetræ obscænitatum labes, omniaque iniquitatum arma elidentur, denique de inferno trophæa eriget, concludit Hilarius, & superabit *lux vera, dies sola, qua repleti sunt.*

Auscultemus: plura adhuc suggerit D. Hilarius: ubi Propheta Regius Psal. 118. disertè profitetur: *inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas* paradoxum sit ac admirabile, quod magnus ille Pater cum aliis pluribus sensu contrario transponat, & legat: *declinavi cor meum.* Quod si è diametro sibi opponuntur hæc duo verba: *inclinare*, ac *declinare*: quomodo genuina Psaltis opinio expositione adversâ, & pugnante elucitabitur? verùm si pensiculatius consideremus, apparebit ea minime sibi adversari, sed potius mirum in modum conspirare; Cor meum toto pondere rapitur ad sequendum Deum, ad serviendum ei, sanctamque legem suam observandam. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas*, ideo pro virili conabor desciscere ab avaritiâ, lasciviâ, vindictâ &c. quo quidem naturæ corruptæ genius summopere propendet. *Cor suum ipse declinat, & ex natura humana peccatis in obedientiâ Dei inflectit: natura quidem, & origo carnis sua eum detinebat, sed voluntas, & religio cor ejus ex eo, in quo manebat originis vitio, ad justificationem opera declinat.* 144.

Prima facilè justorum cura est, ubi se totos DEO tradidère cor suum omnibus nervis abstrahere, ac elongare â sensuum illecebris, â vanitatibus Mundi, ab atroci servitute inferni; nec morantur, quòd perversè illud renitatur, fortius incumbunt & heroico quodam robore armati domant, premunt, & in triumphum ducunt, digni quibus accinatur illud Psal. 46. v. 10. *Dii fortes, terræ elevati sunt vehementer.* Armis enim Divinæ gratiæ accincti proculcant cor illud superbum, quod impavidum Leonem dixisses, cor illud malignum, quod inflatum halabat virus serpentinum: cor illud impium, scandalis, & iniquitatibus gravadum: cor illud, nolit, velit, jugo virtutis, & voluntati Dei subjiciunt, atquè ita ad mirabilem evehunt sublimitatem: *fortes enim,* ait S. Cyrillus Alexandrinus l. 11. in Joh. c. 29. *propter Deum, terrenis omnibus spretis ad superiora nimium animo elevati sunt.* 145.

Quæ hactenus velut in abstracto disseruimus, in filio illo prodigo luce meridianâ clariùs videmus impleri, quem libido effrænata in transversum egit, ac præcipitia, confestim irruens calamitas in semitam salutis revocavit; quem prosperitatis fulgor excæcavit, tetræ miseriarum 146.

umbræ ac tenebræ postliminio luce donarunt: agedum, inquiebat, unicum malis meis perfugium erit clementia charissimi parentis: *Surgam & ibo ad Patrem.* Luc. 15. v 18. me accusabo enormium; quæ admisi scelerum; affusus pedibus dolens gemènsque errorum veniam flagitabo, & quia me flagitia perpetrata indignum reddiderunt nomine filii, quàm suppliciter potero, rogabo mercenariis suis annumerare me dignetur. *Fac me sicut unum de mercenarriis tuis.* In hanc sententiam, *ubi tacitè* secum conclusit, viæ accingitur: at conspectum Patris subiens, arguit quidem & exaggerat immania delicta sua, minimè tamen mediastinis accerseri petit, & gregi famulorum. Quid igitur? nunquid jam mente excidit oratio supplex tàm meditatò concepta, tàm studiosè, & singillatim præparata? cur ergo non postulat inter mercenarios recipi? nempe viscera aperta reduci paterna pietas opinione ac spe longè major mentem ita rapuerunt, ut contentus reperisse patrem benignum, dulcem, & amore natantem, commodo proprio non ampliùs invigilarit, sed totum affectum medullitus in patrem transfuderit, & cor sursum habuerit: hinc, quia ex mente Petri Chrysologi, *illi sufficit Pater, ideo terrena ac vana non quærebat*, & egregiè huc quadrat sapiens discursus S. Hieronymi Ep. ad Demetriad: *felix conscientia illa, in cujus corde præter amorem Christi nullus alius versatur amor, neque ad recordationem terrenæ substantiæ aliquando suspirat.* O animam felicem & millies beatam, quæ ita absorbetur amore Dei propter Deum, ut uni solique plenissimè acquiescat, & quoniam *sursum cor habet*, Mundi prosperitates generoso pede calcat, & *terrena ac vana non quærit*!

147. Duas præcipuas, & cumprimis dignas memoriâ æternâ cœnas exponit sacra pagina: alteram Lucæ c. 14. v. 16. *homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos*; alteram Apocalypsis c. 19. v. 17. *vidi unum Angelum stantem in Sole, & clamavit voce magnâ, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli, venite, & congregamini ad cœnam magnam DEI.* Inter opiparas has cœnas autem plurimùm interest: quippe in S. Lucâ quotquot invitati erant hospites, sub vario prætextu nobilissimæ mensæ accubare detrectarunt: *Cœperunt omnes simul se excusare*: In Apocalypsi nulla nectitur mora, nullum fastidium notatur, nulla emanendi causa quæritur, vel obtruditur, sed omnes vocati, non accesserunt, sed advolarunt. Quæ vero tanti discrimis ratio? me quod attinet, existimarem per volucres cœli animas justas designari, quæ omnem obrutum ita in DEO defigunt, ut testari possent cum Paulo: *nostra conversatio in cœlis est.* Quorum verò meminit D. Lucas, imago sunt

illorum

illorum, qui hærent in tenacissimo divitiarum luto submersi, vel vinculis aureis superbæ ambitionis illigati, vel visco voluptatum carnalium irretiti: quò fit, ut quando justi elevato in Deum corde, nullo remorante obice, nullo affectionis mundanæ glutine retardante, magnæ cœnæ evadunt felicissimè capaces: ex adverso mancipia hujus sæculi, impediantur innixa pedicis fluxarum vanitatum, & favore divino, beatisque deliciis miserrimè excludantur. Audiamus Rupertum Abbatem l. 11. in Apoc. *homines quidem excusaverunt, aves autem non excusaverunt: quod est dicere: cupidi amatores sæculi vocantem contemserunt, hi autem, qui liberum cor à cupiditatibus habere meruerunt, secuti sunt eum.*


Lubet penitius diversum animarum statum inspicere? en præclarissimam figuram: Nullam Magdalena capescere poterat quietem perpetuis exedebatur curis, donec Salvatorem unicum amoris sui centrum indipisceretur; anxia rimabatur latebras omnes jamque lateri redivivus astitit Redemptor, & illa ignorabat: *vidit JESUM stantem, & non sciebat, quia JESUS est.* Joh. 20. v. 14. Stephanus fervore quodam extatico flagrans suspexit astra, & liquidissimum hausit solatium è clarâ intuitione Christi clementissimè oblati oculis: *intendens in cœlum vidit gloriam DEI, & JESUM stantem à dextris virtutis DEI.* Act. 8. v. 55. quid quæso sibi vult, quòd Stephanus, licet longissimis remotus intervallis, contueatur tamen filium DEI, agnoscat, & summo gaudio inde perfundatur, Magdalena econtra comminus, & proximè juncta aspiciat, nec tamen discernat? dicamus id evenisse, quod Magdalena JEsum quæsierit in deliciis hortorum, dicam apertiùs, reperire voluerit Deum inter sepulchrales defunctorum umbras, ut non immeritò S. Ecclesia in 3 noct. Dom. pascha: amice quadam, & dulci quiritatione illam conveniat: *quem quæris mulier? viventem cum mortuis?* inquirebat JEsum B. Stephanus, verùm non amplius inter abjecta terrarum vel manes mortuorum sed oculos, animumque à caducis nugis jam pridem separatum in cœlum sustulit: Quis ergo miretur illum abstractum à Mundi oblectamentis & super terrena omnia evectum, dulcissimo Salvatoris aspectu fuisse satiatum. 148.

Hæc præstantissima exempla sequantur Canonici, & semper *sursum cor habeant.* Simulque *terrena ac vana non quærant.* Non, non invenitur DEUS à gyrovagis per compita civitatis: in ædibus nobilium turbulentis, in officinis Mercatorum irrequietis, experta est quæ dicit: *per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non* 149.

 inveni.

inveni. Cant. 3. v. 2. Non, non invenitur DEUS in opacis nemoribus sub lauri umbraculis, ambrosiisque odoribus, non, inquam, occurrit Deus in lætis mundanæ prosperitatis campis, nec in squalidis terrenarum calamitatum antris, quemadmodum votis suis frustrata est Magdalena, sed cordi supra sidera elevato, feliciter se offert quod verbis docuit Apostolus Coloss. 3. v. 1. *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dexterâ DEI sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Quod opere ostendit S Augustinus, quando, ut habetur in officio can. Reg. 5. May. *totus ad DEUM ex infimis præcordiis est conversus:* eliminans & abjiciens non tantum quidquid possederat, sed & omnem, quam sperare poterat, humanam quietem, ac felicitatem; valeant blanditiæ mulierum, valeant dulces filii! valeant honores, & opes! *spem omnem, quam habebat in sæculo derelinquens, non jam uxorem, non filios carnis, non sæculi divitias, non honores quærens*, non latuit S. Patrem, quod anima *soli Deo placere studens* & cupida assequendi summi boni Dei infiniti, evacuari debeat vanitatibus fucatis, & à curis vitæ præsentis elongari.

150. Pastores lumine, tùm interno, tùm externo, ad Dominum Majestatis in præsepio venerandum invitati, invicem sese exhortabantur: *transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum*, quasi dicerent, ut exponit glossa interlinearis: *non aspiciamus retro, nec ad dextram vel sinistramn, nisi in solum Christum*, non pungant cor nostrum præteritæ curæ, nec flectamus cogitationes in vana delectamenta dextræ, vel nocumenta fodicantia sinistræ, sed tota mens, tota anima, & omnia viscera in solum Deum convertantur, quod demum est ipsum magni Patris nostri documentum asseclis suis relictum: *sursum cor habeant, & terrena vana non quærant.*



B

Ex

CAPITE I.

Terra vana non quærant.

Bona Mundi omnia esse vana.

DISCURSUS XVI.

IMminaturam primogeniti filii Constantini adeò iniquo tulerat animo Basilius Græcorum Imperator, ut præ impatientiâ ipse quoque ad extremum vitæ discrimen adduceretur; non alii sermones nisi de charissimo defuncto; non aliæ cogitationes, quàm de prole per mortem ereptâ: eâ recordatione dapes velut amarissimo miscebantur absynthio, quod potabat vinū lachrymis diluebat, imago mortui per quietem identidem recurrens pertubatur. Commovit afflicti Imperatoris, pertinax dicam an delira calamitas Theodorum Santabarenum impiissimum Magum, ut refertur in Theatro tit: Miraculum fol. 544. & sacrilegis suis carminibus cacodæmonem evocavit, qui leniret dolorem, levaret fastidium & solatium adferret consternato parenti, producendo in lucem & sub aspectum, qui dudum iam sub umbrâ *mortis* sepultus delituerat: deductus estâ Mago incomitatus Imperator in densissimum quoddam nemus, ubi è vestigio insidens equo occurrit Constantinus, at infelix Monarcha tenerrimo cordis exultantis affectu ruiturus in amplexus filii non strinxit nisi horribile monstrum, inanem larvam, emortuam umbram: quæ res desiderii sitim non restrinxit, sed accendit, animi jactationes non sopivit tumultus, & afflictiones cordis non minuit sed auxit. Quod autem Basilius semel, idem nos indies experimur, quæcunque enim in aspectabili hoc Mundo blandiuntur, oculis pulchritudinem ostentant, prosperitatem pollicentur, & delectationes, merissima sunt vanitas, imago & somnium: audiamus Greg. in 1. Reg. c. 12. n. 21. *quidquid in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime aut prosperum cernitur, vanum profectò est, quia difficile habetur, & citò amittitur. Repente quidem alta corruunt, pulchra transeunt, læta & prospera evanescunt.* 151.

Idcircò

152. Icircò gravissimè S. Augustinus Religiosis suis inculcat, *terrena vana non quærant*: cum reconditæ sit prudentiæ, mentis affectum non affigere rebus volaticis, fluxis & speciem quidem aliquam ementitis, re ipsâ verò inanibus: qualia esse omni sæculi hujus bona demonstratum est. Ea virtutum omnium laude fluxerant primi Salomonis anni, ut homines raperet in admirationem, & DEUM alliceret in copiosam remunerationem; quare secundum quietem jussus postulare quod vellet, non aliud petiit quàm cor docile, quo valeam, inquit, ex amussi justitiæ judicare, ac gubernare populos mihi subjectos: ingenio hoc responso delectatus Dominus, *ecce* ait, 3. Reg. 3. v. 13. *& quæ non postulasti dedi tibi*, divitias *scilicet*, *& gloriam*, *& longos faciam dies tuos.* Mox sacer Historicus subdit: *igitur evigilavit Salomon & intellexit quod esset somnium.* Non dubium, non erat periculum, quin omnes opum dignitatum, vitæque longævæ pollicitationes ad unguem Deus exequeretur, ideo liberaliter victimas, sacrificia, & holacausta in grati animi significationem Domino obtulit: verum inquies, si securus fuit felicitatis plenissimâ manu â Deo impertiendæ, quomodo apprehendere potuit & vocare munera tam eximia ludentis somni imaginem, visionemque merè phantasticam? *Intellexit quod esset somnium.* Nimirum, Rex sapientissimus, licet minimè ignoravit quanti facienda essent dona tam cumulata â divinâ munificentiâ ipsi collata, quia tamen temporalia solummodo erant, ac transitoria, & ejusmodi, quæ rutilarent, oculosque fulgore suo præstringerent sub ortum at brevi temporis intervallo in squalorem, cineres, & umbram desinerent: hinc probé *cognovit*, quod esset *somnium*: Non abludit Sapiens, ubi de opulentiâ, & majestate Mundi c. 5. v. 9. loqui instituit: *transierunt omnia illa, tamquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ per transiit fluctuantem aquam, cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire*, & antiquiùs vates regius: *dormierunt somnum suum & nihil invenerut omnes viri divitiarum in manibus suis* Psal. 75. v. 6. subscribit Ambrosius in Psal. 40. *noli expavescere divitias, & potentiam divitis, & gloriam sæcularem, quoniam caduca ista sunt, & citiùs abeunt, quàm venerunt, somnium est iste thesaurus, evigilas & recessit.*

153. A Somnio Salomonis transeamus ad Regis Nabuchodonosor, cui Daniel c. 2. v. 31. *tu Rex videbas, & ecce quasi statua una grandis, statua illa magna.* Ponebatur tibi, ob oculos nescio, quale objectum, quod speciem non verò solidam substantiam aut constantiam habebat statuæ, *quasi statua*: & quod vulgata statuam appellat, textus Arabicus, & Pagninus declarat

declarant esse imaginem vanam, quæ videatur esse, non verò sit: *ecce vana imago grandis.* Mirum! agebatur de spectaculo repræsentaturo omnia regna, & potentiam Mundi sub schemate, auri, argenti, æris, ferri, testæ, : & adhibere placuit imaginem somnii: quod omnia, quæ magna parent, & splendida, velut umbra transeant. Unde Theodoretus: *Imago figuras non res habet, talis est præsens vita, quæ nihil habet perpetuum, nec stabile.* Lubet fixius evanidam Regum quoque Majestatem intueri? *vagans formatur imago.* Ecce tibi Pharaonem! is Hebræos non tantùm opinione suâ jam fuderat, sed etiam spe devorarat, cum Erithræis absorberetur fluctibus in prædam cedens voracitati piscium. Saul jam arcus triumphales sibi animo designarat Victor, & immarcescibiles palmas, cum cineres suos cum paternis miscet in paupere cis sepulturâ. Balthasar, festivam, lautissimamque cœnam celebrat, sed proprio sanguine inebriatus â mensâ in tumulum miser abripitur. Nabuchodonosor supra hominem elatus, ut Deus haberi voluit, & conversus in bovem mugire cœpit. Antiochus superbo pede Palæstinam conculcans, ferro flammâque depopulatus est omnia, sed invaditur morbo irremediabili, & in abyssum calamitatum dejicitur. Herodem devorarunt vermes, qui nulli hominum, ne propriis quidem filiis pepercit, sed ferocientis instar Leonis in subditos, & regiam domum grassabatur. Quid plura? nunquid Aman intimus Assueri, & procerum charissimus pependit è furcâ infame corvorum pavulum? nunquid fortitudinem Samsonis enervavit debilis forfex? nunquid elegantia Jezabelis, dilaniata â canibus? astutia Architophelis reste suffocata? fortuna Alexandri Magni poculo venenato submersa? quid aliud colligamus, quàm vanitatem esse ac mera somnia, prosperitatem, & fortunam Mundi? nempe, ut antea memini, in infelici hoc sæculo *alta corruunt, pulchra transeunt, læta & prospera evanescunt.*

Apostolus, multâ rerum experientiâ doctus, vanam hanc instabilitatem & constantem inconstantiam cavere voluit Corinthiis suis: ita exhortatur: *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui utuntur hoc Mundo, tanquam non utantur.* 1. Cor. 7. v. 29. nemo vestrûm spem suam collocet in labili hoc Mundo, nemo in ridente fortunâ ejus confidat: ineat, qui volet, matrimonium, & vitam cum dilectâ conjuge lætam traducat, ita se tamen gerat, ac si viduitatis in statu degeret: arescant lachrymæ, & oculos exsiccet, quicunque plangendi se, ac flendi causam habere autumat; nequa- 154.

quam gaudio cor dilatetur, vel efferatur immodico, etsi gaudendi materies non deest: Qui mercimonia comparat, & divitiis circumfluit, nihil se possidere sentiat. Denique etiam cum felicitas arridet, nullus fiduciam reponat, vel diu se fruiturum præsumat, quippe in Mundo præsenti non occurrit nisi vana imago, apparens figura, fluxa prosperitas, quæ in ictu oculi, in momento, in puncto elabitur. Optimè Tertullianus: *Mundi ideo dixit figuram, quia ejus bona solo terminantur aspectu, & nullo fundamento subsistant.* Dilucidè idipsum S. Ambrosius confirmat, cum ad trutinam revocat momentaneam illam omnium regnorum Mundi repræsentationem, â Dæmone oblatam Christo Domino, *ostendit omnia regna Orbis terræ in momento temporis*: delineavit velut in chartâ cosmographicâ tractus & imperia terrarum, quæ tanquam pennata essent subitò advolârunt, & in oculos incurrerunt, eodemque momento se subtraxerunt. Verumtamen eo ipso quod aparuerint simul ac disparuerint, clarè manifestant, quanta insit rebus Mundi inanitas: *in momento enim*, inquit S. Ambrosius in Luc. 4. *cuncta illa prætereunt, & sæpè honor sæculi abiit, antequam venerit.*

155. Fortè in conspectum venit theatrum, ubi magnis sumptibus comicum instruitur spectaculum. O quàm exquisitum! dicetis vobiscum taciti, quàm elegans proscenium! quanta ibi assurgunt Majestate palatia, qualibus illa ambulacra & pergulæ superbiunt statuis, quàm ordinatâ mihi columnæ stant serie! quàm rapit in se oculos illud in medio situm augustum templum! sed quid? repentè dum maximè spectare gestit animus, *præterit figura*, omnes evanescunt pretiosæ structuræ, succedit sylva rupibus aspera, montibus distincta, tuguriis, & mapalibus vagè consita. Paulò post *præterit figura.* Jam omnis scena effluit in hortum, jam expanditur in immensum Occeanum, syrtibus, Insulis, portubus, quacunque ferantur oculi, insignem &c. Quid, quæso aptiùs metamorphoses Mundi exprimere, continuasque rerum mutationes poterat adumbrare? in momenta variantur in Orbis Theatro scenæ, & modò de plebe infimâ aliquis ad primas sedes attollitur, modò alius de Republicâ optimè meritus in præceps agitur: modò insontem persequuntur potentiam odia plusquàm vatiniana, modò supremis officiis præficitur, qui statum unà cum suâ Personâ ludibrio exponit, & sicut S. Theodorus Studita serm. catha 111. differit: *qui heri nitidus, hodie squalidus, qui heri in re splendidâ, hodie in miseriâ est: nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit. Hic è paupere fit dives, alius è divite pauper, milleque mutationibus atque vicibus ærumnosa vita subjecta est nihil possidens, constans.* Nesci-

Nescio siquis alius plura super hâc rerum vicissitudine cœperit experimenta Davide; audiamus: *vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.* Vidi, inquit, virum inanem meritorum, & defectuum oppidò plenum; is amplissimo censu primus omnium, dignitate cunctis formidandus, haud erat dissimilis cedro Libani: nubibus abscondit superbum verticem, aura popularium adulationum ventilatur; in morem cedri, inquam, fortitudinem, & robur æris alit sub trunco, in colore frondium pretium ostentat Smaragdi in floribus, & fructibus pallorem, candorem & flavedinem exhibet argenti, & auri. Quid autem? hæc vanitas vanissima! *transivi*, vix pedem movi, vix oculos averti, & *ecce, non erat* Cedrus illa sublimis non modo accisa, humòque afflicta, sed penitus subducta, & in nihilum redacta fuit, ut instar umbræ nec vestigium sui reliquerit, *ita ut*, est Agellii interpretamentum, *pené in ipso momento transitus mei, tanta firmitas & pulchritudò periret.* In eundem sensum licet non eadem metaphorâ præclarissimè Seneca Ep. 4. *noli huic tranquillitati fidere, momento mare vertitur, eodem die ubi luserunt navigia sorbentur.* 156.

Nec amplius ego admiror, vanitati huic obnoxios esse impios, & inimicos Numinis, quando etiam animæ Deo gratissimæ eâdem involvuntur, vertunturque fortunâ. Testem appelo inclytam Rachelem florem humani decoris: delicias Patriarchæ Jacob, celeberrimam parentem Josephi, quem prona adorarunt cœlorum lumina. Viden Rachaelem ex summo apice, & auge faustitatis humanæ præcipitem ruere in Sandapilam: in horrorem mortis: *mortua est Rachael in ipso itinere, eratque vernum tempus, & ingrediebar Ephratem & sepelivi eam.* Gen. 48. v. 7. mediam tenebat viam repatrians, & offendit interminum vitæ: gaudebat tempestate veris, & frigidissima hyems mortis corripit: flores ætatis, ac raræ venustatis emarcuêre: proximè Euphratem, quod redundantiam significat frugum, totiusque felicitatis; ibi jacturam incurrit irreparabilem omnium bonorum, & licet ad instar Solis lætè affulserit, jam funestâ mortis eclypsi opprimitur. Ita scilicet velocissimè *præterit figura: & qui heri nitidus, hodie squalidus; qui heri in re splendidâ, hodie in miseriâ est.* 157.

O quàm verè ac vivaciter apprehenderunt rerum mundanarum fugacem fabulam scelesti illi, qui Sap. 2. jactabant: *coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Agite, absque cunctatione, lustremus tempe, pervagemur hortis, colligamus rosas, texamus corallas, capita celeriter juxtà & hilariter incingamus: alioqui antequam Sol occidat lanquecent, & emorientur: quippe 158.

Quam brevis una dies ætas tam longa rosarum.

Et verò decerpamus rosas non solummodo maturas, & apertas, verùm etiam, ut græcus exhortatur textus, calices, & folliculos nedum excoctos, ne fortè priusquam divitias, & purpuram suam explicent, pessumeant, colorem odoremque amittant: *Talia sunt*, ait Os aureum hom. 1. in Gen. *humana & carnalia nondum rectè advenerunt, & volarunt.*

159. Non itaque sic mei Canonici, mei Religiosi, inquit S. P. Augustinus, *terrena vana non quærant.* Nemo sit eorum, qui sectetur futiles larvas, qui suam spem reponat in somniis, qui ambiat imagines vanas, quæ blandè mentiuntur, quod non habent, & versatiles scenas imitantur: instabilis fuit Cedris, quæ radices altas egerat, computruerunt flores Rachaelis: rosæ, quibus luridi illi sodales in libro Sapientiæ insipienter admodum inhiârunt, illicò transierunt, nuntium ergo remittant bonis terrenis, blandis illecebris, opibus fraudulentis, honoribus caducis, & quoniam in Mundo nihil reperiunt præter *terrena vana*, cor totum, omneque studium, laborem, & industriam consecrent Creatori, cujus bona æternant, nunquam deficiunt.

160. Coronidem discursui nostro imponat gravis quædam Hugonis Victorini animadversio: notat ille duplex in Sacrâ Scripturâ olei genus: oleum fatuarum virginum, quod defecerat in vasis, Matth. 25. & oleum Elisæi Prophetæ, quod supra modum redundans etiam aliis suppetias ivit. 4. Reg 4. Ita est, scribit Hugo. l. 1. miscell. c. 51. *habet oleum Deus, habet oleum & Mundus, ad oleum DEI vasa deficiunt, oleum Mundi in vasis deficit, oleum Dei dulcedo æternorum, oleum Mundi delectatio præsentium, illa sufficit, ista deficit.* Quod si autem oleum Dei uberrimè redundat, oleo Mundi semper magis, magisque in recidente: absit, *ne opem* quæras, ubi vana umbra obtruditur, potius recurras ad illum munificentissimum Deum, *qui replet in bonis desiderium tuum.*



E

Ex

CAPITE I.

Magis ſtudeant non de parentum divitum dignitate ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari.

DEUM gratias ſuas in ſinum profundere humilium.

DISCURSUS XVII.

Quæſtio curioſior, dicam an fructuoſior, ventilari ſolet, utrum ſuprema bonitas plus favorum impertierit ſublimitati montium ac vallium humilitati? magni penduntur valles, quod opimæ ſint, & cumprimis fertiles, & *valles abundabunt frumento* Pſal. 64. v. 14. ſed montes æſtimari merentur, quod Chriſtus Dominus 5000. famelicis menſam in iis ſtraverit, lautèque miraculo refecerit. Non in vanum gloriatur vallis Mambre, ubi Deus in perſonis trinus, ſub perſonis trium Angelorum Patriarchæ Abrahamo, videndum ſe præbere dignatus eſt: opponit ſeſe mons Thabor, & prærogativam ſuam extollit, quod filius Dei immenſo coronatus lumine apparuerit. Singulari ſibi ducit laudi vallis Terebinthi; quod inter adverſas acies in Philiſthæo Gigante turrim carneam ictu lapidis proſterni à Davide floridiſſimo adoleſcente viderit, effert ſe mons Golgathæus, quod ſuo in vertice DEI filius duellum inierit, & cum morte ac inferno hoſtiliter congreſſus palmam reportarit, ac prodigioſum triumphum; oculos, animoſque omnium in ſe convertere adnititur vallis Joſaphat, quod ſuo in gremio æternus Judex everſurus ſit tribunal, univerſoque Mundo, pro cujusque meritis vel demeritis præmia decreturus, vel ſupplicia nunquam terminanda; plurimi faciendus eſt mons olivarum, quoniam inde divina Aquila auſpicata eſt volatum verſus Empyreum cœlum, provocans generoſas ſoboles, ut pariter ad glorioſam eam altitudinem enitantur. Verum ſi licet effari, quod ſentio; antecellere vi- 161.

dentur valles, eâ præsertim de causâ, quod montes symbolum superbarum feriantur fulmine, valles ècontra, suavis humilium idea, repleantur aquis gratiarum: unde Psaltes coronatus: *emittit fontes in convallibus.* Psal. 130. v. 10. id est, ex interpretatione Hugonis Victorini c. 2. in Reg. *gratiam suam præstat humilibus*, robur, & emphasim; addunt Sancti Apostoli Petrus & Jacobus: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Age igitur, quandoquidem D.P. Augustinus multifariam religiosis suis animi demissionem inculcet modò exhortans: *ne erigant cervicem*, modò: *magis studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari*; modò: *nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint*, pace vestrâ liceat quoque mihi cunctos vos ad amorem, ac propensum sanctæ humilitatis studium provocare, quoniam quod demonstrare aggredior, in ejus vallis profundam cavitatem flumina divinæ gratiæ ubertim defluunt.

162. Operæ pretium non duco, diutius insistere definitioni, qua vobis latiùs exponam humilitatem, aliud non esse, quàm demissum sensum, & parvam de nobismetipsis existimationem; minùs necessarium opinor minutos gradus enumerare, in quos ascescos Magistri virtutem hanc dispescunt, satis erit cum magno Gregorio meminisse, illam esse radicem vivam oculis quidem mortalium subductam, & abditam; magnâ tamen virtute progerminare flores, frondes, eximiosque fructus meritorum, & profectûs spiritualis. Submissio animi consimilis est Antæo, qui humi afflictus ab Hercule novum induit vigorem, & fortior surrexit: illa imitatur vasa viduæ 4. Reg. 4. quæ vacua cum essent, opitulante Elisæi virtute tantam olei attraxère copiam, ut usque ad summum complerentur: Illa privilegio gaudet adolescentioris Benjamini, qui mensæ â Joseph adhibitus Gen. 43. v. 34. præ aliis Convivis alimenta recepit, & munera ampliora, quia natu minimus *omnium* erat.

163. Rebecca, cum uterum ferret geminis filiis gravem, Divino communesit oraculo, fore, ut primogenitus auctoretur junioris obsequio. *Major serviet minori* Gen. 25. v. 25. vaticinium ex amussim adimpletum, quoniam Esau venale exposuit Jus primogenituræ cùm annexis præeminentiis, & Jacob resignavit, unde Idumæos ab Esau longâ serie descendentes sub jugum miserunt victricia Davidis arma, & servituti Israelitarum addixerunt. Quid si etiam cum divino Anselmo, Hugone Cardinali, aliisque non contemnendis Doctoribus edicerem, quod Esau servierit fratri minori, quemadmodum servit lima ferro, flagellum

lum frumento, ignis auro? Enimverò quanto arrogantiùs, crudeliùs, & immaniùs ille persequebatur, tanto se modestius, mansuetius, & submissius gerebat Jacob, & altiùs proficiebat. Machinetur proditionem, & truculentam necem implus frater, at Jacob non par pari referre, non obluctari, sed solum patrium maluit vertere, & in exilio, quod pronâ voluntate adiit, per magnas opes conquisivit. Cùm domum remeat ex Mesopotamiâ cum quadringentis armatis viris occurrit Esau, sed iram emolliit humilitas Jacobi, qui plura destinavit munera, velut Dominum salutavit, genibusque positis veneratus est, quo facto se suaque intentatæ cladi subduxit, imo in eam emersit statûs dignitatem, ut posteri toto Orbe inclyti potirentur Dominii Palestinæ, Nepotes regali fulgerent diademate redimiti: promeruit ex suâ prosapiâ dare Ministerio templi Levitas, Sacerdotes, Pontifices, impetravit tandem, ut unigenitus Dei filius favore specialissimo carnem humanam indueret ex suâ posteritate assumptam, unde alloqui possum verbis apocalypticis: *scio paupertatem*: sive, ut Ambrosius Ansbertus exponit, *scio humilitatem tuam, sed dives es* Apoc. 2. quippe servus Dei quò magis deprimitur, & suffert, ac in abyssum suæ tenuitatis se demittit magis eò ampliùs supernis gratiis, & benedictione divinâ locupletatur: nempe Deus *emittit fontes in convallibus, & gratiam suam præstat humilibus.*

Veritas hæc patefacta ex collatione Jacobi cùm fratre suo Esau clariùs illucescet, si eundem comparemus avo suo Abrahamo. Inter complures, quibus cœlum dignabatur Patriarcham illum, facilè eminet, quod Dominus Deus sub schemate peregrini hospitis *in figurà*, inquit S. Joh. Chrysostomus serm. 131. tectum illis subire voluerit Gen. 18. v. 2. hinc non immeritò sanctissimus senex gaudio summo delibatus, & aquam odoram præbere pedibus, & lautam instruere mensam, & officiosum agere dapiferum, ac pincernam gestiit. Ita quidem res habuit cùm Abrahamo, sed multò felicior sors Jacobo obvenit, magnificentior gratia fuit exhibita: Deus bone! quanta illi se cœleste theatrum bipatens reseravit Majestate! Angeli sese obtulêre, qui mirabilem per scalam in obsequium Numinis, & solatium, ac felicitatem Jacobi sursum deorsum commigrarunt, in apice thronum fixit ipsemet gloriosus Deus, vidit enim *Dominum innixum scalæ*, Gen. 28. v. 12. Quæso vos, quæ causa est tanti discriminis? res notatu ac reflexione dignissima est. Deus sub habitu advenæ comparuit Abrahamo, quod lautissimè, & jucundissimè habitaret, magnas facultates possideret, & sub imperio numeraret 318. expeditos vernaculos; at verò Jacob paternâ domo 164.

egressus,

egressus, vagabundus, pauper, miserabilis, atque, ut B. Bruno in allegoriis loquitur, *in culmine humilitatis* eò inopiæ deductus est, ut solo baculo manus obarmatus, Jordanem transiret, super nudam terram quietem minùs pacatè caperet, durissimo lapide prò cervicali usus: nimirum Abrahæ, qui divitiis juxta ac delitiis natabat, Deus sub specie peregrini visendum se præbuit, Jacobo autem, quum ultra modum miserabilis, & abjectus nec ædes inveniret, aut aliud terrenum subsidium, cœli applausẽrunt, ac Angeli, ipsaque immensa Dei Majestas in conspectum venire, & recreare non fuit dedignata. *Quia emittit fontem in convallibus, & gratiam suam liberaliter præstat humilibus.*

165. In visione Moysi, super montem Sinai ostensâ, Deus in medio quoppiam dumeto conspicuus declaravit voluntatis propensionem ad suppetias ferendas, solatiumque Israelitis, sub aspero Pharaonicæ servitutis jugo gementibus sufficiendum: *apparuit illi Dominus in flammâ ignis de medio rubi.* Exod 3. Quis, amabò, factum hoc non obstupescat? Quod si ipse erat Dominus Majestatis, eccur non occupavit mediam platanum, quæ umbrosos suos ramos, longè latèque protendit? si constituit mederi plagis Israelitarum, ab Ægyptiis, dirè vapulantium, quid est, quod non elegerit oleam pro sede ac fonte pietatis? si placuit præcipitem dare, ac in profundo maris sepelire Pharaonis exercitum, aptior videbatur stragis prænuntia fatalis Cypressus. Denique si decrevit insignem reportare Ægyptiis victoriam, quid palmâ opportuniùs? quid igitur causæ est, quod præsto fuerit *de mediô rubi*? sed ecce! rubus est planta omnino humilis, neglecta, nullius pretii habita, idcirco Deus eam genio suo peraccomodam delegit in sedem propriam ac thronum: hinc Regius Psaltes: *excelsus Dominus, & humilia respicit* Psal. 137. v. 6. & Deus ipse per Isaiam apud Bernardum super missus: *super quem respiciam, nisi super humilem?* quid quod Ecclesia in rubo illo expressam Beatissimæ virginis colat figuram? *rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tam laudabilem virginitatem.* Subscribit Cornelius â Lapide. *Ignis in rubo, est Deus in beatâ virgine conceptus.* Complacuit immortali Deo descendere in sinum virgineæ Matris, quoniam mirâ efficacitate, inquit Richardus de S. Laurentio l. de laud. virg. c. 5. *humilitas Mariæ Regem cœli attraxit ad terram*, consonat D. Bernardus homil. super. miss. *Etsi placuit ex virginitate, de humilitate tamen concepit.* Et verò quam aptè proposito nostro congruit acutissimus ejusdem melliflui Bernardi discursus! observabat is mores gestusque publicani, qui templum ingressus ardentibus suis precibus junxit oculos

oculos ita demissos, ut cœlum suspicere non auderet : *nolebat nec oculos ad cœlum levare* Luc. 10. v. 13. O admirandum publicanum, exclamat Bernardus, quippe profundâ plenus humilitate, & obversantium enormitate delictorũ confusus indignum se, qui sydera intueatur, existimat, simulque cœlorum Dominum ad vota sua detraxit, & commovit, ut ærarium reseraret gratiarum, & facultatem inde, quantum luberet, cœlestis felicitatis capiendæ impertiret. *Vim faciebat regno cœlorum publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad cœlum levare, ipsum cœlum ad se potuit inclinare.* Ita quicunque se magis humiliat, ei se Dominus liberalior, & benignor inclinat : effusiores corrivantur gratiarum fluvii, ubi profundiores sunt valles, & servi Dei ab omni supercilio fastùque alieni demissas de semet cogitationes alunt : quisquis igitur amat nesciri, & in obscuro humilitatis delitescere, magis cœlestibùs radiis illustrabitur.

Ambigitis forsan, & paradoxum arbitramini, quod pronuntio? en produco locupletem testem. Moyses specialiter eligebatur, ut DEI nomine maxima quæque denuntiaret Pharaoni ; at ille sui despicientiæ assuetus, inhabilem se confessus, provinciam hanc subire detrectat : & illico Deus Pharaonis inaudito hactenus exemplo declaratur. Exod. 14. v. 18. Idem, posteaquam subterfugit conspectum populi, & quadraginta dierum spatio commoratus est in obscuro nubium, ac nebularum, prodiit, iis fulgoribus coruscans, ut Israelitæ non essent ferendo, & ne oculos quidem intendere possent. S. Joannes equidem videt gloriosam illam Hierosolymam è cœlis sese demittentem : *Sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à DEO.* Apoc. 21. v. 10. sed eandem quoque animadvertit mirabili splendore circumdatam : *habentem claritatem Dei.* Quin ipse Dei filius ceu emendatissimus Magister omnis modestiæ, ac humilitatis, *latebat in præsepio*, ait D. Fulgent. in serm. vig. Epiph. *& in sidere rutilabat*, nec præpedire poterant squalor stabuli, ignobilitas saxosi antri, pauperes fasciæ, abjecti centones, quo minus singulari, fulgentiorique stella deprædicaretur in cœlo. Quid dicam de nobilissimâ virgine Gertrude canonicâ regulari? dudum ea oblita originis, quam ex Pipino, primo Brabantiæ Duce trahebat, submissè Sanctimonialibus suis ancillabatur, & latere concupiebat : verùm â DEO, *qui lux est lucis & fons luminis*, *recreata fuit jucunda cujusdam lucis visione!* & magnis revelationibus illuminata, ab Honorio verò tertio, applaudente universali Ecclesiâ, in Sanctarum Catalogum relata, omniumque venerationi exposita. Possem hic adjungere, & locum, quem meretur, tribu- 166.

ere, Alexandro, Farnesio, qui sanè Macedonis herois æmulus, licet rebus præclarè gestis non æquet modo, sed multis parasangis superet, eâ tamen est modestiâ animi, ut Sapientum præconia, laudes, & acclamationes molestè ferat, & coactè auscultet; Idem nihilominus ita disponente Dei providentiâ, personantibus Card. Bentignolio, & Famiano Stradâ aureis tubis gloriam consecutus est usque ad sydera notam, nec unquam inter morituram.

167. Sacri interpretes super. c. 4. Apoc. ingeniosè observant assedisse in cœlo simul coronatos 24. Seniores: *Super thronos viginti quatuor seniores sedentes, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Apoc. 4. v. 4. Eodem porro tempore cùm diu noctuque Deo gloriosè altum acclametur: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Omnipotens*; Sanctos illos Seniores prostratos supremum adorasse Monarcham: *mittebant coronas suas ante thronum.* Quod si cantica cœlestia semper, & sinè intermissione continuantur; *requiem non habebant nocte, & die dicentia, sanctus, sanctus, sanctus.* & ipsi Seniores sacris hymnis, & melodiis applaudunt, humillimè sese coràm throno Majestatis humi prosternendo, & propria frontis diademata devotè offerendo, quo pacto cohærebit, vel stare poterit, quod ad brevissimum temporis intervallum cernerentur *in capitibus eorum coronæ aureæ?* verùm fateamur, coronas illas fuisse simul, & ornamentum triumphale Sanctorum senum, & nobilissimum tributum Deo immortali exhibitum; cùm enim coronati Seniores ultro gratâ humilique mente agnoscerent, â Domino exercituum omnes profluxisse victorias, quas obtinuêre, eidemque coronas inde acquisitas devoto redhiberent obsequio, Deus probans demississimum affectum, simul atque obtulerunt, fronti restituit, edocturus nos mortales humilia nostra ministeria munificè compensari, quia Dominus *emittit fontes in convallibus, & humilibus dat gratiam.*

168. Mysterio non vacat, quòd summus Hebræorum Pontifex in signum dignitatis, & ornatum proprium gestârit vestem hyacinthinam, *seu* coloris cœlestis, quæ promittebatur usque ad extremum pedem, cætera sine bullis, segmentis, lemniscis laciniis aut floribus acu phrygiâ pictis, vel intextis, aliòve ornatu, nisi quod ora illius circa circum instructa esset aureis tintinnabulis, per mala punica ordinatè inserta elegantissimè distinctis: novimus autem quodlibet malum granatum regiam secum coronam ferre. Quid censetis opere tam scitè fabricato designari? Ego quidem sic existimo; fimbria illa usque ad pedes descendens, uti pars est vestis infima, terræque vicinissima, ita repræsentat profundam fidelis animæ

animæ humilitatem: quoniam verò genuina ſui demiſſio occultâ quadam vi acclamationes provocat, & gloriam meretur, eapropter fimbriæ conſociantur campanulæ, ex auro confectæ, quæ magnificentiam humilium divulgent. Pariter eidem limbo adhærent fructus coronati, quippe quò magis in ſui deſpicientiâ famulus Dei deſcendit, eò altius ad gloriam, præmium, & coronam enititur.

Æternâ memoriâ, attentâque conſideratione digna eſt exhortatio, 169.
quâ Chriſtus diſcipulos ſuos animavit, ut in procinctu ſtarent ad excipiendum reducem â nuptiali cænâ Dominum, imitando ſollicitos homines, & ſervos vigiles. *Et vos*, inquit Luc. 12. v. 36. *ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur â nuptiis*, continuò ſubdit: *beati ſunt ſervi illi.* Mirum; Regius Vates Apoſtolis principalem vendicat dignitatem: *conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Pſ. 44. v. 17. Dominus ipſe declarat eos fore clariſſimam Mundi totius facem. *vos eſtis lux Mundi.* Matth. 5. v. 13. Rurſum eosdem amplexatur, ut intimos ſuos amicos: *vos amici mei eſtis, & jam non dicam vos ſervos ſed amicos.* Joh. 15. v. 14. Quid eſt igitur, quod, exponens ritum, quo velit excipi â nuptiis reverſus, non requirat ab eis magnificentiam Principum, non ſplendorem lucis, non jubilum amicorum, ſed ſolummodo præſcribat, ut gerant ſe velut homines, & ſervi? *& vos ſimiles hominibus & beati ſunt ſervi illi.* S. Ambroſius ſubtili, quod aſſolet, Minervâ enodat, animadvertens; quod *homo dicitur ab humo*, idcirco Chriſtum poſtulare ab electis ſuis, ut memores, terram ſe, & pulverem ac lutum eſſe profundâ ſibi humilitate occurrant, datâ infallibili fide, quò ſe demiſſiùs abjecerint, tanto ſublimius eſſe evehendos: eaque de cauſâ copulari ſimul gemina illa vocabula: *beati ſervi*, quoniam homo fidelis vel Religioſus, qui non diſſimulat, ſed verbo & opere ſervum Dei ſe oſtendit, meretur beatis accenſeri, & omni bonorum genere ditari, conformiter dicto Boëtii: *beatitudo eſt ſtatus bonorum omnium aggregatione perfectus*, quod reipſa comprobatur, quia Dominus *emittit fontes, in convallibus*, & liberali effuſâque manu, *humilibus dat gratiam.*



O 2 Ex

Ex

CAPITE I. REGULÆ.

Alia quæcunque iniquitas in malis operibus excercetur, ut fiant, superbia verò etiam bonis operibus insidiatur ut pereant.

Superbiam cunctis virtutibus tendere insidias

DISCURSUS XVIII.

170. IN obsidione Trojanâ integro decennio continuatâ, Græci viribus, animoque defectis tandem obtinuerunt arte astutissimi Sinonis; quod aperto, & generoso Marte adipisci nequaquam potuêre. Equus è nodosis quibusdam & incultis trabibus concinnatus expugnavit urbem, quæ infracto robore tot insultus, & arietes elusit, ac innumero armatorum numero constanter, & intrepidè resistebat: Et Græci sub prætextu votum solvendi, sive Palladi immanem illum Colossum offerendi, satisfecêre potius suis ardentibus desideriis, & civitatem in cineres redactam ultimo excidio immolarunt. Ingreditur muros fatalis equus, magnoque occurrentium plausu excipitur: *at simul* intrant, calamitas, desolatio, & extrema pernities, quo*niam sub* cavis gravidi equi lateribus arma latent ac milites, qui nocte concubiâ velut Erinnyes ultrices provolant, & quaqua versum dira excitant incendia, templa violant, arces excindunt, theatra humo æquant, Palatia funditus evertunt, & civitatem amplissimam momento convertunt in Ætnam conflagrantem, ut tota in fumum, & solitudinem abierit.

171. Funesta hæc Trojæ veteris eversæ historia componendis moribus insigne suggerit documentum; sit ita: fidelis anima dudum sustinuerit impetum, & arctam vitiorum obsidionem, impigro se longanimique studio defenderit, plures incursiones fortiter toleravit, ut digna sit com-

pellari

pellari *urbs fortitudinis*, verum heu! simul atque intra portas, & viscera admisit equum, symbolum superbiæ, ut docet Pannonius in Apocal. c. 9. v. 16. *in equis, & in equitibus superbia malignantium designatur*, miseranda, cæteroqui insuperabilis civitas spoliatur omnium virtutum choranda, & in discrimen extremum adducitur, ac desolatione calamitosâ evertitur. Quapropter maximopere instat D. Augustinus arrogantiam persequi, & diversis cautelis suos communire; modò Religiosis suis pauperibus inculcans: *nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant*: modò nobiles, & copiosos, coërcens: *nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt*: uno verbo, & generatim ita exhortatur: *alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant, superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.* Cum igitur superbia malignissima sit *ruina cunctarum virtutum*, ut S. Isidorus contendit, non abs re erit, pluribus eam in præsenti discursu insequi.

Et ecce tibi quâ linguas, quâ calamos auctorum, qui deplorant 172.
incommoda, quæ struit superbia, & detrimenta execrantur; illa ærugo est maligna; fortissima quæque metalla corrodens, tinea est, nobilissimos pannos, pretiosasque purpuras pessumdans, lues est, inficiens, & contaminans præcipua animæ nostræ ornamenta, ita scribit Petrus Blessens. Ep. 3. *Hæc est ærugo, & tinea, quæ omnem mentis ornamentum depravando consumit.* Ponamus virtutem turris instar firmam, altas in nobis egisse radices, si fastus afflaverit, ait Nicolaus Notarius S. Bernardi E. 17. si superbia institerit præsidium quatere balistis suis, & mænia suffodere, fundamenta convellentur, & totum, quidquid est, corruet. *Nihil sic arcem virtutis arietat, & totius disciplinæ subruit fundamentum, quam superbia.* Hæc ubi semel in castello animæ pedem posuerit, continuò spoliat armis lucis, propungnaculis privat, & omnia, quæ vitia propulsare possent, truculentâ barbarie evertit. Superbia, inquit S. Prosper. l. 5. de vitâ contempt. c. 8. *virtutibus exarmat, quos semel invaserit, ipsa quidquid in eis remanserit, quod vitiis possit obniti, ne contra se fortè convalescat, interimit.* Quid plura? Quantumvis sacra sit commoratio, ait Hugo Victor in c. 2. in regulam, sanctus vestitus, pia operatio, si tamen immisceetur superbia, tanquam ab exitiali horrendâque peste omnia corrumpuntur. *Etsi sanctus sit locus, si sanctus sit habitus, si sancta opera videantur, totum ex vitio superbiæ inutile habebitur.*

Reconditis sanè misteriis scatet statua illa, quam Nabuchodonosor Rex in somno vidit, & Daniel Propheta cap. 2. delineavit: caput 173.

rutilabat auro purissimo, pectus & brachia ex argento succedebant, venter porro & femora ex ære conflata erant, tibiæ deinde robur ferri ostentabant, pedes denique partim ex ferro, partim ex luto coagmentabantur compositione prorsus exoticâ. Ita quidem erecta statua Regis oculis subjiciebatur, cum improviso saxum aliquod ex monte vicino abscissum impingitur, totam machinam prosternit, & in pulverem comminuit. *Abscissus est de monte lapis, & percussit statuam in pedibus ejus, contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ.* Dan. 2. Quid singula ex metallis ita adunatis portenderent, Propheta enucleatè disseruit. Si autem concessum mihi sit moralem inde allegoriam eruere, procul dubio per statuam illam repræsentatur symmetria virtutum, quæ perfectionem Christiani hominis efficiunt. In auro namque denotatur sapientiæ donum. In argento fidei candor renitet, in ære signatur fortitudo invincibilis, in ferro heroica quædam patientia figuratur, in testâ denique quid exspectes, nisi profundam humilitatem, & demissam sui æstimationem? hactenus bene; at quando spiritus superbiæ, cui descendere quodammodo est ingenitum, à nescio quo monte devolutus, fabricæ illiditur, & pestiferum virus affricat, proh! quanta continuò sequitur strages & excidium! prærogativæ cæteroquin nobilissimæ in momento pessumeunt, atque metalla dotibus suis exuta in maceriam & cumulum miseriarum transmutantur. Quod planè innuit Isidorus Hispalensis: *Superbia est origo omnium criminum,* inducens merum chaos, ac perturbationem rerum, *& ruina cunctarum virtutum.* Hinc, *etiamsi sancta opera videantur,* ut superius cum Hugone Victorino meminimus, *totum ex vitio superbiæ inutile habebitur.*

174. Rem non minus memoriâ quàm admiratione dignissimam liber Judicum narrat. c. 9. Gedeone Duce clarissimo vitâ functo, *Abimelech* illegitimus ejus filius, Judaici Principatûs supra, quam dici potest, cupidus, Sichimitas malis artibus induxit, quò suæ ambitioni velificarentur, itaque levi manu hominum vagorum vel rebellium stipatus patrias ædes invadit, & septuaginta fratres occidione delet, regni purpuram sanguine fraterno tingens. Quis unquam de rabie crudeliori, aut adeò execrandâ feritate inaudiit. Profectò superbia exoculavit penitùs, quem neque caro, aut sanguis agnatus à tam funestâ tragœdiâ potuit divertere! cui quæso venisset in mentem palatium Gedeonis spoliis hostium & triumphis undique nobilissimum conversum iri aliquando in teterrimam carnificinam? quis credidisset, ubi gloriosæ viruerunt palmæ, integram sylvam plantandam esse funebrium cupressorum? Quis

vel

vel somniasset, fore, ut tantus lectissimorum Principium numerus, velut grex ovium, in prædam cederet famelico Leoni, miserandum in modum dilaniandus, & devorandus? evenit tamen præter omnium exspectationem, spem, aut metum, & ideo evenit, ut palam agnosceret Orbis, quam horrendas clades edat spiritus superbiæ per Abimelech significatus, ubi principatum in animâ occupaverit: nempe virtutes omnes devastat, & funditùs tollit; quod innuit Præsul Hipponensis Ep. 56. ad Dioscor. scribens: *Nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia.* Idcirco monet, toto pectore incumbendum esse in id: *Ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.*

Quod verò sub figurâ, & allegoricè in Personâ Abimelechi contigisse memoramus, illud opere impletum lugemus in Herode. Quem autem vos, & qualem fuisse Herodem existimatis AA? *Herodes,* respondet S. Petrus Chrysologus S. 156. *refuga gentis Judaicæ invasit regnum, libertatem sustulit, prophanavit sancta, confudit ordinem, quidquid disciplinæ, quidquid cultus est, abolevit.* Herodes, inquam, nomine Rex, facto tyrannus, excutiens jugum Hebræorum, sceptrum violentè abripuit, & regnum injustus aggressor usurpavit, libertatem oppressit, sacra omnia susque deque vertit, & religiosas observantias lege Mosaicâ sancitas abrogavit. Notate obsecro in hoc superbissimo Tyranno, qui potentiæ ac magnitudini Romanæ sese opposuit, qui fastu intolerabili Judææ collum calcavit, qui Zelotypiâ, ne regno exuatur, proprios tres filios enecuit, & tantam innocentium puerorum stragem edidit, ad oculum demonstrari, quæ mala spiritus superbiæ in fideli animâ moliatur: ille à cultu hominis nos avertet, & jugum suavissimum Divinæ legis confringit, substituit in cordibus nostris Idolum & despoticum imperium, ac thronum erigit, libertatem filiorum Dei mittit in vincula, & machinatur meras seditiones, ac perturbationes calamitosas, operationis honestas corrumpit, virtutum exercitia depopulatur, & in herbâ suffocat, atque cum cætera quæque vitia ad unam instigent culpam, superbia facit omnium reos, cunctisque virtutibus perfidè, quò radicitus evellantur, periculum procreat, *& bonis operibus insidiatur ut pereant.* 175.

Perquam elegans est hypotyposis, quâ Regius Psaltes describit sub vineæ cujusdam Metaphorâ magnam Judaici regni prosperitatem, Majestatemque; Ex Ægypto, inquit, transtulisti eam in Palæstinam, & eliminatis inde sterilibus dumetis gentilium radices illius altiores plantasti 176.

casti, addito mirabili prorsus incremento, ut sanitos montes, & sublimiores cedros umbra illius operiret, atquè palmites & folia porrigeret, â mari usque ad celeberrimum Nilum vites, onerabantur eâ pinguissimorum, dulcissimorumque bottorum copiâ, ut indigenæ juxta, ac advenæ lætissimam, & copiosam haberent vindemiam. Verùm, prô dolor! vinea ipsius felicitatis manibus culta transit repentè in horridam solitudinem, & in metam ponitur omnis calamitatis; nam *exterminavit eam aper de sylvâ, & singularis ferus depastus est eam*, Ps. 79. v. 14. Terribilis bestia instar fulminis prorumpens è peregrinis sylvis, rostro durissimo, dente præacuto, voracitate inexplebili non vindemiavit, sed eradicavit videam, delicias evertit, vites disturbavit, uvas pessumdedit, sepes dissipavit, & omnia ita depopulata est, ut ubi prius amænitas ipsa inhabitabat, jam non nisi lugubris devastatio, & ruina cerneretur. *Sed* quis ausus est, tam immanem cladem inferre, quis tàm barbarè grassari, tàm cudeliter sævire non est veritus? Ah! superbus Antiochus, inquit Lyranus, unus author fuit tot miseriarum, Antiochus, velut impetuosus aper Græciâ egressus miserabilem vineam *exterminavit, & depastus est*. Nec absque gravi causâ compellatus est *singularis ferus*, licet enim lateri adhæreret ingens exercitus, & plurima tùm subditorum, tùm conscriptorum militum, tùm confæderatorum agmina, quibus Judæam inundavit; singularis tamen dictus fuit, quippe qui supra modum superbiebat, nemini, quisquis esset, assultus cedere, qui terram, & mare infestabat, ipsique cœlo, & DEO minas intentabat. Ita Nicolaus de Lyra: *aper de sylvâ fuit Antiochus Rex, qui fuit valdè singularis in superbiâ*. Et S. P. Augustinus: *Ipse aper, qui devastavit eam, singularis ferus, quia superbus*.

177. Id ipsum verò, quod vineæ Judaicæ per culpam, & feritatem arrogantis Antiochi accidit, credite securi renovari indies, in vineis *religionum*, ubi semel tyrannidem occuperit superbia: Illius operà dissolvuntur spes observationum & legum, terræ alioquin pingues & frugiferæ in salsuginem, & deserta convertuntur, flores laudabilium exemplorum flaccescunt, oleæ religiosæ pietatis arescunt, truncantur vites communis lætitiæ, & symphoniæ laudantium Deum mutantur in carmen lamentationis, verbo: virtutes religiosæ collabefactantur, & exscinduntur, quod docere voluit Augustinus: *superbia bonis operibus insidiatur, ut pereant*.

178. Quis satis vel verbis exprimat, vel lachrymis deploret turbas, calamitates & exitia, quæ Judæorum regno adscivit temerarius Absalon.

Ut

It coronâ potiretur, minimi duxit florentissimam illam Rempublicam n ultimum discrimen adducere: Explicuit signa rebellionis, & totidem volarunt cometæ, certi nuntii secuturæ cladis: Tubicines canere ussit ac taratantara resonare, & rauca hæc murmura, ceu tonitrua, diam imminere tempestatem præsagiebant. Confluebant magno numero homines turbulenti, è concitato vulgo undique collecti, & videbatur terra sub armorum pondere trepitare, componebatur acies, & initium dabatur non tàm prælio quàm stragi, humus solita uberes fructus ferre jam cadaveribus integebatur: herbæ solitæ semper excipere nobilem crystallum, & margaritas roris, jam totæ natabant sanguine: quodque ferrum non absumpsit, præcipitia saltûs interemerunt. Adeoque unius horæ intervallo 20000. hominum extincta totam provinciam terrore impleverunt, & miserandâ consternatione. Quid commemorem planctus matrum super amissis filiis? Quid acerbissimas neonuptarum de sponsis suis fato abreptis lamentationes? totam luctus occupavit, & comploratio, atque tam enormium malorum causa unica fuit cæca superbia Absolonis, illa regnum afflixit, factiosos armavit, animos irritavit, infestas acies commisit, illa proscripsit optatissimam pacem, populum ad incitas redegit, vinculum charitatis disrupit, securitatem periculis commutavit, robustos vitâ exuit, homines in truculentas feras convertit & regnum, Paradiso haud absimile, transformavit, in vivum quemdam infernum. Ita veritati consonat testimonium Humberti serm. 32. *Superbia destruit omne bonum.*

Sed mittamus castra, atque ab infaustis campis conferamus nos ad templi sacratissimum asylum, â tumultuoso exercitu convertamur ad solitariam Personam orationi deditam, Pharisæum intelligo, qui enixè supplicando, minus nihilo postulavit, & adeo non impetravit, ut potiùs miserabilem jacturam omnium quæcunque habuit incurreret Luc. 18. v. 11. audite novam precandi methodum: mille gratias, inquit, tibi habeo, Maxime DEUS, quoniam vitia, quibus plerique omnes fœdè contaminantur, procul sunt â spiritu meo, manus hæ insontes, & ab omni rapinâ sunt alienissimæ, hoc meum cor nullam designavit injustitiam, nullam admisit: nec sensus mei conspurcati sunt adulterii labe: alterâ per hebdomadam vice statis jejuniis carnem macero, & decumas fructuum examussim, & generosè pendo. Quis virtutes tam eximias non commendet? reprobat justus rerum arbiter DEUS, & Pharisæum è templo digressum aversatur. Quid causæ fuisse putamus? non alia certè quam fastus elati animi, quàm detestanda superbia: hæc 179.

omnibus eum bonis exspoliavit: ventis rapiuntur virtutes, quibus vanè gloriabatur miser: flores cultissimi illius horti emarcescunt, qui pruinâ arrogantiæ uruntur: terræ motum imitatur superbia amens, terræ afflixit ædificia virtutum, quæ videbantur ætatem latura. Appositè Hugo Victorinus noster, c. 2. in Reg. *Pharisæus perdidit bona sua, quæ se egisse jactanter protulit.*

180. Alieno periculo discamus sapere, & infelicitas eorum, qui vanâ jactantiâ virtutum, meritorumque naufragium perpessi sunt, doceat nos cauticos incedere, & laudabili nostra opera humilitate communire, ne diffluant. Ita Nicolaus Myrensis, ostentationem & inanem gloriam fugiturus, clam, & furtim tribus puellis, quas pater ob egestatem prostituere parabat, per fenestras immisit dotem liberalem. Ita Thomas Cantuariensis, sub habitu & veste linteâ Canonici Regularis hispidum super nudam carnem gestavit cilicium. Ita Carolus Borromæus, genium suum, & assidentium oculos defraudavit, quando coöpertis patinis mensæ pro se lupulos inferre jussit, durum alimentum. Ita quoque nos præclara gesta, & opera virtutum pro virili celemus & perspicacissimis Dei nostri oculis tantùm reservemus, *& Pater tuus, qui videt in absondito, reddet tibi.* Matth. 6. v. 6. Quod si contingat quædam necessariò palam exerceri, saltem in cordis arcano evanidum Mundi applausum fugiamus, ut optimè monet Hugo de S. Victore hîc. *Cùm foris bona agimus, intus cor ab elatione custodiamus.* Agite, paræmia est S. P. N. ep. 56. ad Dioscor. sancta humilitas perpetim versetur ob oculos nostros, ut inde tanquam ex speculo mores formemus, lateri adhæreat, cui securè innitamur, humeris incumbat, ne insolenter efferamur: Modestia, & submissio animi, ait S. Augustinus, *sit proposita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & imposita, qua reprimamur, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.*



Ex

Ex
CAPITE I.
Honorate in vobis DEUM invicem:
Religiosi mutuo sese honore afficiant.
DISCURSUS XIX.

SIngularem instinctum natura, optima rerum Magistra, cordibus humanis inseruit ad sui æstimationem, venerationemque quærendam, licet non omnes ad honorum fastigia & Prælaturas evehantur, omnes tamen, uti contemptum cane pejus & angue oderunt; ita honorari, & specialiter amari expetunt. Plerique vitâ exui malunt quàm bonâ famâ privari, & minùs honorificè tractari. 181.
Quemadmodum natura docuit aliis non inferre, quod perpeti ab aliis nolumus; ita jussit honorem tribuere aliis, quem ipsi avidi ambimus. Neque est natio tam efferata & ab omni lege humanitatis adeò remota, quæ non signum quodpiam observantiæ, venerationis, & respectûs deferat, sivè majoribus dignitate, sive conjunctis affectione peculiari. Hinc Cicero lib 1. de invent. scitè annotavit, *observantia est, per quam ætate, aut sapientiâ, aut honore, aut aliquâ dignitate antecedentes reveremur, & colimus.* Salustius memoriæ prodit, Sillam Romanorum nobilissimum nunquam offendisse in Pompejum, quin è vestigio ornatum capitis deponeret honoris ergò; Lipsius de amphit. c. 20. Et Seneca de se ipso testatur. Ep. 64. *si Consulem videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam, caput adaperiam, semitâ cedam.* S Augustinus Religiosis suis expressè in mandatis dat reciprocum *honorem*, & præcipuam venerationem, quâ alter alterum complectatur, ex altiori motivo, quod cultus, quo servi Dei cumulantur, in ipsum Deum redundet. *Honorate in vobis invicem Deum:* Super quem locum B. Humbertus c. 36. *in honore exhibito homini honoratur Deus. Et quid honoratur, in homine quocunque, nisi imago Dei? honor verò, qui exhibetur imagini illi,*

 cujus

cujus est imago, potiùs exhibetur. Ut igitur quicunque nostrûm æquissimo animo Augustino morem gerat, & impleat, quantum & comitas, & religio postulat, ecce vobis nonnullas efficaces rationes, quæ persuadeant, ni fallor, & evincant præcepti dignitatem, & æquitatem.

182. Nolim hoc loco minutiis attexere caput integrum nostrarum constitutionum, maturâ prudentique deliberatione. 1. p. c. 22. conceptum: *De reverentiâ ad invicem exhibendâ.* Quoniam Apostolorum Principi dudum hanc provinciam præripuisse censeo: S. *Paulus* Romanos c. 13. ita exstimulat: *cui timorem, timorem, cui honorem honorem*: Quasi diceret, Superioribus, quos Providentia Divina curâ regiminis oneravit, & auctoritatis, potestatisque prærogativâ ornavit, timor reverentialis deferatur, erga alios verò, quos proximos agnoscimus, benevolentia, magnifica existimatio, & veneratio habeatur. S. Petrus in primâ suâ Epistolâ c. 2. v. 17. scribens: *omnes honorate*: vult omnes charitatis officiis, & beneficiis prosequamur, quemadmodum Sol radios suos in omnes dispergit. Neque S. Augustinut absque gravi causâ, non simpliciter omnibus in abstracto, ut dicitur, sed præcisè Religionis vitam in communi societate degentibus honorem reciprocum injungit, eo, quod ille mirificam vim habeat ad fraternum amorem excitandum, fovendum, & conservandum. Hinc suavi quodam vinculo illigati videntur invicem honor & amor, & quia Apostolorum Primas cunctis præcipit: *omnes honorate*: illicò subjungit charitatem intimam, *fraternitatem diligite.* Ex adverso Doctor Gentium, doctrinam â fraternâ dilectione exorsus, proprium nutrimentum subjicit honorem: *Charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes.* Quorum vestigiis inhæret Seraphicus Bonaventura p. 1. spec. discip. c. 6. *deferre humiliter sociis honorem, charitatis est fraternæ fomentum; conscientiæ bonæ illustrisque animi evidens argumentum &c.*

Nec abludit Basilius M. serm. 2. de instit: monast: postquam enim acriter reprehendit, amicitias illas particulares, Religionibus adeò plerumque perniciosas, insignem hanc maximam statuit: *æqualis, similisque ab omnibus tenenda adversus cunctos charitas est, unicuique autem separatim pro cujusque decoro honor habendus.* Et. S. Dorotheus. sec. 4. *summâ cum reverentiâ, & veneratione mutuò vobis occurrite. & obviam ite, quisque vestrûm fratri suo caput inclinet, humiliet se corâm DEO, & fratre suo*; Et tandem quid putamus aliud intendisse S. Augustinum, quando præscribit: *honorate in vobis Deum invicem?*

183. Consiliis beatissimorum Apostolorum, & documentis Magistrorum

rum ſpiritualis vitæ non levis momenti robur addent exempla tàm Chriſti D. N. quam aliorum, virtute, & ſanctitatis famâ illuſtrium. Accubuit nuptiis inCanâGallileæ Salvator noſter,cùm hoſpites,in hilaritatem effuſi,ex improviſo defectu vini, tædio, & triſtitiâ capiuntur, Sponſus totâ facie irrubeſcere, miniſtri attoniti circumverſitare, omnes turbari, donec beatiſſima virgo,mater gratiarum, illorum ſortem miſerata,in neceſſitate ſubveniret,Divinumq; ſuum filium præpotenti interceſſione ad ferendas ſuppetias commoveret, qui proinde author ipſe Elementorum inſipidam aquam mirâ metamorphoſi in nectar paradiſi, in ſuaviſſimum vinum convertit, & ad pincernas verſus: *haurite*, inquit *nunc & ferte Architriclino* Joh. 2. En potum ſummopere deſideratum in abundantiâ, verumtamen primum indè calicem architriclino propinate. Quid obſecro ſpeciali hoc præcepto Dominus innuere voluit? virtute Divinâ providit indigentiæ ac ſiti aſſidentium menſæ,miraculoſè vinum ſubminiſtrat convivis,cur igitur non actutum jubet illis diſtribui, cur primo architriclino, nec avido, nec indigo defert in deguſtando mirabili potu? Alcuinus in catenâ aur. dubium ita enodat: *Architriclinus*,princeps erat triclinii, i. e. primus inter convivas: Et Dionys. Carthus. *antitriclinus nominatur principalis inter convivas, vel diſpenſator & ordinator Convivii.* Quoniam ergo Primarius erat inter præſentes, legesque, ac modum convivii diſponendi jus habeat,idcirco Dominus juxta gradum officii, & ſedem dignitatis, voluit præcipuum præſtare honorem, ante cæteros delibandi delicatum nectar. *Voluit Chriſtus,* concludit Carthuſianus, *ut ei primò vinum illud præberetur guſtandum, quia unusquisque honorandus eſt, ſecundum exigentiam gradûs, & officii ſui.* Ecce vobis, Venerabiles mei Concanonici,clariſſimis monimentis conſignatam auctoritatem & accurratum exemplar, quomodo vos erga reliquos veſtros Canonicos, & fratres geratis. Ille præ aliis honoretur, qui merito antecellit omnibus, præferatur in veneratione ac cultu cœteris,qui majori fulget dignitate & præſtat gradu doctrinæ, innocentiâ vitæ, ſenio ac pluribus in religione exactis annis,quidquid honoris tribuitur ipſis, deirivatur in Deum,omnium bonorum auctorem, â quo evecti fuêre ad illam qualemcunque præeminentiam, atque hic ſenſus eſt præcepti in Regulâ: *honorate in vobis Deum invicem.*

• Verùm â nuptiis Canæ, penuriâ vini turbatis, mentem attolamus 184.
ad nuptias cœleſtes, ubi natant deliciis, & omni dulcedine ac æviternâ beatitate perfruuntur, quicunque ad convivium ſunt recepti. Pollicetur Chriſtus, falli ac fallere omninò neſcius, in copioſam remuneratio-

nem vigilantiæ, ac seduli exhibiti obsequii quemlibet fidelem servum participem fore bonorum omnium, quæ infinitis Thesauris complectitur, *super omnia, quæ possidet, constituet illum.* Luc. 12. v. 43. promissum haud dubiè cumprimis magnificum, & splendidissimum, sed non minori difficultate circumseptum; Quid enim? si tota, quanta est cœlestis regni magnitudo, vigiliis unius solius servi assignatur propria: *super omnia, quæ possidet, constituerit illum:* totum illud supernum ærarium effundetur in sinum ejusmodi fortunatissimi, consequitur proinde, alios innumeros bene de Deo, & proximo meritos, privatum iri omni prorsus mercede, cum vacuis manibus ablegandos. Et verò si omnibus debètur regnum sempiternum, rursus consentaneum est, quemlibet uni potiturum esse parte: Et neutiquam fieri potest, ut idem præmium sit totum unius, simulque totum in multos distributum; sed dubium omne excellenter diluit Eusebius Emissenus, asseveranter pronuntians, unumquemque servorum Dei, totius cœlestis beatitudinis possessorem fore, quoniam inter beatos tanta vigebat animorum consensio, ut quilibet ceu omnium maximus esset, summo in honore habeatur à cunctis, & quivis nonsecus, quàm si omnium esset minimus, cultu singulos, quo potest devotissimo prosequatur. *Super omnia,* inquit Eusebius, hom. 1. in natal. confess. *quæ Dominus possidet, unusquisque constituitur, tanta enim ibi concordia erit, ut unusquisque quasi major veneretur ab omnibus, & quasi minor veneretur omnes:* quam vivendi normam felicem prædico, si æmulentur Religiosi, ut eorum quilibet alios suspiciat velut digniores, se verò infimum reputet, quo pacto difficile non erit, congruam aliis reververentiam, & pronum beniquâ voluntate deferre obsequium; quò tandem collimat S, Augustinus: *honorate in vobis invicem Deum.*

185. Si lubet intueri exquisitam reciproci honoris imaginem, *oculos* animumque in Evangelicum Centurionem advertite. Statim atque is inaudiit de stupendis prodigiis, passim à Verbo Incarnato patratis, optimâ spe plenus, ad sacrosanctas illius manus confugit, salutem, & opitulationem servo suo paralysi miseré conflictato quæsiturus. At labes gentilitatis prohibuit, ne ipse coram sese sisteret, convenit proinde nonnullos ætate ac moribus spectatos è Judæis, qui sanitatem à Nazaræo impetrarent quam efflictim desideraverat. Verùm his mediatoribus nedum contentus, quo amplius Dominum cohonestaret, delegit nobiliores ex intimis amicis suis, ut occurrerent, & eandem gratiam impensè flagitarent. Interea nuntium affertur, Christum proximè palatium abesse; nec mora, Centurio prodit obviam, atque ad pedes ejus provolutus inquietu-

…tudinem cordis, ac desiderium exponit: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Matth. 8. v. 6. Christus, eo honore exceptus, paratum se ostendit ad ædes supplicantis, ut præsentia Dei hominis honoraretur, subeundas, quod tamen is omnimodis recusavit, certè contestans: *non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* v. 8. quæ submissio præclarum ab infallibili veritate promeruit audire Encomium: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* v. 10. vide sis nobilem contentionem de honore non captando, sed præstando inter eos, quos meritò summa gloria comitatur, si verò de Centurione edixit magnus Augustinus, *sic interiùs præsentem corde retinebat, cujus à suo tecto præsentiam honorificè revocabat.* Nos ad Salvatorem conversi fateamur: *tu es Deus, qui glorificantes te glorificas.*

Si Christus, regio procreatus sanguine, si Centurio nobilis Romanorum minister certârunt, uter alterum solemniore reverentiâ condecoraret, quanto magis vos decet, O Canonici regulares, in generosæ vestræ nobilitatis testimonium: *honorare in vobis Deum invicem.* Nec ambigere sinit communis usus, & modus loquendi, comitatem, civilitatem, & dicendi, agendique venustatem notas esse hominis ingenui, nobilis, & liberalis, rusticitatem ex adverso, inscitiam, ac asperam cum hominibus conversandi rationem arguere genios in mediis agris enutritos. Neminem nostrûm latet, ad præsepe nati Redemptoris appulisse ex unâ parte Pastores, angelicâ melodiâ invitatos, ex alterâ verò Magos Stellâ duce advenisse: verùm, cum narratio instituitur de illis, legimus: *venerunt festinantes, & invenerunt Mariam & Joseph, & infantem positum in præsepio.* Luc. 2. v. 16. de Magis verò Matthæus. c. 2. v. 11. refert, *intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus; & procidentes adoraverunt eum &c.* Scilicet nulla in pastoribus notatur genuflexio, nulla inclinatio venerabunda, nulla obsequiorum vel munerum delatio, solus innuitur festinus ingressus, & mores simplices agrestes, & male concinni: at verò in Magis viris altâ sapientiâ, clarâ nobilitate, regiâ magnificentiâ exsolvuntur adorationes demissæ, oblati thesauri, officia honorifica; adeo verum est, incultos gestus proprios esse vilis plebeculæ, honores autem, & respectum erga alios â magnis duntaxat & nobili loco natis exerceri. 1186.

Vultis confirmem hanc sententiam exemplo authentico? En cumprimis insigne: David, variis insidiis à Saule dudum exagitatus, cumque tenui sequatium manipulo per deserta vagabundus, ac magnâ denique alimentorum penuriâ pressus, misit aliquos è suis ad Nabal, qui Carmelum 1187.

melum incoluit, omnibus rebus circumfluens: illi summâ modestiâ ac humanitate legationis momenta exponunt: O Nabali, cœlesti te Deus bedictione ditet, & augeat, solumodo fac nos tuæ gratiæ participes, & aliqua beneficia dispensa: quidquid è tuâ manu liberaliter profluxerit, pretiosum censebitur ac magnificum, & quoniam David affectu filiali precatur, confidit voti damnatum, & benignè à pio Patre sublevatum iri. *Inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bonâ venimus. Quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.* Audiens hanc legationem Nabal totus excanduit: *quis est David, & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt Dominos suos,* Quid mihi negotii cum Davide? nonne is filius est Isai Bethlehemitici Pastoris? vah quantus ille! militiæ Saulis auctoratus, sibi jàm turpi & perfidâ fugâ consulit, & nos opitulemur? Quid vobis videtur AA. an duriùs responsum barbarus Scytha potuisset reddere Duci tam affabili, & rebus præclarè gestis celebratissimo? siccine David cœlitus jam destinatus, & unctus in Regem, tot palmis & triumphis illustratus, omni comitate, ac urbanissimâ benevolentiâ tractet hominem crudum, & rusticum, & iste dicacitate petuliâ proscissum improperiis contemptuque oneratum rejiciat? Ita evenit. AA. memorabili documento, elegantiam morum, & civilitatem, dotem propriam esse Magnorum, & Nobilium: actus verò stupidos, bardos, & impolitos subulcis adhærere. Audiamus Lyranum. *Ponitur ipsius Davidis curialis petitio, & consequentur ponitur rusticana responsio.* Ita David ad sceptrum prognatus, amicè ac honorificentissime affatur hominem natalibus obscurum, & ruri educatum, qui tamen honorantem aspernatur, & ignominosa servi ac transfugæ nomina, & labem inurit.

188. Juvat discursum hunc geminâ obsignare similitudine, & *homines* quidem obscuris parentibus ac infimo fortunæ gradu ortos *sub noctis* umbrâ repræsentare, viros autem natalibus claros & illustres per amœnissimum cœli lumen denotare. Quemadmodum igitur nox, quæ aliud non est quàm lucis privatio, nigrum suum pallium expandendo, variegatos colores, & visu jucundas rerum differentias, Mundique ornatum velat ac abscondit: unde Ecclesia canit: *nox atra rerum contegit terræ colores omnium.* Ita maleferiatus genius ejusmodi aggrestium, & incultorum hominum in more, ne dicam in deliciis, habet proximum quemque incivilitate morum offendere injuriis, & calumniis afficere, contemnere ac denigrare. Econtrario animus sublimior, nobilis, & ingenuus Solis omnia illustrantis imitator, municipes honorat, radiis honesti-

honestissimarum actionum alios exornat, sibi devincint, observat, veneratur, ut rectè dixeris: *rebusque jam color redit vultu nitentis sideris.* Procul ergo ô mei Canonici, proculo à puro candore nostro sit horror exosus, & malignus tetricæ noctis, sicut in habitu, ita in moribus referamus candorem auroræ tùm ad decorem proprium, tùm ad honorem proximi, nec unquam memoriâ excidat, quod pro vetere adagio recitat S. Joh. Chrys. hom. 14. in act. *Proverbium quoddam est, qui honorat, se ipsum honorat, ita etiam, qui contumeliâ afficit, se ipsum contumeliâ afficit.*



Ex

CAPITE I.

Honorate in vobis DEUM invicem.

Sacerdotes colendos esse.

DISCURSUS XX.

Minimè vulgaribus, & communi sermone tritis rebus accensenda est, sivè singularis existimatio, quam omnes nationes conceperunt de Sacerdotibus, sivè præcipua sublimitas, & dignitas gradûs quem sunt assecuti. Penes Hebræos tanti fiebant, ut Philo integrum volumen compilaret, quo enucleatius eorum excellentias, & prærogativas aperiret. lib. de sacerd. honor. In Æthyopiâ Sacerdotes tam magnæ fuerunt auctoritatis, ut coronatos Monarchas, de solio regali deturbatos, in imo cum luberet, vel res postularet, destituere possent, aliosque subrogare. Strabo l. 17. Geograph. In Ægypto, Rege è vivis sublato, successor è Sacerdotio seligebatur, qui sceptrum & diadema sustineret. Plutarch. de Isid. Druidæ sacrificuli Gallorum summo cum imperio præerant regendis populis, componendis litibus, quâ publicis, quà privatis, cæterà immunes ab oneribus militaribus, & civilibus tributis Cæsar. l. 6. de bello Gall. Inter 189.

Persas gubernacula regni Sacerdotibus erant concredita, ut idem Rex unà esset ac Sacerdos, Euseb. in chron. Si Romanos attendimus, testis est Tullius 2. de leg. *magnâ potestate Sacerdotes fungebantur.* Si Sanctos Patres audimus, gloriosus Martyr Ignatius ep. ad Smirnenses perhibet, Sacerdotium esse summum honorem, & maximam, cujus capaces sint mortales, dignitatem. S. Ephrem Syrus Tom. 1. de sacerd. affirmat. *Sacerdotium esse miraculum stupendum, potestatem ineffabilem, venerandum mysterium.* S. Ambros. lib. de dignit. Sacerdot. c. 2. ait. *Sacerdotes Regibus dignissimè praestare.* Addit. Greg. Niss. l. de vitâ Moysis: *Sacerdotium non rem humanam esse sed divinam.* Quis proinde miretur Augustinum Religiosis suis praecipere, ut mutuâ se aestimatione ac veneratione prosequantur? *honorate in vobis Deum invicem*; hoc est, uti beatus Humbertus declarat, *honorentur Sacerdotes.* Agite AA. unâ mecum pensiculatius considerate, quanto deceat Sacerdotes domesticos Dei ministros in pretio haberi ab omnibus, ac reverentiâ occurrent, ut spero, quae non minus jucunditatis quam utilitatis sunt allatura.

190. Primas sibi non immeritò in extollendâ Sacerdotum dignitate vendicant laureatae, seu pennae, seu paraeneses duorum Caesarum celeberrimorum: Basilius inter alia gravissima documenta, in mnemosynon superstiti filio relicta cap. 3. *honora Ecclesiam Dei*, inquiebat, *ut vicissim à DEO in honore habearis, & Sacerdotes ejus reverêre, tanquam spirituales Patres & deprecatores pro nobis ad Deum, honor enim qui Sacerdotibus habetur ad Deum refertur.* Julianus quoque Imperator in fragm. *rationi*, ait, *valde consentaneum est, ut & Sacerdotes honorentur, tanquam Deorum ministri, qui, quae ad eos pertinent, nobis administrant, & ad illorum in nos derivanda beneficia momenti plurimorum adferunt; pro omnibus enim Sacrificia celebrant, ac precantur; Quare non minus ipsis, imò amplius, quam in civilibus Magistratibus aequum est honores adhiberi.*

191. An verò magis arridet honorem Sacerdotio debitum ex operibus DEI ipsius addiscere? opportunum suggeritur exemplum Jos. 3. nostis: quo tempore electus DEI populus Aegypto egressus, duce Josue, attigit Jordanem, & integro triduo ad ripam fluminis nimium quantum exundantis haesitavit, subinde Sacerdotibus negotium datum est, ut, sublatâ in humeros arcâ testamenti, primi tentarent vadum, & instar primoris agminis praeirent exercitum. *Tollite arcam faederis, & praecedite populum.* Illi actutum, quae praecepta fuerant, mandant executioni, probè gnari, Sacerdotibus incumbere, plebem ad sufferenda incommo-

di

da extimulare non modò sanis consiliis sed etiam sanctis exemplis: ingrediuntur alveum fluminis, *debent enim præcedere Sacerdotes*, dicit Hugo Cardinalis, *vita honestate, sicut præcedunt officii dignitate.* Quod velim in facto hic enarrato mecum observetis, illud est, quomodo aquæ ad lenem sacerdotalium pedum contactum cohibuerint fluxum, & sacro quodammodo correptæ horrore commeatum siccum, velut inter geminos, & crystallinos muros Israëlitis cesserint; *pedibus eorum in parte aquæ tinctis, steterunt aquæ*, quo miraculo Psaltes attonitus testatur: *posuit flumina eorum in desertum* Ps. 106. v. 33 & rursus: *abierunt in sicco flumina*: Psal. 104. v. 41. Coëgit ergo Dominus aquas fluminis retrogredi simul, atque pedes Sacerdotum in iis positi sunt; assumpsit Deus eorum pedum plantas in organum edomandi superbum fluvium, & coërcendi effrænis elementi impetum, ut vel indè populi ediscerent, quam venerationem oporteat exhibere Sacerdotibus tantorum instrumentis, vel architectis miraculorum.

Ab undis Jordanis digrediamur ad aquas Canæ, ibi, ut supra meminimus, certi quidam amici nuptiali convivio intererant, sed me- 192.
diam hilaritatem interrupit tristitia inopina, quia vinum lætitiæ fomentum defecerat, satagente; quæ assedarat fons pietatis, beatissimâ virgine Matre, jussit Christus hydrias ad summum repleri aquâ, quæ illico in vinum conversæ læto fuêre omini, tempus fore, quo ipsum quoque vinum eâdem divinâ virtute in prætiosum sanguinem esset commutandum. Sed adestum ministri, *haurite nunc, & ferte architriclino.* Joh. 2. v. 8. sumite ex hydriis liquorem, & porrigite architriclino, ut probet ante alios. Quid ita? hæret hic Joan. Chrysostomus, & rogat, eccur id honoris non Sponso Sponsæve, aut alteri cuipiam hospitum, sed Architriclino tantum fuerit impertitum? si restingendæ sitis gratiâ miraculum illud patratum fuit, cur vinum generosum non primitus propinatum fuit sitibundis? varium in sensum respondent Interpretes: ad præsentis instituti rationem, percommodè quadrat, quod in aureâ catenâ annotavit D. Thomas: *quidam architriclinum intelligunt aliquem ex Sacerdotibus Judæorum, qui nuptiis interesse poterant, ut illos instruerent qualiter nuptiis uti deberent.* Alicuin: in cat: unde credibile sit, architriclinum, hoc est, principem triclinii è Sacerdotum numero quemdam invitatum assedisse mensæ, ut Sponsus, & cæteros convivas, quia moderatione uti deberent, etiàm inter tripudia nuptiarum, dirigeret: idcirco Dominus illi omnium primò voluit honorum haberi, & vinum optimum degustandum offerri, quò doceret, præ aliis honorandum esse

gradum, dignitatem, & meritum Sacerdotum. Quod Spiritus quoque hortatur *Honorifica Sacerdotes* Eccl 7. v. 33.

193. Ne diutius nos moretur vinum in CanâGalilææ, vocatBethlehem domus panis. Illuc appulère â plagis Orientalibus Magi, veneraturi Solem longè pulcherrimum, assulti singuli magnifica inhabitare palatia, jam gloriantur, quod omnes simul recipiat vile gurgustium. Pendent, non obtinent tributum: genua humi defigunt, & corde in *cœlum usque* rapiuntur. Quos Stella ad gloriosam præsepe deduxit: *Ecce Stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Matth. 2. v. 9 in patriam reversos non astrum, aliave creatura, sed Deus ipse rerum Conditor, velut Dux, & Doctor comitatur. Teste S. Matthæo c. 2 v. 12. *responso accepto in somnis reversi sunt in regionem suam.* Hieronymus exponit: *Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum.* Quæso vos A A· si Deus interventu Stellæ ad se Magos attraxit, quid est, quod redeuntibus ad propria regna non splendore sideris, sed ipse immediatè per se assistere voluerit, ac gubernare? ingeniosé notat, & respondet. S Joh. Chrysostomus duplex præstitisse officium Magos, in sacro illo præsepio, utrumque Sacerdotibus proprium: videlicet: *adorarunt, & obtulerunt, quod Sacerdotum est manus.* homil. 6. in Matth. eapropter, postquam è coronatis Magis functione illâ in consecratos Sacerdotes transierunt, quos Magos, Astrologos, & Sapientes duxerat Stella, jam *quia adorando facti fuerant Sacerdotes*, inquit os aureum, honoribus aucti, veluti *cives Sanctorum* & Domestici Dei. Eph. 2. v. 19. ipso utuntur Deo Duce, Illuminatore, comite, ac protectore.

194. Nec suspicari vos velim, piis duntaxat, ac virtutum, Sanctitatisque gloriâ prælustribus Sacerdotibus. tantum à Deo honorem impendi, etiam illos, quos culpa arguit, & vitia contaminant Sacerdotes, *cohonestat*, & coli desiderat. Quo tempore Moyses in Sponsam sibi delegit, nescio quam Æthiopissam, malè habuit Mariam & Aaronem, qui serpentinas linguas adversus fratrem acuêrunt, maledicta in eum conjecerunt, & passim temeraria quædam arrogantia, de famâ, gloriâ & auctoritate detrahere studuerunt. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam.* Num 12. v. 1. Deus minimè assuetus tam enormem servi sui contemptum sufferre, acriter malevolos reprehendit, atque iniquitatem objectat, & statim atque is terga vertit, Mariam â plantâ pedis, ad verticem usque capitis leprâ corripuit, & miserum in modum depasta est. *Ecce Maria apparuit candens leprâ*, quasi

nix, & jam medium carnis devoratum est leprâ : haud parum Interpretes hoc rei eventu obstupefiunt: si enim Aaron ejusdem reus culpæ fuit, imo ceu vir, majori prudentiâ, & maturiori consilio præditus, gravius eo crimine promeruit supplicium, quam ob causam immunis evasit, neque similem cum sorore pœnam dedit? *quid est, quod Aaron non punitur sicut Maria?* sciscitatur Hugo Carensis, & satisfacit dubio, quoniam magnus Sacerdos erat, & publicæ pœnitentiæ subditus palam in facie totius Ecclesiæ, confusus pudore, exutus æstimatione, & fabula vulgi factus fuisset, virulentarumque linguarum meta, idcirco Deus connivere maluit, ac remittere cruciatûs rigorem, qui jure illum manebat: quia *Clerici publicas pœnitentias non debent agere* Concludit Hugo, & addit eruditissimus Mendoza 1. Reg. 1. v. 1. S. 1. n. 10. quod *eidem propter dignitatem officii maxima reverentia deberetur.*

Quod autem advertistis in uno hoc Sacerdote, eodem negotio observare est in totâ tribu Leviticâ, & Sacerdotali. Ægerrimè tulit Patriarcha Jacob, ferociam, & sanguinolentam crudelitatem, quam Levi, & Simeon filii sui exercuêre in Sichimitas, ne inultam impunitamq; dimitteret, hæreditate privavit terræ sanctæ, & illos à cunctis cæteris tribubus separavit. *Simeon & Levi fratres vasa iniquitas bellantia &c. dividam eos in Jacob, & disspergam eos in Israël.* Gen. 49. v. 5 quod opere fuit examussim completum: Quippe occupata terra promissionis, & varias in tribus dispertita, Moyses *tribu Levi non dedit possessorem,* Jos. 13. v. 33. porro ideò adjungitur fuisse hæreditate orbatos Levitas; Quoniam *Dominus Deus Israël ipse est possessio ejus tribûs.* En vobis mirabilem Numinis dipositionem! ibat exhæredatum Levitas in castigationem justissimam truculentæ feritatis; & prætendebatur singulare meritum ac dignitas. dispergi proin debebant per omnes tribus Levitæ, tanquam primores timoris Dei, & observationum Moysaicarum Magistri, minerval, & pinquem possessionem, subministrante ipso Deo, qui abundè pascere voluit, ac felicissimè providere. Audiamus Masium, *quamvis isthæc Levitarum exhæreditatio, ob perfidiam & crudelem cædem, quam hujus tribûs auctor, & primus Parens apud Schimitas fecit, justè facta in pœnam videri debet,* disposuit nihilominus amantissimus Deus: *ut fieret illa dispersio & cum summâ, & amplissimâ ipsorum dignitate, & cum totius Israelitici generis maximâ utilitate.* Ita Deus castigando veteres Levi culpas honori consuluit Levitarum, ut quod re ipsâ supplicium erat ac pœna, titulo gloriæ exornaret, atque in decorem verteret suorum Sacerdotum: Nempe suprema Numinis Providentia assolet è me- 195.

Q 3 diis

diis umbris elicere radios, admirandæ claritudinis, & *dixit de tenebris lucem splendescere*. 2. Cor. 4 v. 6.

196. Ab universâ hac tribu rursus sermonem reflecto ad unum è multis, virùm singularem: Heli cogitate, magnum Sacerdotem, connivebat is in filiorum Ophni, & Phineas sceleribus maximis, & non sine enormi piaculo proprio impunitatem dedit alienis peccatis, propterea gravissimè in eum animadvertit Deus, qui filios quoque immorigeros digno mactavit supplicio, quod scandalo fuissent immani, & oneri intolerabili omnibus Israelititis: verùm si studiosius animum intentetis, qua ratione fulmen divinæ ultionis impios hos prostraverit, deprehendetis filios cum arcâ Dei progressos in aciem, impigre adversus Philistæos depugnasse, & gladiis barbarum contucidatos victimarum instar occubuisse: *mortui sunt Ophni & Phineas, & arca Dei capta est*. 1. Reg. c. 4 v. 17. Similiter & Heli ante portam templi consedit, & percepto infelicis captivitate arcæ filiorumque cæde nuntio, dolore obrutus, ac lapsus *de sellâ retrorsum juxta ostium confractis cervicibus mortuus est. Eliditur*, inquit Tertullianus adversus Psych. c. 13. *præ templi foribus Heli: filii ejus in acie ruunt*. Obstupescite hîc ineffacilem Dei Providentiam, sceleratos illos Sacerdotes dignitate exuit, ac vitâ, & tamen in oculis Mundi parcit auctoritati, honori, ac existimationi. Moriuntur in prælio gemini fratres, sed quoniam intrepidè propugnant arcam, sanguinem fundunt, & moriuntur gloriosi. Expiravit sub aditu templi grandævus Heli, at vigilantis Leonis more, nec in morte deserit custodiam sacræ domûs, vigiliis suis concreditæ, usque adeo verissimum est, Deum ita Sacerdotum vindicare crimina, ut subjaceant pœnæ, spectante cœlo, & ignominiam coram Mundo evadant, quo perceptâ veneratione afficiantur.

197. Evangelista Lucas c. 10. prodit, quemdam in mediis *sylvis jacuisse* barbarâ latronum feritate rebus omnibus spoliatum, multisque lethalibus plagis dilaniatum: & illicò subjungit eâdem viâ transiisse Sacerdotem, & Levitam, nec quidquam detrimenti passos fuisse. Hugo Cardinalis interrogat: *quomodo Levita, & Sacerdos, qui transibant per illud desertum non fuerunt occisi à latronibus, sicut ille?* Nec dubito, quin doctissimus Cardinalis abundè satisfaciat quæstioni suæ; mihi tamen impræsentiarum perplacet sententia alterius cujusdam magni ingenii, quod ubi latrones more rapacium luporum invasêre laicum, Sacerdotem tamen, & Levitam, velut personas Ecclesiasticas, tantâ veneratione affecerint ut minimum inte rimentum inferre non auderent. *Cum essent Ecclesiastici*

astici in tanto honore ac reverentiâ, reputabantur, ut etiam inter fures ac latrones securi degerent, ab omnique malo ac nocumento immunes incederent. ylveyr l. 5. c. 21. n. 49. Jam verò si Hebræi, licet suapte naturâ oppidò avari, propriorumque impendiorum cumprimis studiosi non horruerunt detrahere sanguinem è venis proximorum, quò metella exprimerent è marsupiis, tanto tamen respectu & veneratione tractarunt Sacerdotes, ut omni prorsus injuriâ abstinerent, quis credat in lege gratiæ homines dari adeo consceleratos, ut non vereantur servos Domini domesticos, pupillas DEI, Ministros Sacramentorum, ac vitæ æternæ, opprobriis lacessere ac maledictis, bonis spoliare, damnis & injuriis sacrilegâ crudelitate onerare? utinam audirent tales saltem Basilii Imperatoris constitutionem, & parænesin: *quemadmodum honor, qui eis habetur, ad Deum pertinet, ita eorum contumelia & contemptus longè etiam gravius ejus iram provocat.*

Prætermittere non possum, quin illis ob oculos ponam exemplum magni Eliæ, cui opinor, derogari jure non potest titulus, & officium sacerdotis, quoniam etiam altare instruxit, & victimas litavit, & cœlo singulari energiâ supplex non sine prodigiis auditus & voti damnatus fuit. Morabatur is solus in vertice cujusdam montis, cùm quinquaginta apparent milites, ut caperent, missi, & Dux illorum eminus, ut Eliam conspicere, & exaudiri potuit; inclamavit: *Homo DEI, Rex præcepit, ut descendas.* Ille haud ignarus, ut Hugo advertit! *quod ironicè vocaverunt eum hominem DEI, & quod ex malitiâ veniebant*, bene habet, respondit; quia vos illuditis mihi, vocando me DEI servum, ille, cui servio, quique in cœlis imperat, & omnia moderatur, vos irridebit, & justam exiget vindictam. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos*, 4. Reg. 1. dictum factum: & ille qui manum voluit in Sacerdotem mittere, instar miserabilis victimæ periit & conflagravit: qui ignominiis appetiit ministrum cœli, à cœlo prostratus, & in cinerem redactus fuit: qui vim paravit, & cædem servo Dei commi[n]atus est, ictu violento percussus occubuit, ut omnibus esset documento, injuriam Sacerdotibus illatam, sive, ut cum Basilio Imperatore loquar, *eorum contumeliam, & contemtum Dei iram provocare.* Non igitur subtrahamus cultum & venerationem Sacerdotibus, qui sunt ministri, & domestici Dei, in quibus etiam, cum suis laborent defectibus, & vitam non optimam ducunt, honoremus sanctitatem gradus, & prærogativam sacræ unctionis, quò mereamur, ut simus unctone divinæ misericordiæ sanctificati, & servati. 198.

Ex

Ex

CAPITE I.

Honorate in vobis invicem DEUM, cujus templa facti estis.

Nos esse templa DEI.

DISCURSUS XXI.

199. NUllis verborum ambagibus exprimi satis potest, quanta ubique gentium templis adhibita fuerit reverentia, eò quod domus, & palatia Dei immortalis, illustribus privilegiis conspicua haberentur. Romani summâ modestiâ, observantiâ, & compositione morum solebant subire delubra, attestante Seneca. l. 7. nat. quæst. c. 30. *intramus templa compositi.* Hebræi memores Davidici effati, *domum Dei decet sanctitudo.* Psal. 92. v. 5. magnam puritatem vitæ, morùmque Sanctimoniam exigebant, si quis vellet in adyta templi penetrare. Turci quoque, in significationem præcipuæ venerationis, templa non ingrediuntur, nisi depositis ante ostium calciamentis, Theodosius junior, toti Mundo sensa animi sui palàm facturus, ita decrevit: *Dei templum ingressuri foras arma relinquimus, & ipsum etiam diadema regia Majestatis insigne humiliter deponimus.* Baron. *tom. 3. ann.* 398. atque, ut sileam trecentos alios, Christiani Basilicas Sanctorum, non subintrant, nisi capite, reverentiæ causâ, aperto & fronte undâ lustrali conspersâ ad eluendas veniales maculas, ut puritas propria ex integro sanctitati respondeat loci. Quod si verò tanti fiebant templa materialia, ceu domus Dei; profectò non minori cultu ac reverentiâ dignu[s] censeri debet Religiosus, quem veluti templum suum inhabitat De[us]. Hinc S. Augustinus Canonicis suis reciprocum persuasurus honore[m] non aptius judicavit suppetere argumentum, quàm vivam memoria[m] quemlibet esse sacratum DEI templum. *Honorate in vobis Deum invicem cujus templa facti estis.* Quem in locum B. Humbertus serm. 3[?] *s[?]*

cut honor, qui exhibetur templo, reputatur honor Dei, qui habitat in templo, uia unum est propter alterum, ita honorare Patrem, est honorare Deum in fratre, ujus est templum. Porro Religiosum esse templum Deo consecratum plu-bus in præsenti alloquio demonstratum eo.

Si Doctor Gentium cunctos Christianis ritibus initiatos optimo are hoc titulo honorat, dum suggerit. 1. Cor. 3. *nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.* Et rursum. 2. Cor. 6. *vos estis emplum Dei vivi.* Idipsum procul dubio peculari titulo, sive, ut Humbertus loquitur, *specialiter convenit viris religiosis*, tanquam iis, qui certâ quadam & singulari ratione Deo in templa sunt consecrati: *quia, & ipsi sunt DEO dicati ut templum.* Hæc certè veritas obversabatur S. Augustino, quando 10. lib. de civit. c. 10. ita secum tacitè discurrebat, atinam Religiosi accuratiùs in mutuam charitatem, & concordiam intenderent, qua cum adminiculo in sanctuarium Dei evadant, seu simul spectentur, seu singillatim! *Dei templum est*, inquit, *simul omnes, & singuli templa sumus, quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur, non in omnibus, quàm in singulis major, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur.* 200.

At inquies; Si unusquisque Religiosus, velut Numinis Divini templum habendus est, quod in quolibet per sanctam gratiam dignetur habitare, qnalemnam illius templi erit altare? me quod attinet, nullus ambigo, quin ara nuncupandum sit cujusque purum, constans, & generosum pectus: Super aram namque erigitur vexillum S. crucis, ipsa quoque Redemptoris è cruce pendentis effigies; quis ergo renuat appellare aram cor Pauli? cujus symbolum erat Gal. 2. v. 20. *vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus,* Pectus S. Francisci Salesii nullo non tempore idem venerabile præseferens signum, quo feliciter de Mundo triumphavit? Pectus B. Susonis, quod instar animati collis Golgothæi sub cruce genuit, & clavis confixum intimo sensu Redemptoris degustavit dolores acerbissimos? Pectus Claræ, quod latens sub Sacramento homo Deus prodigiosis radiis illustravit? Pectus denique S. Antonii Paduani, in quo velut throno liliis consito sacrosanctus infans quiescebat? Forsan desiderio flagras, aspiciendi servum Dei, cujus pectus gesserit genuinum altaris officium; ecce tibi S. Lucianum Martyrem Samosatenum, qui voto, meâ quidem sententiâ, satisfaciet insolidum. Lippellous 7. Januor. prodit, sanctissimum hunc virum à crudelitate Maximiani contrusum fuisse in profundum quoddam antrum & fœtentem cœcumque carcerem, nec tamen penitus celari potuisse, per tenues quippe 201.

rimas adeo rutilantem evibrâsse splendorem, ut discipuli ejus magnâ copiâ è vicinis civitatibus confluxerint, haud secus quam lucernarum luminibus advolant papiliones: sed lugubre spectaculum pias mentes perculit, cum viderent magistrum suum, membris omnibus dilaniatum, inediâ diuturnâ usque ad extremam vitæ lineam deductum, nec occurreret ulla occasio, vel minimo auxilio, vel solatio refocillandi, hinc largas fundere lacrimas, & penè animum despondere, nisi *ipse, cujus* vicem dolebat, erexisset, ac confortasset. Quod maximè cunctos afflixerat, penuria erat Angelici panis: barbaries gentilium subtraxit sua vissimum Eucharistæ firmamentū, dum nullis viribus pro sacrificio incruento sacra mensa inferri poterat in angustias carceris. Sed agedum, Charissimi, *ait* ad suos Lucianus, siquidem altari ligneo, lapideoq; nobis interdicitur, *ut* sufficiamus, hoc meum pectus in altare transmutetur, & spe firmissimâ nitor, amabili Deo haud displiciturum. *Erit vobis hoc meum pectus, Deo, ut confido, nequaquám ingrata mensa.* Agite dilectissimi, stipate me, & inservite mystico templo, super hoc meum pectus, divina offeramus mysteria, & continuò, Christianis ita circumstantibus, & ministrantibus in Personâ Christi JEsu panem & vinum transmutavit in corpus, & sanguinem Salvatoris, & prætiosissimâ hac alimoniâ túm alios tùm se ipsum refecit Sacerdos idem, & altare, & paulò post etiam hostia consecrata in obsequium Dei futurus.

202. Dixi meditatè, Sanctum illum fore hostiam consecratam: victima enim sibi propriam sedem vendicat in altari, sive sanguine tingatur, quemadmodum lex vetus immolare jusserat, sive sit incruenta, ita lex gratiæ consuevit offerre. Nec quemquam cura exerceat, undenam Religioso in altare Domini præparato victimæ asciscantur: supervacanea illa est, cum victimarum affatim sit, si propria mactet *vitia & concupiscentias*. Audiamus quà subtilitate Divus Paulinus de *hujusmodi* sacrificiis discurrat. Ep. 3. *in pectore nostro castum altare ponentes illa, per legem jussa sacrificiis animalia mactemus in vitiis:* Cædetur, inquit ille, fætidus hircus, si sensus & carnis illecebras triumphemus: occidetur taurus, si fastus & arrogantia nostra sese demittet, ovis jugulabitur, si fervore spiritûs languorem acediæ, torporemque excusserimus, agnus offeretur Deo, *si immaculati vivamus*, & tener vitulus. *si efficiamur malitia parvuli.* O quàm eximium erit, quám acceptum sacrificium illud, macerare carnem, & assiduâ afflictatione spiritui subdere mentem intaminatam, custodire affectus, & vivatiores animi motus cœlum versus intendere. *Non est in victimarum inquisitione aliquis laboret,* inquit S. Paulinus,

us, *habet in se ipso, quod offerat, mactandas hostias in seipso habet, quin & ipse hostia esse potest.* Idem Apostoli fuit votum, ut *immolaremus hostiam viventem, sanctam DEO placentem.* Rom. 12. v. 1. cui sententiæ lubens quoque accedit D. Augustinus in Psal. 50. monens: *noli extrinsecus pecus, quod mactes, inquirere, habes in te, quod occidas.* Et dudum antea Psaltes suaserat: *sacrificate sacrificium justitiæ.* Psalm. 4. v. 6. q. d. ut Chaldæus explanat: *domate concupiscentias vestras, ut reputabitur vobis, sicut sacrificium justitiæ.*

Hactenus quidem de altari, & victimis disserui: sed unde promemus ignem, qui hostias absumat, & sacrificium decenter illustret? Gregorius Magnus respiciens præceptum Divinum Levitic. 6. v. 12. *Ignis in altari meo semper ardebit.* l. 15. moral. c. 7. id exponit in hunc modum: *altare Dei est cor nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum Charitatis flammam indesinenter ascendere.* Ignis igitur Charitatis super altare pectoris, imo, & ipsius cordis jugiter alatur! ille rubiginem perversorum consumat affectuum, ille victimas sanctarum operationum incendat, & usque ad cœlum empyreum attolat; ille gloriam Deo, & proximo afferat solatium: unde ardentia vota ingeminentur: *accendat in vobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis: & iterum: flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.* Ejusdem ignis adminiculo incensum nostrarum precum mirâ fragrantiâ, & fideles recreat, & ad supremum Divinæ Majestatis thronum elevatur; ut quod David erat in votis, Religiosus quilibet sibi usurpet: *dirigatur, Domine, oratio mea in conspectu tuo.* Psal. 104. v. 2. 203.

Nobilissimas has prærogativas omnes pauculis verbis complexus est Ansbertus, quando ponderans singulares gratias à Deo fidelibus suis communicatas, & Apoc 1. v. 6. ennaratas *fecit nos regnum,* sive, ut alii legunt: *Reges, & Sacerdotes Deo:* in hunc modum scribit: *ipsi sunt Reges, ipsi sunt Sacerdotes, ipsi, & altare, ipsi & Sacrificium.* Reges sunt, quotquot invicto robore tumultus, & vitia passionum componunt, & internos motus edomant, ac frænant: Sacerdotes sunt, quippe qui sacra operantur & Domino immolant macerationem corporis sui, debitasque laudes persolvunt: altare sunt, nec unquam sinunt compunctionis ignem deficere: sacrificium sunt, & holocaustum, qui totos se, quanti sunt, Divino obsequio impendunt. Neque lampadem desiderari patitur mysticum hoc templum: ubi sanè coruscanti lumine honoratur Deus, ubi oleum pietatis abundat medicandis proximorum plagis accomodum, & ignis ardentis Zeli, emundandis conscientiis, & scandalis tollendis necessarius. 204.

 Videtis

205. Videtis, opinor, quot rationum momentis nixi cum Tertulliano de Coronâ militum c. 9. gloriari possimus: *nos sumus templa Dei, & altaria & luminaria*: qui præterea docet, ad fores hujus spiritualis templi excubias agendas esse pudicitiæ, quæ aditum prohibeat cuicunque turpitudini, maculæ, ac impuritati: *cum nos omnes templum simus Dei, ejus templi æditua & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat inquinatam sedem, offensus derelinquat.* Quin imò non immunditia tantum omnis hinc proscribenda est, sed etiam toto pectore incumbendum, ut omni virtutum apparatu, & elegantiâ convestitus locus evadat dignus, qui Deum recipiat, ita monet S. Leo Papa. serm. 5. de quadr. *si templum Dei vivi, multâ nobis vigilantiâ laborandum est ut cordis nostri receptaculum tanto hospite non sit indignum.*

206. Non perfunctorie transeunda sunt Encomia, quibus Ecclesiasticus illustriores veteris legis viros condecorat. c. 44. v. 1. *laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione suâ.* Qui ergo, & quales erant illi? *homines magnâ virtute, & prudentiâ suâ præditi; divites in virtute, & pulchritudinis studium habentes.* Cuinam verò pulchritudini studuisse putabimus? certè non illi, quæ in deliciis habetur fœminarum, & vanissima industria procuratur, quia in momento instar floris proteritur, & evanescit: non igitur homines, tantâ prudentiâ, & mentis acumine dotati, tot virtutum gloriâ insignes evanidam illam formam curarunt, potius instituitur sermo de illâ venustate, quam Sacerdotes in tabernaculis, in sanctuariis, & templis quæsierunt. Unde in divinam Majestatem exquisita redundabat veneratio, & obsequium: *pulchritudinis studium habentes*, id est, commentatur Dyonis. Carthus. *diligenter intenti circà ornatum, cultûs divini & templi decorem*, Et Hugo Card. *pulchritudinis studium habentes* i. e. *pulchri ædificii faciendi Domino: ut Moyses de tabernaculo, & Salomon de templo construendo.* Hoc supposito, liceat mihi subjungere, laudem eam solemnem Moysi adscriptam, &, Salomoni quod neque sumptibus pepercerint, nec industriæ in exornandis materialibus tabernaculo, & templo, debere nobis esse incitamento ad conquirendam omnimodam pulchritudinem animæ, quæ templum est spirituale Dei, conferendo illi claritatem fidei, sensa animi, affectus & opera legitimè coördinando, ut adeò habitatio tota omnibus numeris fit absoluta, & cultissima, consonat ipse Hugo: *significat hæc pulchritudo, pulchritudinem animarum, quæ consistit in verâ fide, & debitâ ordinatione cogitationum, affectionum, & operum.*


207. Prodit hunc ipsum aphorismum Regius Psaltes, cùm apertè profitetur

idetur: *domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Psal. 92. v. 5. ubi votorum metam non modo in eo collocat, ut Dominus Dei fulgeat nobili structurâ, lectissimo ornatu, frequentiâ populi devotis precibus, victimis, sacrificiis, & holocaustis, sed potiùs ut ministri Levitæ, Sacerdotes, & Pontifices, sanctitate vitæ, puritate, ac innocentiâ emineant, quo sensu Euthimius: *hanc*, inquit, *domum decet sanctitudo, hoc est, ut sit sancta, eâ nimirum ratione, quia Dei sancti Domus est, verùm hoc ita demum fiet, si iis, qui illud templum habitant, mundi extiterint ab omni prorsus inquinatione.* Et verò non tanta requiritur mundities in templo materiali, quantâ exornari decet fidelem animam quam incolit Deus, attestante Apostolo, fideles esse *templum Dei*, inquibus *spiritus Dei habitat.* 1. Cor. 3. v. 16. S. Hilarius eam subdit rationem in Psal. 64. v 6. *Ornatum est ergo hoc templum Sanctitate, atque justitiâ, ut bonis domus Dei repleatur, ut æquitatis ac fidei operibus mirabile sit.*

Ab hoc scopo nimium quantum aberrant, qui templum orationis locum mutant in forum, & publicum mercatum, ut oestro avaritiæ perciti emant, vendant, permutent boves, oves, columbas, quas quidem non absque stomacho, etiam flagello armatus, mansuetissimus Dominus exturbavit. Joh. 2. ac si apertè vellet exprobare: heu! quanta irrogatur contumelia templo Domini! siccine domus Dei impensis tantis consecrata, vertitur in telonium? siccine, ubi resonare deberent voces canticorum, & Psalmorum, audire cogimur mugitus boum, & ovium balatus? siccine ubi oporteret ascendere fragrantiam thymiamatum, & incensorum, jam vetor stabulorum, & mephitis diffunditur? siccine ubi divina implorabatur clementia, jam sordida exercentur mercimonia? ubi fideles cor attollere in cœlum jubebantur, jam luto affectuum & terræ merguntur? Deus bone! *quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? qui consensus templo cum Idolis? vos enim estis templum* Dei. 2. Cor. 6. v. 14. & quis combinabit justitiam, quæ animas Sanctitate exornat: cum iniquitate, quæ maculis fœde aspergit? quis conciliabit lucem virtutum tenebris vitiorum? legem Christi jugo Dæmonum? sanctimoniam templi fraudibus, & perfidiis mercantium? quapropter cum vos templa sitis Dei, laudibus Majestatem ejus honorate, ac insuper omni virtutum genere vos exornate, quoniam, ut suprà memini, *ornandum est hoc templum sanctitate atque justitiâ.* 208.

Enimvero conveniret totâ facie irrubescere, qui, veste religiosâ amicti, affectus nutriunt sæculares, ac mercenarios, & malunt obire 209.

forum, quàm frequentare chorum, cumulare opes, quàm venerari Numen, mercari jumenta, elocare vaccas, villas coëmere, & œconomiam mundanam non sine statûs opprobrio administrare, quàm Divinis vacare. Utinam saltem Apostolum audirent: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* 2. Tim. 2. v. 4. si semetipsos auctorârunt propriâ sponte obsequiis Domini, quâ fronte nobilitatem sui gradûs, eâ turpitudine notant, ut jugum ferant vilissimi Mammonæ? si templa *sunt Dei*, quo pacto in stabula desciscunt pecorum, vel bubulos? si lege professionis attendere jubentur, & invigilare soli spiritui, ad quid distrahuntur tot curis, & nugis mundanis? Agedum, quotquot in tantum à semitâ salutis hactenus deflexistis, expendite, quod assumpti sitis in templa honoris, & toto pectore reprehensionem justam ac ignominiam ... fugite: exhalate odorem Sanctitatis & exquisitam puritatem procurate, *ne* DEUS *ille, qui inhabitat inquinatam sedem offensus derelinquat.*



Ex

CAPITE II.

In Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod est factum, unde & nomen accepit.

Culpas in oratoriis, & sacris locis admissas severiùs fuisse castigatas.

DISCURSUS XXII.

210. CIvitates, & Respublicæ politiâ, & legibus probè instructæ, quò publico consulerent decori, & necessitates præverterent, varia solent magnis sumptibus, & laboribus ædificia construere: ad commune propugnaculum fossas circumducunt, & muros turresque præaltas: ad sedem justitiæ insignem curiam erigunt, ad terrorem sceleratorum, & vindictam scelerum ergastula

ula ſtatuunt, & cippos, ad eruditionem juventutis, & ſcientiarum emorium athenea aperiunt, Areopagos, & Peripatos. Arabes in habitaula militum ac paſtorum formarunt papiliones. Saul cupidus dilaındi gloriam bello paratam, arcus triumphales invenit: plures Imperaorum magnificentiam oſtentârunt Romæ in ſuperbiſſimis Amphitheaːis. David in cuſtodi m urbis Regiæ celeberrimam turrim excitavit; alomon plantavit hortos deliciis natantes, palatia extruxit metropoli, Majeſtati propriæ ſplendoris plurimum adferentia, templum toto Orbe ecantatum ædificavit in honorem Divini Numinis, ita ut omnis proanus uſus procul inde amandaretur, ſed unicè ſerviret victimis, ſacriiciis, votisque ac operibus Religioſis. Unde David palam edicit: *n templo ejus omnes dicent gloriam.* Pſ. 28. v. 9 & rurſus: *domum tuam, Domine, decet ſanctitudo* Pſal. 92. v. 5. & ipſemet humanæ ſalutis vindex Chriſtus Dominus: *domus mea domus orationis vocabitur.* Matth 21. v. 13. nec aliud ſpectat ſeria admonitio regulæ S. Auguſtini inſerta: quod Oratorium unicè intentum ſit ad orandum: *In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit.* Addit Hugo Victorinus in commentario: *ſummopere cavendum eſt, ne aliquid in ſanctuario fiat, quod oculos Divinæ Majeſtatis offendat.* Quod ſi verò ea ſit noſtra ſeu infelicitas, ſeu perverſitas, ut improbis noſtris actibus Deus in ambitu oratorii, ſive manſionis delectæ offendatur, locus recipiendæ ſupernæ gratiæ ac miſericordiæ deputatus tranſibit in locum diſtrictæ pœnæ, ac ultionis, quod niſi ingratum ſit, fuſiùs hic loci ediſſeram.

Quis crederet triumphum, quo inter tripudia, & feſtos applauſus innumerabilis turbæ exceptus fuit Chriſtus, in lachrymas deſiturum fuiſſe, & amarum planctum triumphantis? & tamen Dominus *videns civitatem flevit ſuper illam.* Luc 19. v. 41. nec temperare potuit; cum prævideret Jeroſolymarum Civitatis, quam pulchriorem Sol non videbat ſuper terram, miſerandum excidium. Ita nimirùm plorat filius Dei, & exultant filii hominum: in honorem illius cæduntur rami palmarum, ad internecionem horum Cypreſſi â Romanis præparantur: interim ſolemni hac pompâ Chriſtus ad magnificentiſſimum Salomonis templum deducitur: quo ingreſſus continuò ex oculis etiamnum fletu madidis flammas vibravit ardentis Zeli, & exturbare cœpit, qui ſacras profanare ædes non verebantur. Quid molimini hic, inquit, O ſacrilegi? Itane vos orationis domum commutatis in mercatum? ſiccine Sacerdotum & Prophetarum cantus demulcere aures debebant, inconditus perſtrepit, & mixtus animalium clamor? *Domus mea domus orationis eſt,*

211.

est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Lucæ 19. v. 46. Quæso vos, quo pacto conveniunt misericordes lacrymæ benignissimi JEsu cum tantâ illius iracundiâ? Dolor, & luctus conceptus ex prævisâ ruinâ cum aspero Sacrâ profanantium supplicio? verum haud dubiè præsagire voluit, infelix Jerusalem, suprema tibi clades imminet, quod templum tuum tot immanibus contaminetur sacrilegiis, & domus *orationis evaserit* taberna negotiationis, telonium, & officina iniquitatum! *vicem* tuam doleo, quia luctuosam perniciem non longè abesse jam contueor. Ecce accingor justâ motûs indignatione, ad ejiciendos profanos, ut, remotâ scelerum colluvie, spes adhuc affulgere queat veniæ, & tantis malis remedium in tempore afferatur. Audiamus Alfridum in alleg. Tilman. *liquet, quòd ob avaritiam maximè eorum, qui in templo negotiabantur, imminere ei civitati excidia videbantur, quando post lacrymas, & querelas illi potissimùm sunt ejecti.* Non dissentit Joseph de bello Judæ: ita perhibens: *erat sermo vetus & frequens tunc perituram Jerusalem, & fana ejus destruenda, cùm seditio belli legem incessisset, & domestica manus templum Dei violassent.* Sed ab infaustis vaticiniis, & gravissimis intentatis iis, qui sacra templa profanarint, oculos, & sermonem convertamus, in justa eorum tormenta & ultiones.

212. Octodecim fluxerant anni quibus dira Moäbitarum tyrannis afflixerat Hebræos, cum barbarum animum deliniturí amandarunt Aod Judicem suum, qui legatione fungeretur, & Regi Eglon munera nonnulla deferret. Aod re prosperè confectâ, in patriam revertitur, ubi autem conspexit idola erigi in Galgalis, actutum aulam regiam repetiit, & sub prætextu, quod arcana certa haberet Regi clam aperienda, adacto in viscera ejus ferro, vitâ simul exuit ac regno Jud. 3. v. 22. Quæstionem hic movent interpretes, quid Aod impulerit, ut primùm *affatus Regem* minimè offenderet: In altero colloquio instar ferocis Leonis invaderet, ac enecaret? Sed obvia est ratio, si sacrum textum inspiciamus: *reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad Regem: verbum secretum habeo ad te O Rex.* Itaque Judex ille sacro exarsit Zelo, ubi aspexit Galgalæ locum cultui divino pridem mancipatum, in quo religio florebat, tabernaculum Domini visebatur, frequentes convenerat fideles populi, malitiâ Regis Eglon adeo contaminari, & idololatriæ deputari, dolebat Aod mactati victimas spurcissimis Idolis, ubi supremo Cœlorum Moderatori hostia consueverat offerri! & locum venerationi Creatoris consecratum, incoli â detestandis larvis, & monstris infernalibus. Quæ rei indignatio adeo commovit fortissimum Heroem, ut statueret pœnas

exigere

exigere, & sacrilegii auctorem morte violentâ mulctare. *Quando vidit Idola*, inquit Nicolaus de Lyra, *quæ Eglon posuerat in Galgalis in contemplum loci sacri ex hoc fuit accensus Aod ad revertendum, ut interficeret Regem Eglon.* Scilicet nemo tabernaculum Dei impunè profanat, & Nemesin æquissimam in se provocat, qui domum Dei, seu Oratorium sacrilegio infami polluit, ac deformat.

Ardenti Aod Judicis Zelo sociari meretur prodigiosa fortitudo 213.
Samsonis, cujus equidem vitam perpetua comitabantur miracula, maximè tamen sub extremum Spiritum enituit. In vincula conjectus ex insidiis turpissimæ Veneris, severam ab hostibus ultionem petiit, Marte Generosior & Hercule, multos dum in vivis degeret confecit, sed longè plures moriens interemit. Convenerant in amplo Dagonis delubro Philistæorum Principes, & vulgus in numerum, ut falso illi Numini mactarent victimas, & sacra facerent: subinde sternebantur mensæ: convivia celebrabantur, & omnia tumultu, & clamore ebriorum perstrepebant, converso decore templi in Theatrum temulentiæ, turpitudinis, & omnis dissolutionis: ne autem quid temeritatis deesset ac vesaniæ, Samsonem adduci jubent, scilicet qui oculis ab ipsis orbatus, hinc inde palparet, impingeret, cespitaret, corrueret, atq; suâ ærumnâ cachinnos hostibus excitaret, & omnium sannis & sibilis exploderetur. Verùm quid exspectatis AA? Samson amplexatur geminas, quibus totum illud pergrande innitebatur ædificium, columnas, tantâque vi concutit, ut moles templi collabens sibi gloriosa tuba, & adversariis maximo numero præsentibus horrendum evaderet patibulum. Ita fanum illud durante sacrificio immotum, quamprimum contaminare cæpit moribus dissolutis, locis, & strepitu sæculari, ceu propriam vindictam sumeret, impios contemptores ruina involvit, & ultimo ibi affecit supplicio, ubi graviter deliquerunt Barbari. Si verò idololatris non fuit impunè profanare templum, quanto magis auscultandum est monito Augustini? *In Oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod est factum.* Ne divina Majestas irritata pænas irroget, ubi alioqui colligendi essent fructus suæ misericordiæ.

Horrendam mortem oppetiêre cùm Heli Summus Pontifex, tùm 214.
Ophni, & Phineas, scandalosi illius filii: isti quidem in ætatis flore gladiis Philistæorum ceciderunt, ille verò de sellâ retrorsum corruens expiravit. Quæ tantæ calamitatis & adeò funesti interitus causa? Pagina sacra exprimit 1. Reg. 2. nempe, quum devota plebs victimas immolaret, illi, neglectâ vetere consuetudine, carnes violenter eripiebant,

& antequam solitis obsequiis pars sua Deo consecraretur, suis cupediis intenti, mensæ propriæ vendicabant adipem, & primitias. Prætereà sacros cancellos tabernaculi mutarunt in turpe cypridis lycæum, & sacrâ æde, pro olentibus incontinentiæ lustris utebantur. Quid ad hæc immania scelera grandævus Pater? aut nimiâ dissimulat conniventiâ; aut frigidâ correctione arguit quò factum est, ut Deus æquissimus rerum arbiter ac vindex cogeretur ulcisci, & tam lugubri eventu castigare, quò publicum extaret monumentum, quanta eos pœna maneat, qui sacra loca contaminare haud verentur, & domum Dei scandalis, & sceleratis moribus exosam, & contemptam reddunt: nequaquam mireris, si justa Numinis ira in istiusmodi exoneretur.

215. Testes appello rei per se satis superque luculentæ degeneres Aronis filios Nadab, & Abiu, quibus religio non erat, thuribulum, post habito sacro, igne implere profano, & thus adolere, at suffitus ascendit coram Deo abominalis, idcirco ignis è vestigio excussus desuper sacrilegos corripuit, & interemit *Arreptis thuribulis imposuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Deo ignem alienum, egressus ignis à Domino devoravit eos.* Levit. 10. Quam historiam ita cecinit Gregorius Nazian. carm. ad Episcopos:

— — Sancti proles me terret Aaronis,
quæ, quia non solitum sacris admoverat ignem,
Protinus insolitâ jacuit quoque morte perempta,
Sacrorumque locus, mortis locus extitit idem.

Certè, si more filiorum Aaronis in locum sacrum *invehamus* ignem vanum, & profanum, si cum filiis Heli pro ardenti *devotione* excitemus in tabernaculo Dei sordidæ avaritiæ incendia & flammas tetræ libidinis, spargamusque non odorem Thymiatratum, sed fœtorem impuritatis, & scandalorum, peregrinum videri non debet, quod Dominus Deus, qui temerarios illos filios in cineres redegit, etiam in nobis vindicet omni supplicio.

216. S. Paulus animadvertens, immodestiam Corinthiorum, qui ad Eccesias se contulerunt, non ut applicarent sese ad orandum, vel pane cœlesti vescerentur, sed ut cibos corporales præpararent, dapes condirent, genio indulgerent, crapulæ ac ebrietati studerent; eheu exclamabat, sacrâ quadam indignatione repletus: *Nunquid domos non habetis, ad manducan-*

manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam DEI contemnitis? 1. Cor. 11. 22 q.d. nonne alia desunt loca, in quibus agatis convivia? eccur elsumdatis respectum Ecclesiæ debitum ceu loco devotionis ubi Sacramenta dispensantur, verbum Dei evulgatur, saluti animæ vacatur? an ergo sanctuarium hoc commutabitis in tabernam meritoriam, ibi dapes devorando, ibi calicibus evacuandis, & helluationibus operam navando? hoc procul dubio in apertum contemptum vergit sacrarum ædium, ut Anselmus interpretatur. *Ecclesiam Dei contemnitis,* inquit, *id est, domum Orationis, quæ consecrata est ad exorandum in eâ Deum, & ad percipienda illius sacramenta, utique contemnitis eam, dum irreverenter in eâ carnales cibos sumitis.*

Si Apostolus exarsit tantopere adversus eos, qui pransi fuêre in Ecclesiis; Quid quæso diceret, si audiret, in Ecclesiis Theonino dente proscindi proximos, & optimi cujusque famam integram mordacissimé lacerari? nefaria iniri consilia, insidias strui, & machinas disponi, quibus alii facultatibus, & vitâ exuantur? si videret in templis sacrilegè ludi chartis, & aliis, pejerari, & nomen Domini blasphemari? in Ecclesiis vagari oculos, & ardorem libidinis vibrari, perfrictissimæ frontis papas sua exercere lenocinia, & ad infanda flagitia filias impudicas sollicitari? prô nefas fulminat aureum os hom 74. in Matth. *multi ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam in Eccelsiam veniunt, hæc non fluminibus solùm sed etiam gehennæ supplicio dignissima:* 217.

Verba illa, quæ Salvator amantissimus ad turbas locutus est, cùm violentas manus injiceret, & armis stiparent captum in horto, accuratiorem merentur considerationem. Quid sibi vult insolitus iste furor, & exotica violentia? indies templum vestrum accessi, sedi, docui, nullo negotio comprehendere potuistis, & noluistis. *Quotidie apud vos eram docens in templo, & non me tenuistis.* Matth. 26. v. 55. & nunc tanto tumultu & impetu, ceu latro forem, & grassatorum Coryphæus, exiistis capturi, & irruitis? quid hoc monstri est? sed fortassis tacitè responderunt, quoniam templum locus est omni veneratione dignissimus, ipsos se non fuisse armorum strepitu inquietare, vel armatos involare, in templo enim oportere Deum adorare, non contumeliis lacessere, pietatem colere, non comittere iniquitatem: locū esse sacrificii non sacrilegii, magno se flagrâsse desiderio Christum catenis vinctū trahendi, sed respectum erga templum ligâsse manus, & prohibuisse, ne prorumperent in tantum scelus: perinde ac si cordibus eorum insculptum fuisset hoc docu- 218.

cumentum S. Augustini: *In Oratorio sive in templo nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est.* Et Hugonis Victorini: *summopere cavendum est, ne aliquid in sanctuario fiat, quod oculos divinæ Majestatis offendat.* Jàm verò si tantâ in templum reverentiâ ferebantur Hebræi, quantò magis convenit Christianos, & maximè Religiosos, omnem modestiam & venerationem exhibere Oratorio: quod est parvum quoddam Dei *templum*, & Sanctuarium?

219. Solebant Judæi, inquit Oleaster in cap. 30. Isa. *quando ascendebant ad Dominum juxta legis præscriptum ducere tibiam & alia musicalia instrumenta.* Qua in re observo fistulas & tibias sonum edere ac Harmoniæ subservire, alterno digitorum & gutturis ministerio, & manuum attactu, & pectoris, & labiorum flatu, perfici, quapropter Israelitæ, *templum* Domini revisuri, & tibiis instructi, monebantur consecrare divino obsequio, quidquid possunt, & pectore, & lateribus, & flatu, & manu, ac digitis, neque minimum profano usui, vel occupationi reservare. Quod Sancta quoque Ecclesia insinuat hymno fer. 5, ad laudes.

Ne lingua mendax, nec manus,
Oculivè peccent lubrici. Sed potius
Os, lingua, mens, sensus vigor
Confessionem personent.

220. Salomon docturus, qua cautelâ deceat fideles subintrare Dei templum, dicebat Eccl. 4. v. 17. *custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Hoc est, quemadmodum explanat Olimpiodorus: *ne quæso pedibus eisdem, quibus templum Dei frequentas, Theatrales adito ludos, & obscæna spectacula.* Si mihi fas est eloqui, quod sentio, huic parænesi *non possum* non adjungere, O vos omnes, quos ratio statûs & professionis multoties in die Orationum jubet ingredi, & domum precationis, solicitè cavete, ne oculi aliud speculentur, quam objecta pietatis ac devotionis: linguam custodite, utpote quæ vocibus Psalmorum, hymnodiarum & Prophetiarum sacrarum unicè est auctorata, cohibete aures, ne pateant murmurationibus, & sibilis detractionum, sed solius Dei verbum excipiant: manus servate insontes, & dignas, quæ supplices in cœlum leventur: cor denique illibatum sit ac purum, quo fervor charitatis alatur, verbo, persuasissimum vobis sit: *in Oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit.*

Et

Ex

CAPITE II.

Psalmis & hymnis, quum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.

Orationem corde peragendam esse.

DISCURSUS XXIII.

QUo tempore Sol moratus in signo Leonis merissimum ignem spirat, & non tam radios temperatos, quàm ardentes sagittas ejaculatur, nostrumque hemisphærium succensæ fornaci simile reddit, cicadæ stridore suo, sylvas & agros replent: 221.

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadæ. Virg. Eclog. 8.

Emittunt porro vocem suam illæ non collisione faucium, vel dispositione gulæ, sed tantum agitatione viscerum, aut laterum, vel etiam contentione pectoris: quippe quæ intolerabilem æstum moderaturæ quoddam refrigerio, anxié luctantur, & palpitant, itaque cantum, dicam, nescio an quæstum edunt, & lemma promeruerunt: *à pectore voces.* Cicadas Sacri Scriptores symbolum esse volunt orationis fervidæ, in qua devotarum vocum sono junguntur cordis intima, quemadmodum docuit Concanonicus noster S. Isidorus de summo bono: *Oratio est cordis, non labiorum, neque enim verba Deus attendit, sed cor aspicit orantis.* Atque id genus orationis ab alumnis suis exigit D. Augustinus: *Psalmis & hymnis, cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Subjungit Hugo de S. Victore, *orandi perseverantia ita solum videtur esse fructifera, si quod ore precamur, hoc mente meditemur.* Nec abludit S. Prosper, Epigram. 6.

Laus vera in Dominum depromitur ore precantis,
Si quæ voce fluunt, intima cordis habent.

Laudetur igitur Deus, sed vocem laudis comitetur fervor cordis: siquidem, ut ostendam modò, ipse non æquè curat sonum verborum, ac internum affectum.

222. Auctorem hujus doctrinæ habemus Apostolum Paulum, qui Colossensibus suasit: *docentes, & commonentes vosmetipsos in psalmis & hymnis, in canticis spiritualibus, in gratiâ, cantantes in cordibus vestris* Deo. Colos. 3. v. 16. Idem Ephesiis commendatum vult c. 5. v. 19. *loquentes vobismetipsis, & hymnis, in canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris* Domino. Si lingua in hymnos & cantica solvitur, cordis tripudium sacrum associetur, festivisque vocibus mensuram, quam tactum appellant Musici, cor devotum præstituat: alioqui rogat S. Gregorius: *quid prodest strepitus oris, ubi mutum est cor?* & urget D. Joan. Chrysostomus in Psal. 41. *ut non os quidem verba loquatur, mens autem extra versetur, undequaque divagans, sed ut lingua ab animâ audiatur.* Eundem in sensum denuo Hugò noster Victorinus: *psallentium in Ecclesiâ mens concordare debet cum voce, ut impleatur illud Apostoli: psallam spiritu, psallam & mente.* Sapiens illa Cyri & Artaxerxis parens suasisse memoratur, ut qui libellum supplicem porrigere vellent Regi, verba byssina adhiberent: *Regi dabitis byssina verba*, seu plena candoris, synceritatis, grataeque comitatis; ego verò Christianis singulis orationi accinctis consulerem, ut in affatu Domini Dei usurparent *seria verba*, sicut enim bombyx eruitur ex intimis visceribus, ita precatio, & laudes divinæ ex cordis medullâ proficiscatur, *oratio est cordis non labiorum*, ut paulo ante monui ex S. Isidoro, *neque enim verba* DEUS *attendit, sed cor aspicit orantis.*

223. Accidit, duos simul ingredi templum Pharisæum, & Publicanum, adorandi Numinis causâ: quamvis autem eadem esset utriusque intentio, *ut orarent*, Luc. 18. v. 10. eventus tamen longissimè diversus, atque è diametro oppositus eorum voto respondit: Pharisæus quidem copiosissimas grates cœlo retulit, quod plurima bona opera exercuerit impigrè, ac innumera mala solerter declinarit: at publicanus rubore perfusus, nec cœlum suspicere præ indignitate ac multitudine suorum scelerum ausus, efflictim hoc unum flagitabat: *Deus propitius esto mihi peccatori!* res mira, & nescio horrenda magis, an deploranda! Pharisæum,

um, qui secum adduxit amænitatem cœli ridentis, & placidissimam serenitatem, fulmen perculit supernæ condemnationis: publicanum exagitarunt turbines tempestatis sævissimæ, & lætus bonisque avibus subit portum Divinæ pietatis: *descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Quam causam suspicamini: AA. hujus palmaris discriminis?

Sed facilis erit solutio dubii, si revocare in memoriam placeat, 224.
quod sacra Genesis enarrat. Cain primogenitus Adami aræ adgeniculatus, eam oneravit frugibus terræ: Abel secundogenitus in altero quodam altari etiam immolavit agnos optimos de grege: at licet ambo fratres Germani, ambo fundentes orationem, ambo Religione, & latreutico Dei cultui àpplicati, ambo in cœlum intenti, & ad Deum conversi fuerint, nihilominus alter divinam incurrit iram, ac indignationem, alter invenit gratiam, & favorem optatissimum: *respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem & munera ejus non respexit*: Gen. 4. v. 4 Quid quæso induxit tantam varietatem in pari, ut videri possit causa? mihi aptiùs ad responsum nihil occurrit doctrinâ Ruperti Abbatis Prov. 23. *Cain, cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat*, &c. *hujusmodi DEUS portionem non accipit; sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi, at Cain cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit DEO: Abel autem primo cor suum, deinde rem suam offerendo plurimam hostiam obtulit.*

Idem, quod usuvenit Caino, quem abominatus est Dominus, quòd 225.
sua, non seipsum, offerret, & Abeli, qui maximopere placuit Deo, quod primum seipsum consecraret, dein victimas, prorsus accidit Pharisæo, & Publicano, in illo videas, & oculos in cœlo fixos, & manus in altum sublatas, & linguam de prædicandis divinis perfectionibus mirè facundam, & vocem gratitudine ac benedictionibus resonantem. Attamen nihil horum ex corde procedit, quis ergo miretur, quod Dominus non probet, non curet, non acceptet, sed aversetur, & omnino respuat? Publicanus exadverso, ut suspicere cœlum non præsumpsit, ita plangere pectus, & sedem iniquitatum tundere non destitit, *percutiebat pectus* Luc. 18. v. 13 proin commovit viscera divinæ Misericordiæ, veniam-que impetravit, verberatione inveteratum cordis vitios lethargum excussit, & incitavit ad exercitium virtutum, atque adeo si linguâ exorando velut aureâ clave reseravit ærarium supernæ clementiæ, percussione effecit cor longè gratiarum capacius. Perquam apposité S. Zeno, Serm. 5. in Psal. 13. *Publicanus non membratim sed totus exorat: quia pectus crebrò percutiens quodammodo cor suum, manu verecundè castigat.* Adeo

verum

verum est, vina & energiam orationis â corde derivari. *Neque enim verba Deus attendit, sed cor aspicit orantis.*

226. Sed verborum satis de publicano, revertamur, si placet, ad Pharisæum, cujus orationem, si ritè pensemus, apparebit merum esse panegricum contextum de primariis virtutum suarum dotibus: *Non sum ait, sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, jejuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo. &c.* Et quod miremur, quoniam per omnia is connititur se ipsum justificare, infelicem refert damnationis sententiam, & horribilem repulsam, cum tamen Ezechias Rex etiam in suis se orationibus multùm commendans: *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, & corde perfecto*; benigne exaudiatur votique compos evadat: Iterum lubet rimari caliginem tam diversi eventûs.

227. S. Augustinus super Genesin excitat simul ac complanat quæstionem haud injucundam: cùm Deus senectutem Abrahami per Angelum dignaretur consolari, ac polliceri, nasciturum ei ex sacrâ uxore tot votis expeditam prolem, Sanctus Patriarcha profundissimâ submissione se humi prostravit: *cecidit Abraham in faciem suam & risit* Gen. 17. v. 17. *Sara quoque hoc nuntio accepto risit post ostium tabernaculi.* Gen. 18. v. 11, risum Abrahami Dominus dissimulavit, non reprehendit, non ægre tulit, sed adversus Saram conqueritur: *quare risit Sara?* & plenam quommodo Judicii formam instituit. Quid movit Deum ad tam varium procedendi modum? verùm videte latam differentiam, ac dispares ridendi rationes in Abraham, & Sarâ. Risit Abraham, sed simul expressit jubilum cordis, quod magnâ reverentiâ ac admiratione suscepit gratiam divinitus impertitam. Risit Sara, risu suo non gaudium, sed contemptum, ac diffidentiam de promissis adimplendis innuit, eò, quod esset sterilis, & jam decrepitæ ætatis. Idcirco Deus intuens utriusque cor, Abraham non vituperavit: Saram verò justis querelis increpuit: *arguitur Sara, quia risit*: scribit S. Augustinus apud Hug. Card. Gen. 18. *& non Abraham, cum similiter riserit, quia illius risus admirationis fuit, hujus dubitationis, quod dijudicare potuit, qui corda novit.*

228. Porro idem gloriosus Deus, qui cordis, intima, perlustrat, & risum Saræ non Abrahamæ culpavit, etiam audivit encomia, quæ sibimetipsis arrogarunt, cùm Ezechias, tùm Pharisæus, & illum probavit, istum reprobavit, quod laudes Ezechiæ prodierint, ex humili, devoto, & supplice corde, laudes verò Pharisæi ex animo inflato, superbo, & arrogant fuerint eructatæ: & quemadmodum dixit Eucherius in 1. Reg.

Pha

Pharisæus se justificavit in opere, Ezechias justum se asseruit etiam in cogitatione, atque unde ille offendit, inde iste Domino placuit, quia Deus singulorum verba pensat, & in ejus aure superba non sunt, quæ humili corde proferuntur.

Ad incitas, & extremum discrimen adductus Daniel Propheta unà cùm populo suo, miserandæ captivitatis catenis Babilone gravato, lamentari, & Deo per Azariam ita supplicare institit: *Non est in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta:* Dan. 3. v. 38. En clementissime Deus! destituimur Principe, qui prælietur pro nobis; Ducem, qui præeat, & semitam salutis commonstret, non habemus; nec Propheta quispiam suppetias fert, aut miraculis solatur. *Neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam, & vultum iratum placare.* Unicam spem fecisti nobis reliquam, confidimus, cor dolore scissum, luctu squalidum, suique cognitione verè submissum, potenter esse patrocinaturum, ac impetraturum assistentiam pietatis tuæ, ac affluentiam omnium bonorum. *In animo contrito, & spiritu humilliato suscipiamur: & nunc sequimur te in toto corde.* Nec latuit eum, quod pridem Regius Vates prædixerat: *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Psal. 50. v. 19. Ita nimirùm constanter in angustiis nostris DEUS *cor aspicit orantis.* 229.

Omnem propemodum fidem ac admirationem superat immensa illa Redemptoris nostri pietas, cùm tanquam reus ultimis, & post homines natos inauditis tormentis excruciatus regiæ tamen magnificentiæ suæ haud immemor, proné audiret petitionem, abjectique latronis recentissimè blasphemis insuper eum vocibus lacessentis atque delicias & opes Paradisi appromitteret. *Hodie mecum eris in Paradiso,* Luc. 23. v. 42. Superi! Quid virtutis, quid meritorum attulit ille, quibus capax evaderet tantæ mercedis? sed ecce! viguit in eo fides tàm viva, ut licet Christus, secundum formam & naturam humanam atrocissimæ neci deditus, jam jam expiraret, eum tamen pro Deo immortali ac æterno agnosceret, & veneraretur: tam firmam spem fovebat, ut anhelaret ad regnum cœleste, cùm positus in mortis confinio ultimum spiritum traheret: tantâ charitate flagrabat, ut in medio contradictionum, adversus dimidium prope Mundum, innocentiam Christi tutaretur, & salutem proximi solicitè procuraret; quâ fortiter increpando, quâ salubriter commonendo Verùm ad instituti mei rationem confixæ erant manus, & inhabiles effectæ ad quodcunque virtutum exercitium: pedes 230.

 pariter

pariter trabali clave perforati tenebantur, quò minùs augere meritum & vel templum revisere, vel peregrinationem posset instituere, totum corpus nuditate externâ, paupertate ac miseriâ premebatur, nec quidquam remansit incolume præter cor, & linguam, ambo volens, lubenque Deo impendit, & ita promeruit præmium æternæ beatitatis: quod eleganter S. Gregorius l. 18. mor. c. 23. expendit in hæc verba: *in cruce clavi manus ejus, pedesque ligaverant, nihil à pœnis in eo liberum, nisi cor, & lingua remanserant: Inspirante Deo totum illud Deo obtulit, quod in se liberum invenit, ut juxta hoc, quod scriptum est, corde crederet ad justitiam, ore confiteretur ad salutem.*

231. Eia igitur AA. linguam nostram, quotiescunque vacat orationi, affectus cordis animet, ut insignem inde fructum percipiamus, nec Salvator justam conquerendi causam habeat: *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth. 15. v. 8. Harmoniæ Psalmorum consonet motus animorum, qua sacra verba proferimus, vitam capiunt ex desideriis sanctis, procul à vocibus divinis removeantur cogitatus sæculares, humanæque, & inanes curæ? non tangat nos improperium illud: *vox quidem vox Jacobi est, manus autem manus sunt Esau.* Gen. 27. v. 22. Avertat Deus, ne Judæ imitemur execrandam iniquitatem, qui Jesum titulo honorans Magistri, & salutem impertiens osculabatur: *ave Rabbi, & osculatus est eum.* Matth. 26. v. 49. sed laudibus his minimè respondit internus affectus, & prosperitatem precatus moliebatur proditionem, labiis non corde osculabatur, quam perfidiam S. Ambrosius advertit lib. 10. Ep. 89. *Osculum,* inquit, *affers, qui non habes osculi charitatem, osculum non labiorum quæritur, sed cordis & mentis.* Verùm in laudibus Deo persolvendis non solùm.

Os, lingua, sed etiam mens, sensus Vigor
confessionem personent.

Et sicut in hymno de S. P. Augustino cecinit D. Augustinus.

Quod lingua foris personat
intus affectus sentiat!

Atque ita demum satisfiet reglæ S. Augustini, *Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

Ex

Ex

CAPITE II.

Hoc versetur in corde, quod profertur in ore.

Verbis nostris exprimendum esse affectum cordis.

DISCURSUS XXIV.

ILlustri sanè ingenio à naturâ instructus fuit, qui, immensâ Cœlestium Sphærarum vastitate in angustum spatium coactâ, cursum Solis dimensus est, &, æquabili horarum partitione inductâ, populos docuit tempus distribuere opportunè, ac suum cuique negotio, labori & quieti, curis domesticis, & impendiis civilibus assignare. 232. Ex pluribus rotis invicem sivè oppositis, sive innexis elegans conficitur symmetria, ut mirabili discordiâ concordent, ac stylo exposito, quænam horæ effluxerint, quæ supersint, oculis designent, auresque præterea moveant pulsu campanæ, itaque concubiâ etiam nocte & summo rerum omnia silentio curiositati juxta ac necessitati humanæ succurrant. Istiusmodi horologium, quod indice deserviat oculis, & sono auribus, insignitum fuit hac Epigraphe *: ut intus moveor.* Quare suggerit genuinum Sapientis Magistri symbolum, qui doctrinæ externæ aliis communicatæ jungit virtutem, & consensum cordis. Ad idem argumentum trahi possunt verba S. Augustini, vehementer optantis, ut quando Religiosi sui palam docerent, vel privatim instruerent, è suggestu prædicarent, vel in familiari colloquio versarentur, doctrina oris rectâ profluerer ex abysso cordis: *hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Nec fallit poësis. S. Prosperi epigr. 6.

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.

Et quia de nobili hac oris, & cordis conformatione in præsent rum verba facere constitui, conatum meæ linguæ promoveat vest benevolentia

233. Visio Ezechielis. c. 3 descripta haud modicum nostro proposi lumen affundit: delectus is à Deo, qui tribus Israël æternam legem an nuntiaret, ante omnia se invitari audiit ad mensam, cujus *dapes*, & totus apparatus in erudito quodam apposito volumine consistebant. Agedum Propheta, cernis librum hunc, apprehende, gusta, comede, devora. *Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi*: Ezech. 3. v. 3. morem gerit Propheta, & dulcedine prorsus stupendâ fauces natabant, ut non immeritò cum *Davide* gloriari posset, *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Psal. 118. Secundùm hoc, veluti excellenti alimoniâ roboratus, mandatum accipit: *vade ad domum Israël, & loquêris verba mea ad eos.* v. 4.

Inscrutabilia sunt Judicia Dei! quid vobis videtur? nunquid efficatius armari, & animari potuisset Propheta, si fructus ex terrestri paradiso fuissent subministrati? vel mensâ instrueretur pane, quo confortatus Elias triduanum iter confecit? vel cupediæ coturnicum è castris Israël sufficerentur? vel certè manna decursu 40. annorum in deserto Israelitis munificâ, plenâque manu indultum apponeretur? Quid enim alimenti, vel succi conferat prægrandis codex? *comede volumen istud.* Dein, siquidem ad prædicandum præparatur, crederem ego, abstemium, & jejunum oneri ejusmodi ferendo aptiorem fore, quàm probè saginatum, cùm minimè conveniat speculationi intellectûs cum pleno, & turgenti ventre: hîc tamen loci omnino ex adverso injungitur: *replebuntur viscera tua volumine isto*, tum *loquêris verba mea ad eos. Verùm* desinemus mirari, si advertimus in volumine isto aliud *non exprimi*, quàm plenam cognitionem ac intellectum Sacræ Scripturæ, sive cœlestis doctrinæ: oportuit Prophetam primitus imbuere proprium intellectum, memoriam, & cordis scrutinium, unde felici successu transfundere in populos posset, ad quos erat destinatus & missus. *Ita est*, ait S. Gregorius apud Hugonem Card. hîc, *ipsi de Omnipotenti Domino sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare.* Hinc dicere: *comede volumen istud, & post vade, & loquere ad filios Israel*, perinde valet, ac si juberet ex mente Hugonis Card. *comede prius, & post pasce alios: Saturare, & eructa, accipe, & sparge, confortare, & labora.* Quod insinuat quoque S. Augustini regula, *hoc versetur in corde, quod profertur in ore.*

Quod

Quod in vaticinio Ezechielis sub metaphorâ cibi adumbratur, 234
id ipsum sub Hierogliphico potûs S. Joannes describit: dissertationemque de Doctoribus & Ecclesiasticis, ad diffundendam per civitates, & provincias aquam cœlestis doctrinæ missis, ut D. Cyrillus, & Joh. Damascenus explanat, concludit his verbis: *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Joh. 5. v. 38. En nihil commemorat de aquis scaturientibus è labris vel faucibus, ex mediis visceribus, ex ipso ventre oriuntur, quoniam superna sapientia de intimis animæ, de centro cordis, ubi placuit eam Deo collocare, emanat, quod S. Job attestatur. c. 3 v. 36. *posuit in visceribus hominum sapientiam.* Inde ergo crystallinæ ac felicissimæ illæ aquæ exiliunt; aut si mavis cor nuncupare accensum focum, pretiosi, & clarissimi foràs radii sparguntur inde, quod S. Gregorius l. 30. moral. c. 3. notat. *Sapientia divinitus inspirata in visceribus hominis ponitur, quia nimirùm non in solis vocibus, sed etiam in sensibus datur, ut juxta quod loquitur lingua, vivat conscientia, & lux ejus tanto clarius resplendeat in superficie, quantò verius inardescit in corde.*

Inter cœtera Summi Sacerdotis ornamenta principem ferè locum 235.
vendicabat rationale, auro gemmisque prætiosissimis conspicuum: præter alia referebat *Urim*, & *Thumim*, hoc est, *doctrinam & veritatem*. Inde scribitur in Exodo. c. 28. *ponet in rationali judicii*, sive, ut ex Chaldæo traducitur, *ponet in corde doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron.* Quantum attinet ad veritatem, haud dubiè justo titulo in corde collocatur, ut inde ad linguam dimanet, & sinceré proferatur in ore, quod judicatur in abditis cordis penetralibus, conformiter Psal. 14. *qui loquitur veritatem in corde suo,* sed doctrinam, si spectemus, cujus propria sedes est intellectus: aptiùs quis arbitretur, reponi in cidari Sacerdotis. Verùm non absque mysterio doctrina in pectore constituitur, ut videlicet populus intelligeret, bonâ voluntate & sincero corde se doceri: *Et ipsi de Omnipotente Domino sciunt loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare.* Quò scitè allusit Cellensis, qui diu multumque sollicitatus, ad nescio quàm doctrinam alteri explanandam, non linguam fatigare, sed conversus ad ærarium cordis tamdiu voluit stylo devotæ meditationis illud configere, dum tantum eruditi sanguinis extraheret; quantum amici voto adimplendo sufficeret. *Scalpella*, inquit libell. de conscient.: *instantiæ eorum, qui me rogant, & à me edoceri volunt, vena cordis incisa, undecunque vocavi vivum sanguinem venarum totius meditationis, ut de sanguine defæcatæ eruditionis commodaret, seu emitteret cor, quod sufficeret dicenti &c.*

236. Hæc ipsissima mens fuit, si D. Laurentio Justiniano credimus, Regii Vatis: *os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium* Ps. 36. 30 præmittit enim meditationem, quæ corde peragitur, & discursum subjungit, qui exprimitur per linguam, quod justi non soleant effutire quidquid in buccam venit, sed studiosè prius expendant, quàm proloquantur, & persuasum ipsis sit, ex fonte cordis elutriandas esse *aquas*, quæ beneficio sermonis in alios deriventur: *os cordis justi*, ait Laurentius apud Novar. l. 1. Elect. n. 605. *meditabitur sapientiam, quæ est de Deo, & propter aliorum instructionem lingua ejus loquetur judicium.*

237. In eâ, quam Servator noster Episcopo Philadelphiæ scripserat epistolâ, duo tantummodo in præsenti observo: primùm quod præcipuâ diligentiâ conservare iuberetur virtutem puritatis, justitiæ, doctrinæ, Zeli &c. *tene quod habes.* Apoc. 3. v. 11. alterum est quod promittatur, eâ ratione assumptum ac promotum iri â Deo, ad officium magnificæ Columnæ sacratum ædium suarum: *faciam illum columnam in templo Dei.* Si verò probus Sacerdos conditiones imitetur columnæ, atque ex interpretatione Richardi nostri Victorini super hunc locum, sit *firmus per fidem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem*, adde, inscriptus, *per Sapientiam, & doctrinam*, talis enim verò idoneus erit, qui alios fulciat, stabiliat, dirigat, corroboret, ac omnigenis bonis cumulet.

238. Porro, quod sub metaphorâ in Apocalypsi adumbratum est, remoto velo & clarissimè aperitur in Malachiâ c. 2. v. 7. *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Labia Sacerdotis habent se velut portæ sanctuarii cujuspiam, quibus reseratis sanctissima dogmata patefiunt populo: Sacerdotem *respiciunt* fideles, tanquam animatam arcam, in cujus pectore asservantur *vivæ* tabulæ legis divinæ: Sacerdotem accedunt omnes ceu familiarem Dei ministrum, Angelis propiorem, quâm hominibus, omni virtutû genere, castitate præsertim, puritate, innocentiâ, doctrinâ, & Zelo illustrem. Sacerdos, ex sententiâ D. Chrysostomi, comparandus est stomacho: iste alimoniam recipit primùm, tum concoquit, ac demum liberaliter membris elargitur: Ita colligere debent prius doctrinas cœlestes in pectore, subinde in alios diffundere, quemadmodum apes, inquit S. Ambrosius serm. 43. comportant mel ex diversis floribus, unde hominibus suppetias ferant, ac Medicinam præstent, & sicut sigillum eas duntaxat lineas ceræ imprimit, quas antea insculptas gerit, ita Sacerdos in proprio corde effigiem tenere debet virtutum, & Sanctitatis, ac mediis verbis derivare

quea

queat in alios. Apposite S. Isidorus Pelusiota l. 1. Ep. 319. *Cum sacerdos gregis forma, & Ecclesiæ lumen dictus sit, ac reverà sit, subditos ut ceram sigillo, sic ipsius moribus imprimi necesse est.*

Inter alia præconia, duplici etiam hoc titulo effertur Præcursor Domini, quod sit Angelus Dei præveniens nativitatem Verbi divini incarnati: & fuit sanè Angelus per puritatem, sanctitatem, & doctrinam. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Malach. 3. v. 1. præterea Mirabilis *erat lucerna ardens & lucens.* Joh. 5 v. 35. quapropter cum puritatis ergò fuerit Angelus, impuritatem vitiorum extersit, & altùm inclamans pænitentiam, desertum subiit: & quoniam totus conflagravit sancto Dei amore, mirum non est, omnia ejus opera inde succensa fuisse ac illustrata, offensus scandalosâ vitâ Herodis, acerrimè ac fervore prorsus Apostolico reprehendit, *non licet tibi habere uxorem fratris.* Quæ vox perfidum illud cor mirificè torsit ac confudit. *Vocem emittebat,* ait S. Basil. Seleuc. or. 18. *qua possent impuri illi affectus rescindi, vocem emittebat ægram animam adurentem.* Quid ni addamus: *vocem jecit temperantiæ fulgore coruscantem.* Nempe conspiciens illibatum candorem virgineæ puritatis totâ facie erubuit turpitudo incesti ganeonis: nec feritas, quantumvis armata mille furiis resistere potuit, invectivæ fulmineæ, quæ profecta erat ex corde, sacrum Zelum spirante: verbo Herodes attonitus hæsit, quia Joanni, *hoc versabat in corde quod proferebat ab ore.* Neque est, cur animum nos despondeamus, vel spem similium effectorum abjiciamus, tantundem in animis proximorum valebimus, si linguam animet interna devotio, & genuino ardore aggrediamur. 239.

S. Paulus enarrans Apostolicos labores suos, sanctè contestatur Rom. 1. v. 9. *Testis mihi est Deus, cui servio in spiritu meo,* non exhibeo duntaxat obsequia, quæ foris apparent, quod assolent hypocritæ, sed totis præcordiis, totâ animâ præsto famulatum: *servio in spiritu meo,* interpretatur S. Anselmus, *id est, in affectu mentis meæ, quia non per simulationem illi famulatum exhibeo, sed quidquid foris bene erga servitutem ejus operor, hoc intus in voluntate cordis similiter facio.* Cui quidem normæ si operationes nostras conformemus, suggerendo proximis sancta consilia, & sanis documentis imbuendo, quæ energiam suam capiant ex ardore charitatis, procul dubio non frustrabimur optato eventu. Procul sint vanæ occupationes æstimationis mundanæ, ac desideria temporalium commodorum, sed omnia referantur sincerè ad obsequium & gloriam Dei, salutemque propriam, & proximorum: si verè religiosum spiritum possidemus, cùm aliis exactè communicemus, quod eveniet, quando *versabitur in corde, quod profertur in ore.* 240.

Ex-

Ex

CAPITE II.

Nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum, *quod* autem ita scriptum est, ut non cantetur, non cantetur.

Laudabiles consuetudines esse retinendas.

DISCURSUS XXV.

241. QUanta Aquilam reginam volucrum inter, & Solem planetarum Regem intercedat symphatia, norunt rerum naturalium seduli Investigatores, & obstupescunt: ad periclitandum, an pulli legitima sint proles aquilæ ad, spæhram Solis recurritur, ubi si *non titubat acies*, si oculis irretortis aspiciunt, summâ teneritudine suscipiuntur, foventur, nutriuntur. Aquila non minus pascitur ex præsentiâ majoris luminis, quàm ex prædâ obtentâ, unde Epigraphen tenet: *alit aspectus.* Sub crepusculum matutinum, quàm primum albescit dies, aquila Orientem spectat, *visu* Solis se recreatura: *cibo potiori prius*; & fatetur, obtutu tanti *splendoris* vota sua penitus expleri: *satiabor cum apparuerit*, quidquid *ipsi aspectabilis* hic Mundus objicit, comparatione Solis floccipendit: quippe *par putat esse nihil*: idcirco immensæ huic luci appropinquans pensi non habet, si ardeant ac decinerentur plumæ, dùmmodo delectentur oculi. Hæc omnia sunt præclara Idæa animæ, contemplationibus divinis addictæ, quæ extatico quodam motu in Deum abrepta valet dicere, & cum Davide: *oculi mei semper ad Dominum* Psal. 24, v. 15. & cum S. Paulo *mihi vivere Christus est.* Philipp. 1. v. 21. ac iterum: *vivo ego jam non ego vivit verò in me Christus.* Gal. 2. v. 20. Verùm hîc loci Emblema aquilæ considerabo, quæ oculis in Sole defixis lemma præsefert, *assuetis delector*; atque in eâ vobis, ut spero, non invitis perfectum Religiosum qui regularibus observationibus jam inde à puero innutritus mirificè illi-

lis afficitur, hostis juratus Novitatum, qui gaudet exigere vitam ex nussi sanctarum consuetudinum, quibus imbutus est: unde quod S. ugustinus præscribit, *nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod item ita scriptum est, ut non cantetur, non cantetur*, declarat Hugo Vict: ait, *mos cantandi firmiter tenendus & servandus est, secundum scripta & stituta majorum similiter cæteræ consuetudines Monasterii*: quæ certè si istodiantur, habet Religiosus, unde glorietur: *assuetis delector*: Si autem onum Præsidem cujuscunque civitatis jure hortari potuit Cassiodorus .var. 12. *Consuetudines tibi ex nostrâ auctoritate defende, quas in eodem loco nos constat habuisse majores*; vitio mihi non poterit verti, si veritatem stam pluribus enucleare connitar.

Sol Numinis providentiâ collocatus in fasciâ Zodiacî, ordinatissi- 242.
io motu circuitum suum peragit; triginta dierum spatio moratur in gno arietis, tum transit in taurum, postea in geminos, cancrum, Leo- em, virginem, libram, scorpium, sagittarium, & ubi declinationem ltimam attigit, in sublime denuò se effert, ascendens in capricornum, ransiens in aquarium & pisces, ac ita repetens arietem, certumque su- im ac immutabilem cursum, ut rectè applicetur: *nunquam declinat.* Vel ipse Sol loquens inducatur: *nec retro gredior, nec devio.* Eia AA. quoniam Apostoli per Solem fuerunt â Domino designati: *vos estis lux Mundi*, Matth. 5. v. 14. rationi cumprimis consonum est, ut Canonici Regulares ab ipsis Apostolis originem ducentes Solis prærogativas ex- primant in se, & quemadmodū ille nunqaum declinat, nec à viâ consue- â exorbitat, itá isti sartas tectas conservent pias, & laudabiles consue- udines, quibus ab exordio Novitiatûs fuerunt initiati. Insistunt arie- i, offerendo quotidie incruentam sacri altaris victimam; ingrediuntur ignum tauri, impigrè portando jugum, & nullis laboribus cedendo in olendis provinciis, & Evangelio evulgando: sedem figant in geminis, incerâ charitate necessitatibus aliorum suppetias ferendo: Imitentur ancrum á dignitatibus recedendo, & primas cathedras fugiendo, in- luant vigilantiam, & fervorem Leoninum in propugnando templo & anctuario Dei, versentur in Virgine, Matre ter admirabili, continuò am in corde portantes ac linguâ: æquitatis libram magnificiant in noribus suis, & bonâ voluntate ignoscant, si qui more scorpii saucia- runt venenatâ caudâ: orationes dum frequentant cœlestes, agant sagitta- rios, & anhelant ad insignes profectus instar capricorni, atque per jejunia & abstinentiam cum aquario & piscibus familiaritatem & abstinentiam

U ineant

ineant: comigrent è cellis in Ecclesiam, à studiis privatis ad publica offici ab occupationibus internis ad exercitia corporea. & nihil unquã habeant sanctiùs, nihil antiquius, quàm ut insistant laudatæ consuetudini, & moribus religiosis, ex amussim exequendo, quod Soli inscribitur: *nec retrogredior, nec devio.* Quod ipsum Seneca vult persuasum Ep. 120. *hoc à exigo, ut qualem institueris præstare te, talem usque ad ultimum serves.*

243. Tribum Ephraim vituperavit Oseas etiam eâ de causâ, *quod* consueta repetat, ad morem juvencæ doctæ laborare in horreo, & movere, & circumagere molem ferrati currus, super spicas triturandas, quamvis nemo ad molestiam laboris subeundam instigaret, suâ sponte, solòque usû impulsa revertabatur in locum defatigationis, consuetudine laborum mitigante *Ephraim vitula docta diligere trituram:* Hos 10. v. 11. quem in locum Hugo Card. *Tritura assueta libenter ad trituram libenter redit.* Utinam quæ Propheta in malam partem disseruit, bono quodam sensu ab omnibus Regularis vitæ institutionem professis impleatur! unusquisque satagat promereri nomen Ephraim, quod *fructiferum* sonat, quia singulorum manus est producere, ac colligere fructus vitæ æternæ, ut fortis juvenca non subterfugit operosum sustinere laborem, ita Religiosus urgeat opus sanctarum regularum, constitutionum, plurumque consuetudinum, & quo vigore cœpit, pergat *diligere trituram,* summo studio matutinis functionibus operam navent, promptèque officium præscriptum celebrent, frequentia altaris sacrificia non nauseent sed gustum & suavem oblectationem conferant! non tædeat solitudinis claustralis, vel parsimoniæ in Cænaculo, colant *consuetudines, quas in eodem loco constat habuisse Majores:* unde quilibet cum aquilâ possit gloriari: *assuetis delector.*

244. Quod si, cùm Salvator, tùm Apostoli ejus, quoad *victum, &* vestitum decenter, & comiter se accomodarunt consuetudini Palæstinæ, *victu, quo Judæi utebantur, utens,* scribit S. Augustinus. l. 16. contra Faustum. c. 31 & D. Petrus Damian. opusc. 46 *in vitâ servavit morem patriæ,* sana ratio efficaciter persuadere debet Religiosis, cujuscunque sint ordinis, ac instituti, ut per omnia se propriis Regulis conforment, & absque tergiversatione singulis pareant; nec ullatenus permittendum est, ut Religiosus unus nudis pedibus incedat, si cæteri sandaliis vel calceamentis utantur, ut unus gestare præsumat habitum coloris leucophæi, vel nigri, si vocatus est à Deo ad vestimenta nivei candoris: ut unus compareat indutus sericis, si regula præscribit vestem laneam: ut unus aliquis superbiat cubiculo tapetibus, & picturis exornato, si didic

n nudis parietibus imitari paupertatem Christi, è cruce suffixi: ut unus nhiet cupediis, & lautitiæ ciborum, si alii ad communem parsimoniam & abstinentiam adstringuntur: *modus* namque noster *firmiter servandus est, secundum scripta, & instituta Majorum.*

Commemorat S. Matthæus, Dominum nostrum tribus discipulis 245.
tipatum conscendisse in verticem Montis Thabor, ac faciem ejus diviñâ Majestate tremendam illicet instar Solis irradiâsse, cum *ecce nubes lu-ida obumbravit eos.* Matth. 17. v. 5. verùm si locus iste delectus est ad mmensam gloriam filii Dei propalandam, ratio videretur exigere, nuoem dispelli, si qua forsan antea fuisset ibi oppansa, cur igitur nova addensatur, & obducitur? extenditur nubes, ut voti damnaretur S. Petrus, rolens sese abdere sub tabernaculo: & pro mapp liis rusticis papilio maibus Angelorum Deique ipsiûs elaboratis sufficitur. Nubes appendiur, dicit Tostatus, cujus beneficio concionaretur organum formando salvatoris elogio idoneum: *hic est filius meus dilectus:* Et ipse, qui loquebatur, Pater sub denso illo velo latere voluit. Sed dicamus ad rationem nostri, quo de tractamus, argumenti morem fuisse pluribus sæculis corroboratum, quod Deus sermonem cum servis suis miseris apparuerit nubibus circumdatus, & quodammodo palliatus. Ita legimus: *in co-umnâ nubis loquebatur, ad eos.* Psal. 98. v 7. *nubes & caligo in circuitu ejus.* Psal. 96. v. 2. *qui ponis nubem ascensum tuum* Psal. 103. v. 3. Itaque ut Pater æternus operari solebat inhærere vestigiis, filium divinum, ut veeres consuetudines in robore suo persisterent, & ex actuum æqualitate Christus agnosceretur esse Dei filius. Unde Chrysostomus hom. 57. *quambrem ex nube? sic ferè semper Deus videtur.*

At non modò consuetudinem retinuit Christus in nube distentâ, 246.
erùm etiam constanter in operationibus miraculosis servavit. Duodenis sedit in templo, & alternatim interrogans ac respondens Legum peitis, & Rabbinis aperuit profunditatem sapientiæ, quod statâ lege naturæ sub annum duodecimum incipiat se prodere judicium & rationis sus consolidetur. Circumiens adultior per Gallilæam, Synagogas intavit *docens, & prædicans Evangelium:* Matth, 4. v. 23. Quâ in re rursum ttendit morem Provinciæ, quo solebant fixis temporibus convenire ad Deum laudandum, audiendam lectionem legis & Prophetarum, & saubria virtutum documenta haurienda. Sanctis in more positum erat, munus extendere super capita infirmorum, quibus sanctitatem impertiebant, ut videre est 2. Reg. c. 17. v. 21. & 4. Reg. c. 4. v. 36. non latum unguem descivit Servator: *Singulis imponens manus sanabat eos.*

Luc. 4. mittebatur Elias Sareptam, urbs est Sidoniæ, ut viduæ in extremâ necessitate opitularetur: Et Elisæus, ut â leprâ mundaret Naaman Principem Syriæ: Christus, veterem hanc consuetudinem imitatur: *secessit in partes Tyri & Sidonis* Matth. 15. v. 21. ut mulierem Cananæam sublevaret, ac consolaretur. Et quoniam usuvenit multoties, ut Sancti Patriarchæ & Prophetæ fugâ sibi consulerent: & adversariæ iniquitati se subtraherent, ut fugit Jacob fratrem Esau, & Labanum, David Saulem, & Absalonem, Elias ac Matthatias Jezabelem, & Antiochum, neque in hoc Christus sibi parcere voluit, sed etiamnum infans Herodis insidias effugit, & provectior ætate furorem Nazarænorum & Judæorum, qui præcipitem agere, ac lapidibus obruere connitebantur: *consuetudinem defendens, quam in eodem loco suos constabat habuisse Majores.*

247. Proximè aberat tempus acerbæ passionis suæ, ac crudelissimæ mortis, & in ædibus Lazari cæna nobilis instituebatur, cùm Maria illius soror vas effudit pretiosi unguenti super caput Salvatoris, qui audiens à sceleratissimo Judâ improbari factum: *ut quid perditio hæc? potuit enim unguentum istud venundari multo, & dari pauperibus.* Matth. 26. v. 8. retundit putidam calumniam, & aculeatam murmurationem his verbis: *Quid molesti estis huic mulieri? quod habuit hæc fecit, prævenit ungere corpus meum in sepulturam* Marc. 14. v. 8. Novit religiosa hæc fœmina, imminere mihi horrorem mortis, & verita, ne rabies Judæorum prohiberet exanimato corpori ultima hæc pietatis obsequia impendere, præoccupavit, & vinum injunxit. Itaque Redemptor Orbis quemadmodum probavit in domo Simonis leprosi unctionem pedibus ab eadem pœnitente præstitam, non quòd multùm delectaretur molli teneritudine, vel blandâ corporis tractatione, toties abs se dissuasâ ac *reprehensâ, sed* quod consuetudinem regionis intenderet, ita mortem *jam jam subiturus* admisit, quod Magdalena ejusmodi aromatibus præverteret unctionem suo corpori destinatam, tantùm ne descisceret â communi usu patriæ: *nam cum aromatibus mos erat Judæis sepelire.* Joh. 19. v. 40. Excellenter ad propositum Petrus Damiani Ep. 106. *morem in terrâ tenuit, quem invenit, nec dedignatus est terrenam servare consuetudinem: nam cur sibi caput aut pedes unguento conspergi muliebri ministerio passus est, nisi quia Palestinæ atque Judaicæ regionis mos erat, ut ejus accolæ crebrius ungerentur.*

248. Libenter igitur Christus bonas laudabilesque consuetudines custodiebat, nec dissimulare poterat, si quis vel superbiâ, vel negligentiâ, vel alio sequiori affectu transgrederetur. En clarum Exemplum! domu-

Phari-

risæi ingressa Magdalena, lachrymis natans ac gemitibus, accidit ad :s Domini quos copioso fletu, unguento & basiis honoravit. Male ıabuit Pharisæum, & latenter Christum arguit, quod ejusmodi ob- ia tam benignè reciperet â prostibulo: at Dominus plangentem ıenti aspectu dignatus, Ah Simon, inquit, *vides hanc mulierem?* Luc. 7. 4. Ista, quamvis extera, ad unguem supplet, quod tu ignavè omi- inveteratus mos habet, ut hospitibus pedes abluantur, tu verò con- ısisti, & arrogantiâ inflatus, *aquam pedibus meis non dedisti.* Excipi so- amici osculo pacis & tu osculum mihi non dedisti. Si qui mensæ ad- ntur convivæ, insueverunt eorum capita perfundi pretiosis liquori- & odoramentis, *& tu oleo caput meum non unxisti*: videre jam po- ıuàm justam adversus te conquerendi causam ego habeam, qui mo- ıatriæ tam incuriùs præteriisti? at eandem querelam hanc instaurare t Deus in illas religiones, quæ veteres suas sanctas consuetudines narunt. Heu quales sunt istæ mutationes vestræ? antehac pan- is viscera vestra pietatis, dispensando *pauperibus calicem aquæ fri-* & subsidium charitatis, sed aliquando multo tempore tam sanctum ıtum prorsus neglexistis! *aquam pedibus meis non dedisti.* Olim ô iose, in fervore meditationis animarum Sponso dulcissimo devota libasti, jam verò immemor sanctæ teneritudinis, *osculum mihi non* : priùs per exquisita virtutum exempla sparsisti aromata odorifera is: jam exsiccatâ istiusmodi balsami venâ edicere amplius non po- *hristi bonus odor sumus Deo* 2. Cor. 2. v. 15, antea magnifiebant, ebant consuetudines sanctæ, jam emarcuere flores, & hortus mi- in horridum desertum, fulgor auri obscuratus est, & colores ve- mi evanuêre? quàm miræ miseræque sunt metamorphoses istæ? :didisset, ad unius alteriùsve ambitionem implendam rescissum iri ıtiones tam maturo consilio fabricatas? faciem religiosæ familiæ unæ vel Prothei toties variandam? sub falso sed specioso necessi- rtextu tot corruptelas introducendas, ut Curiæ Romanæ haud im- stomachus inde cieatur? auscultate ô Religiosi exhortationem ad Philipp. 4. *state in Domino Charissimi*, admitte O Antistes con- enecæ Ep. 35. *profice, & ante omnia hoc cura, ut constes tibi.* Memo- is subeat, ô Canonici regulares, quod capite ultimo vestrarum ıtionum scilicet p. 3. c. 27. magnâ emphasi præcipiatur, omnes :s, mutationes ordinis, & consuetudinum detestandas esse & mandandas. Quicunque verò gloriam Dei, & incrementum ligionis propriæ, S. Gilbertum decus singulare Canonicorum re-

U 3 gularium

gularium intueatur, qui firmatâ semel, nescio qua reformatione protestari solebat, *prius se guttur secandum daturum, quàm ordinis statuta relaxare.* prop. ord. 4. feb. hoc spiritu operemur omnes, & quilibet gloriari poterit cum regali aquilâ: *assuetis delector*, & idem cum Sole præconium jure arrogabit: *nec retrogredior, nec devio.*



Ex

CAPITE II.

Nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum.

Cantu Ecclesiastico DEUM honorari,

DISCURSUS XXVI.

249. AMplissimas sanè & nemorum virori, & crystallo fluminum delicias conciliat dulcis harmonia omnis generis suavè canentium volucrum; primas tamen plurium calculo, sibi vendicat cygnus, non quòd rostro vel gutture, more lusciniæ, aliorùmve avium, efformet cantum, sed, uti memorat S. Gregorius Nazian epist. ad Celeusiũ, cygnos testes inducens his verbis; *quia si, quando Zephyro spirante, alas nostras permiserimus, jucundum quid & concinnum modulamur*: ergo ad flatum Zephyri expansis pennis cantilenas edunt dulcisonas, ceu vellent grato restituere animo, quæ referunt in acceptis Cilatori, ita Cœlo cantant, & Deo lætum hostimentum pangunt. Quid porro repræsentat Cygnus super altare locatus aliud, quàm Deo maximopere placere illos, qui dulcedini sonoræ vocis adjungunt candorem puritatis ac innocentiæ? aut illos, qui cygno haud absimiles Spiritu Sancto afflati in laudes prorumpunt supremi Monarchæ? S. Augustinus præscribendo suis Canonicis, quos propter candorem vestium totidem Cygnos dixeris, *nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum*; meâ quidem opinione insinuare voluit, per cantum conformem regulis pergratum

gratum Deo obsequium impendi, utpote qui canticis celebrari desiderat, sibique in iis, quod in præsens ostendere pluribus decrevi, mirè complacet.

Veritatem hanc probè perspectam habuerunt ipsiquoque Gentiles, ac Idololatræ, in mysteriis fidei, cæteroquin planè cæci, quibus solemne fuit in cultum falsorum Numinum, rythmos & carmina festiva concinere: unde in Romanorum triumphis, referente Dionysio Halicarnassæo apud Cœlium Rhodigin: l 5. c. 3. *tùm pedestres, tum equestres, copiæ sequebantur, acie instructâ, & patriis hymnis Deos celebrantes.* In Delo, clarissimâ illâ omnium Cycladum Insulâ, nefas erat sacrificium ullum offerre, quod non Musica & saltationes comitarentur. Quo animi æstu ac fervore invocabant in nuptiis propitiam Sponsi Venerem & Hymæneum? quid quod etiam in primitivâ Ecclesiâ mos inoleverit, ut fideles, antequam cœnæ accumberent, teste Tertulliano in apologet. c. 39. Deum calidis precibus placare satagerent: *non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustatur.* Neque mensa frugalis removebatur, donec quilibet vel ex Sacrâ Scripturâ, vel proprio ingenio symbolum quoddam conferret, & Deum laudibus extolleret: *ut quisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Similiter æquè oratio convivium dirimit.* Judas quoque Machabæus in medio strepitu conflictûs, & arma conferens, & sacro cantui vacans, *invocavit Dominum Coadjutorem & Ducem belli fieri, incipiens voce patriâ, & cum hymnis clamorem extollens.* 2. Machab. 12. v. 36. Quod verò cantica referantur sivé ad gratias Deo, pro felicitate obtentâ habendas, sive ad implorandum in angustiis, & extremis periculis præsens auxilium, plura suppedunt exempla, quæ confirment. Moyses illicò, ut vidit Pharaonem cùm exercitu submersum in mari Erithræo, carmen panxit, & lætissimam melodiam intonuit Exod. 15. v. 1. Puteo aquarum viventium reserato, & pertinacissimi expugnatâ, *cecinit Israel carmen* Num. 2. v. 17. Debora & Barac, trucidato Sisarâ, duabus vocibus cantilenam memoriâ æternâ dignam ediderunt Jud. 5. v. 1. Judith de superbo Holoferne triumphatrix *cantavit canticum Domino*, Judith 16. v. 1. Ezechias ereptus mortis faucibus non prætermisit Domino tributum pendere, & Psalmum decantare. Is. 28. v. 10. Tres pueri, velut Pyraustæ, in succensâ Babylonicâ fornace illæsi miris præconiis Divinam potentiam, & bonitatem canendo evulgarunt. Dan. 3. v 52. Jonas in cæco ventre ceti captivus cœlum pulsavit orationibus, & affectuum ballistis: mitto trecentos alios, sufficiat unus Rex David, is modò de seipso profitetur: *circuivi,* 250.

&

& immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis. Psal. 26. v. 6. quo clarum fit, eum non solùm singulari pietatis formâ præsentem astitisse sacrificiis, per manus Sacerdotum Deo oblatis, sed etiam Psalterio usum, altare circuisse, & amæno concentu alios ad divinæ Majestatis venerationem invitâsse, modò in eo totus erat, ut Mundum pelliceret copiosâ instrumentorum varietate, quâ linguâ & flatu, quà manu, & pulsu animantur, ad magnitudinem Dei manifestandam. *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cytharâ, laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis & organo, laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis.* Psal. 150. Neque contentus Deo ubertim religiosa sacræ harmoniæ consecrâsse ministeria, posteaquam traduxit arcam Domini in Regiam civitatem, constituit quatuor viros Musices peritissimos; quorum singulis alios septuaginta duos in eâdem arte non mediocriter exercitatos subjecit, summis votis anhelans, & Prophetico spiritu prævidens, olim divinas laudes omnium gentium ore celebrandas esse. Ita censuit D. Joannes Chrysost. proem. 2. in Psal. *unicuique tribuit cantores septuaginta duos, pro septuaginta duabus gentibus prædicens fore, ut in ultimis temporibus omnis lingua laudet Dominum.*

251. Neque vanum fuit Vaticinium hoc Regium, sed quod pridem præsagiit David, in sacrâ Apocalypsi executioni mandatum est, prodeunte de throno Dei voce verbi incarnati, & Angelicorum spirituum, quæ omnes terrarum nationes provocabat, ut in unum immensum coälescerent chorum, & pleno cordis Jubilo excellentias ac infinitas Dei perfectiones venerentur *Vox de throno exivit dicens: laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus, & qui timentes eum, pusilli, & magni*: chorum ducit filius Dei, in præconia Patris æterni effusus, sequaces sine numero numerat, tum cives cœlorum, tum incolas terræ, filios Ecclesiæ, ut Mundus totus evadat immotum quoddam theatrum resonans ac impletum gloriâ ac Majestate divinâ.

252. Et quis ambigat hunc allusisse Davidem, cùm caneret Psal. 6. v. 26. *prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tymphanistriarum*: nimirum ex unâ parte densissimum agmen fidelium in psalterio Davidico laudebat, ex alterâ numerosus chorus purissimarum virginum pulsabat sonora tymphana, festivitatem augebant Principes Angelici, sed omnes longè anteibant, mutuo exemplo sese excitantes. Quod S. Bernardus considerans exclamat Ep. 78. *ô si quis haberet oculos, apertos quos orando Propheta puero revelavit, videret procul*

cul dubio, quemadmodum præveniunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum, videret inquam, quâ curâ, quovè tripudio intersint Angeli cantantibus, adsint orantibus, insint meditantibus.

Sed ecce! non leve inde subnascitur dubium, si enim rem propriis suis æstimemus momentis, quam societatem ineant *pusilli & magni*, virgines, & conjugati, infantes teneri, & decrepiti Patriarchæ? quo pacto in eandem consentiant melodiam, si virgines cantant *canticum novum*, sibi penitus adscitum ut proprium? etenim *nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia &c.* Apoc. 14. v. 3. verum quod virginibus attribuitur, aliis Sanctis in suo cuique genere non denegatur, cantant Angeli, ait S. Bonaventura, de diætâ salutis tr. 10. *benedictio, & sapientia, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum &c.* cantant Patriarchæ & Prophetæ: *dignus es Domine, accipere librum &c:* cantant Apostoli. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Cantant Martyres cum Tharsensi. 2. Tim. 2. *si commortui sumus, & convivimus, si sustinuimus cum coregnabimus.* Cantant, ut neque hoc dissimulem, servi Dei, qui philomelis similes sub umbrâ noctis alternant voces in hymnis, & psalmis, ad modum, quem tremulæ stellæ præfigunt, concentum protelantes, & lumine devotionis auroræ nitorem Solisque radios prævertentes, eleganter hoc expendit Cardinalis Petrus Damiani opusc. 11. c. 19. *O quàm pulchra rerum species, cum frater in cellulâ constitutus, nocturnas peragit psalmodias, & quasi pro divinis Castris militares custodit excubias: contemplatur in cælo cursus syderum, decurrit etiam per os ejus ordo Psalmorum, & sicut procedentes ac subsequentes stellæ ad diem suas vicissitudines alternando præveniunt; ita Psalmi, qui ex ore ejus, tanquam ex quodam Oriente procedunt ad suum finem paulatim veluti parili cum syderibus conjunctione decurrunt:* hactenus ille; jam vero quis satis explicet, quàm suave sit melos? quàm accepta sit hæc Musica in auribus divini animarum Sponsi? 253.

Itaque harmoniæ cœlorum consonant in terrâ fidi famuli Dei, 254. excitati tùm à Zachariâ Sacerdote, tùm à laudatissimo Seniore Simeone, qui tenorem præierunt suavissimis suis sacris canticis. Et quomodo non afficiat Servos Dei cantandi studium, inquit D. Augustinus serm. 10. de Sanctis, si non citra tripudium cordis percipiant, quomodo *plaudat Organis Maria, & inter veloces tympana puerperæ concrepent. Ait enim: Magnificat anima mea Dominum?* unde ratio cogit summâ demissione revereri Ducem, & magnâ contemtione imitari exemplum. Accedit Orbis Redemptorem vix dum natum candicis Angelorum, tibiisque

X pastorum

pastorum fuisse celebratum, atque sub finem cænæ ultimæ passionisque tragicæ, initium fuisse ductum *hymno dicto*, sivè, ut Græcus habet textus, *hymno decantato*: nempe integrum mare benedictionum æterno Patri dedicavit, & qui exorsus est præcedentem diem sacrâ harmoniâ eadem postremum clausit.

255. Quid enim? si cantus Ecclesiasticus originem derivat, & natales suos ab Ecclesiâ Alexandrinâ, sub directione S. Marci Evangelistæ floridâ, â quo etiam Apostolicus ordo Canonicorum regularium, qui, ut Philo testis est. lib. de vitæ contemplat: in duos choros distributi decantabant *hymnos in Dei laudem compositos variis metrorum carminumque generibus, nunc uno ore, nunc alterius &c.* Si S. Cæcilia generosissima Virgo & organum pulsu, & cordis devotâ symphoniâ Deum devinxit, roburque animæ, ac multiplicem fructum emendicavit; Si omnes Ecclesiæ catholicæ, quâ Sol oritur, quâ occidit, Religiosum cantum amplexantur; si Concilium quartum Carthaginense in Africâ sanxit nonnullas peculiares Constitutiones circà sacra, & Cantores; si Concilium Toletanum quartum stabilivit, hymnos ad exemplum Salvatoris, & Sanctorum Apostolorum publicè candandos esse: si Coucilium Aquisgranense in Galliâ cantûs Ecclesiastici directè meminit, si denique parte primâ Constitutionum nostrarum capite 12. candandi norma sigillatim delineatur, quomodo, & quando canere deceat, quem pigeat, pudeatvè exercitio hoc Angelico distineri? Quin imo summâ voluntate, ô mei Venerabiles Canonici, cantate, *quod legitis esse cantandum*: dum enim geritis morem regulæ, scitote acceptum divinæ Majestati præstari obsequium.

256. Quamvis excidere de memoriâ non debeat, alacritati cantûs Ecclesiastici summè necessariam esse comitem puritatem internam, virtutem & sanctitatem animæ. Luctuosus erat status Israelitarum, cum catenis stringerentur Babyloniis; nihilominus urgere non desistebant Barbari, ut Psalmos suos hymnosque modularentur: at constanter abnuerunt respondendo: eheu! *quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ*? Psal. 136. v. 3. Quid exigitis â miseriis lætum carmen, quos præmunt vincula & planctum exprimunt? quo pacto in medio nationis pravæ, in regione idololatraum celebrabimus laudes & gloriam Dei veri & viventis? at verò subinfert os aureum homil. 6. in Ep. ad Rom. *si in terrâ barbarâ Domini oracula canere fas non erat, quantò minus id animæ barbaræ?*

257. Absit igitur longissimè, absit Barbaries rancoris odii, malevolentiæ,

tiæ, quæ raucem efficiat,& ingratam vocem laudibus divinis destinatam. In sacris harmoniis nostris non audiantur latratus canum, ululatus luporum, serpentum sibili! taceat strepitus quicunque tumultuum mundanorum, quo anima serena, tranquilla, & quieta edat sonum, auribus divinis acceptabilem.



Ex

CAPITE II.

Nolite cantare nisi quod legitis esse cantandum.

Cantu Ecclesiastico conferri levamen malorum animarumque salutem.

DISCURSUS XXVII.

VIta humana, quam, teste Job, ilias ærumnarum perpetim obsidet, divexat, ac pænè opprimit, vix præsentiùs remedium aut opportunius invenit solatium, quàm cantus dulcedinem: *omnes,* inquit D. Petrus Chrysol. serm. 10. *qui arduas operum sublevant, & solantur angustias, probant ad solatium laboris datam nobis naturaliter cantilenam.* Mancipium infelix. quod vinculis ac compede gravatum cogitur terram fodere lenimen quoddam â duplici pondere sentit ex malè concinatâ cantione. Amaritudinem undarum expugnat Navarchus suavi modulamine, quo tristem animum demulcet, & corporis vires confortans furori tempestatum subtrahitur, ac lætus portum ingreditur. Post exantlatas vigilias sub quercum se abjicit pastor, ac rusticâ symphoniâ se mirum in modum exhilerat :& misera ancilla diu ad colum rotatum sedens, & fila ducens, dum leram in noctem absolvat pensum, candando tempus fallit, & laborem vel nescit, vel mitigat, ita nimirum : *omne quod duri est operis, quod laboris, dulcis vincit, & efficit cantilena:* si autem ea vis pellendi cu- 258.

ras, et miseriis medendi inest modulis humanâ industriâ formatis quanto majori spe ac fiduciâ recurrat Dei servus ad harmoniam Davidicorum carminum, libentissime cantando. *Quod legitis esse cantandum* ? Quoniam, ut locuples testis est, S. Joan. Chrysostomus, sono regalis Psalterii duræ cordis afflictiones dispelluntur, & anima promovetur ad perfectam felicitatem, ita loquitur proöem. 3. in Psal. *liceat Davidicos codices multiplici bono refectos convenire : nam si in molestiam, vel aliquam animi perturbationem incideris, plurimum hi ad te consolandum valebunt; si fueris in peccata prolapsus, quàm multa ibidem invenies ad medelam. &c.*

259. Et verò, si exordiendum sit ab amaritudinibus mundanis, quibus mel. & nectar aspergat dulcis Musica, sacri interpretes, qui præter alias epistolas unam reperiunt à Domino scriptam Episcopo Smyrnensi, diligentiùs investigant, quid hujus civitatis nomine significetur? & respondet Albertus M. *Smyrna interpratatur canticum, vel quasi myrrha.* Hîc observetis velim, miram conjunctionem Myrrhæ, quæ amaritiem spirat, & cantici, quod suâpte naturâ dulcescit, Myrrha Symbolum est calamitatis, canticum designat refocillationem : myrrha affligit, canticum consolatur. Quare si Smyrnensis Urbis in morem Myrrhæ acerbo sapore vexamini, & lancea latus transit, gladius afflictionis pectus confodit, canticum sit hasta Achillis, & leniat, vel prorsus exturbet casus luctuosos quoscunque : ita consulit D. Chrysost l. c. *si in molestiam, vel aliquam animi perturbationem incideris*, prudentia docet, *Davidicos codices multiplici bono refertos convenire, qui plurimùm ad se consolandum valebunt.*

260. Attentam exigit jure suo considerationem canticum Prophetæ Habacuc : cui præfigitur titulus : *oratio prò ignorantiis*, vel, uti ex Græco legitur : *oratio cum cantico* : scire avetis, qualenam cantici hujus sit argumentum? respondebunt S. Hieronymus, Theodoretus, & alii, calamitates deplorari, & miserias Israelis, qui sub ferâ tyrannide Chaldæorum, sub catenarum pondere plangebat oppressus. Injicitur mentio arrogantissimi Victoris ; *Sicut ejus, qui devorat pauperem in abscondito*, Habac 3. v. 14. defletur sterilitas terræ, quæ ultra modum parca, fructuum pauperes captivos ad extremam penuriam adduxit : *ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum* : lugetur atrocissima lues : *abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præsepibus.* Quid remedii prò tantis malis? aliud non suggeritur, *nisi oratio cum cantico, & canticum pro ignorantiis* : quo quidem exorabitur venia pro culpis admissis, quæ nomine ignorantiæ veniunt, &

& comminetur jugum servitutis, quæ miserrimè discruciabat, & fames, pestisq; in centrum abyssi profligabitur: neque exprimi satis potest, scribit Amalarius l. 4. de Ecclesiasticis officiis c. 11. *quàm multa vel in corporum, vel in animarum affectionibus cantilena miranda perfecerit.* Quin ipsa quoque S. Mater Ecclesia clypeum seu præsidium adversus omnis generis calamitates ponit in sacris canticis ad laudes Dominicæ:

Supplices rerum Dominum Canora
voce precemur
Ut reos culpæ, miseratus omnem
Pellat angorem, tribuat salutem
Donet, & nobis, bona sempiterna
munera pacis.

Animos, oculosque in Davidem intendite; nunquid subsidio cantûs evasit insidias mille, ac felicissimum semper eventum in rebus desperatis sortitus est? de quo ita Chrysologus serm. 10. *Cantu dura didicit superare bellorum; Cantu meruit ductare populum ad salutem, cantu voluit vocare gentes, reducere Judæos, fugare dæmones.* Et sanè nunquam deposuit psalterium Regis Psaltes, sivè domi versaretur, sive belli; nec ulli necessitati succubuit, sed triumphavit de hostibus, & Mundum universum abstrusissima mysteria docuit: & larvas infernales in fugam conjecit. D. Ambrosius dum trepitaret Mediolanum, & Justina Augusta, factiones Arianorum armatâ manu protegens, omnia terrore compleret, fidelium greges in ambitu Ecclesiæ collegit, ac instruit, quomodo in duos distributi choros congruenter stylo, in plagis Orientalibus consueto, psalmos, & hymnos alternatim concinerent, *ne populus interea mæroris tædio contabesceret* 1. Decemb. 5. Const. sed potius harmonia illa vigorem, & animos reciperet ac muniretur. 261.

Verùm silentio præterire non debeo versiculum illum Psal. 118. qui unus evincit, quod connitor demonstrare. *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Incredibiles molestiæ, & perpetua tædia circumdederunt exilium ac peregrinationem meam, non tamen aliud suppetebat vel in rebus dubiis consilium, vel in afflictis solatium, vel in profligatis effugium, nisi ut cantarem, perennes laudes Dei; & arcana infinitæ bonitatis celebrarem: objiciebantur prærupta 262.

montium juga & horrore plena præcipitia? spiritum & vires ex devotis canticis promebam ad trajiciendum: *cantabiles mihi erant justificationes tuæ.* Penetranda erat fragosa sylva, & obvii vepres, senticeta, arbusta perrumpenda? virtuti cantus cedebant funesti terrores: *cantabiles mihi erant justificationes tuæ:* quod sententiâ minimè vulgari S. Ambrosius l. 2. de Jacob. c. 9. confirmat: Sanctus David Citharâ cecinit spirituali, *his modulis gratiæ sublimem illius animam mentemque mulcebat, hoc cantu Mundi istius aspera mitigavit: hoc sonitu sæculi dura mollivit: hoc psalterio terrorem mortis infregit &c.*

263. Neque dissipat solùm Ecclesiasticus cantus nebulas tristes, & inquietudines cordis nostri, sed ipsam quoque animam mirificè ad spiritualem profectum sublevat, quod quidem Platonem non latuit in Timæo, ubi ita habet. *Data nobis est harmonia, non ad voluntates rationis expertes, sed ut per eam dissonantem circuitum animalium componamus.* Addit profectò Authenticum testimonium conversio S. P. N. Augustini, qui Manichæorum erroribus, dicam an sordibus, altum defixus extricari non voluit, ut lavari vellet fonte baptismatis salutaris, & instar aquilæ renovari, quamvis mellita lingua Ambrosii satageret catenis aureis extrahere *de luto fæcis,* Psal. 39. v. 3. & perducere ad lumen fidei: quamvis toto Orbe celebrata Antonii sanctitas instar tonitrui percelleret, ac lethargum excutere allaboraret: in cassum omnia, quis tandem prævaluit? audivit *vocem cum cantu dicentem, & crebro repetentem, tolle lege, tolle lege.* Offic. can. Reg. 5. Maji: ad dulcem istiusmodi cantum corruerunt mœnia Jericho, & secuta est deditio: ad melos cœlestis Orphei fera Africana in Angelum conversa est, & tortuosus serpens, *percipiendo vocem venefici incantantis sapienter* Psal. 57. v. 6. inflexit superbam cervicem, & migravit in gemebundam mitemque columbam. Subinde tantum potuere in cor illud nobilissimum dulces Psalmi & hymni Ecclesiastici, ut audire non posset, quin solveretur in tenerrimas lachrymas? ita legimus: *flebat uberrimè in hymnis, & canticis suave sonantibus Ecclesiæ vocibus vehementer affectus.*

264. Quod evenit Augustino, raro Africæ monstro, non pigeat observare iteratum in nobili quodam Juvene, filio cujusdam Bassæ, Acutiæ præfecto. Is forte quodam appullit Ragusam, & præteriens Ecclesiam ordinis S. P. Benedicti, audiit Sonum organi, ipsi hactenus nunquam perceptum, quare mirabili voluntate perfusus, &, dudum quodammodo consopitus, ita secum ratiocinari cœpit: fieri nequit, ut ea religionis secta falsa sit, quæ tam suaviter Deo laudes decantat. Quare clam Mediolanum

diolanum abiit, & ejuratis turpissimi Mahometis erroribus â S. Carolo Borromæo Sacram ablutionem accepit : Joh. Boter p. 3. l. 2. Ita verissimum manet effatum D. Isidori l. 7. sentent. c. 7. *quamvis dura sint Carnalium corda, statim ut Psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit.*

Nolim diutius immorari huic facto, quantumvis raro, stupendo, & ab erudito calamo descripto, avocant me annales Sanctissimæ Dominicanorum familiæ, Elect. Sacr. l. 2. n. 603. adultâ jam nocte obambulabat Urbem Sebastianus Pegnone, & musicum pulsabat instrumentum, tùm curas animi remissurus, tùm genio suo Musicæ addictissimo satisfacturus. Contigit inopinanti, ut prope portam templi transeundum esset, ut; RR,PP. Dominicani, eximiâ gravitate, àc devotione matutinas preces persolvebant : advertit res animum Sebastiani, & luce internâ perfusus rationem secum inire cæpit, quorsum otiosi sui mores & oblectationes tandem desinerent : ac repentè in alium transmutatus, heu mihi, exclamat, quid vanam tracto Citharam, cum animum abripiat suavis melodia psalterii Davidici ? cedat incondita sæculi hujus symphonia angelico huic concentui. O quam rauca est cithara mea, si conferatur huic promulsidi Cœlorum! habe tibi res tuas infelix Munde! valete voluptates, & quidquid liberaliter pollicetur infidum sæculum! Dominice, ad tua signa convolabo, tibi me, quantus sum, dedico : & ita ordini adlectus vitam in claustro tantâ probitate exegit, ut dignus fieret, quem in agone reviserent, sub aspectabili formâ Angeli, quibuscum per omnem perennem æternitatem in cœlo tripudiabit. Audiamus rursum l. c. 5. Isidorum. *Nescio quo pacto modulatione cantus, seu canentis major nascitur compunctio cordis, multi enim reperiuntur, qui cantûs suavitate commoti crimina plangunt, atque ex eâ parte magis flectuntur ad lachrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suavissima.* 265.

Memoriâ etiam dignissimum est, quod Turselinus prodit in vitâ S. Francisci Xaverii Indiarum Apostoli, huic, quum barbaris gentibus extremas Orbis plagas versus Orientem Solem exponeret articulos fidei Christianæ, in aliquod cantiunculas disposuit, quo deliciis allecti, tùm adulti, tùm parvuli dulces rythmos canerent, & altiùs mysteria imbiberent, & tenaciùs conservarent : quod felicissimè, & ad votum successit, profundas enim radices veritas Evangelica egit, quoniam, ut annotat D. Ambrosius præfat. in Psalmos : *valentiora præcepta non permanent, quod autem cum suavitate perceperis, id infusum semel præcordiis non consuevit elabi.* 266.

267. Si naturâ ita comparati sumus, ut quas rei prærogativas agnovimus, æstimemus illicò, & amemus; jam verò abundè ostendimus, cantu Ecclesiastico mitigari curas, cor nostrum molestè arrodentes, & mentem efficacitate magnâ ad virtutem, & Deum ipsum excitari, agedum prompto studio templum accedamus, & chorum audituri, voces divinarum laudum, & adjuncturi ardentem nostum Zelum, sanctùmque affectum, procul dubio respondebit conatui duplicatum commodum. Caveamus, ne torpor acediæ tantis nos bonis exuat, ne mores incompositi, vana conversatio, & occupationes ludicræ privent, atque abs Davidicâ symphoniâ distrahant. Liber evolet *affectus* noster â tricis cujusque mundanis; qui tanto aptior evadet, *ad laudandam* infiniti Numinis Majestatem, & delicias æternas recipiendas, quanto remotior fuerit â terrâ: ita asserit Hugo Card. in Psal. 85. *quantò plus levatur anima, tanto magis lætatur in Domino.* Certè sicut nobilis alauda, quamdiu pedibus adhæret terræ, non modulatur: statim verò, atque in sublime effertur, aëra dulcissimo carmine demulcet; ita Religiosi anima, quousque terrenis curis implicatur, quiete caret, liquidoque gaudio, ubi verò incipit paulatim â terrâ & Mundo separari, capax redditur laudandi suum Conditorem, atque ex harmoniâ Ecclesiasticâ percipiendi tùm spirituale, tùm corporale emolumentum.



Ex

Ex

CAPITE III.

Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ, & potûs.

Vitia jejunio edomari.

DISCURSUS XXVIII.

NOn habet spiritus noster infensiorem adversarium, quàm ipsam carnem, quæ identidem irruit impetu, quo potest maximo, & ad perniciem ejus nihil intentatum relinquit, tantò acerbior, quantò blandior. Quapropter servi Dei, in Euangelicâ palæstrâ, frequentiùs exercitati summo studio capitalis hujus domestici hostis insultus cavere allaborant, nec ulli labori parcunt, quò eum debellent, atque sub jugum rationis mittant. S. Benedictus in dumetum spinis, & sentibus horrendum se nudum projicit, volvit, cruentat, ut formaret ex aculeis veprium pectoris munimen. Guilielmus Dux Aquitaniæ nudum corpus loricâ ferreâ inunxit, ac humerali, ut eo armorum pondere impudentem hostem opprimeret, ac suffocaret. Nicolaus Tolentinus, Theresia, & alii trecenti rigidissimis armati flagellis voluntario cruciatu tergora conciderunt, ut hanc pestem generosè triumpharent. 268.

Franciscus Assisias ardentibus se prunis injecit, ut externo igne flammas Veneris, intus æstuantes, restingueret. Thomas Cantuariensis, Cæcilia, & alii latera non modo setosis funibus restringere, sed aculeis etiam ferratis, & ahenis muricibus asperare non cessabant, ne carni succumberent. S. Petrus Cœlestinus catenam ferream circa lumbos gestabat, quo sensum & ardorem libidinis compesceret; Eodem igitur collimat S. Augustinus, quando alumnos suos providenter exhortatur. *carnem vestram domate jejuniis & abstinentiâ esca & potûs. Jejuniis namq;* ex luculentâ D. Cypriani serm. de jejun: auctoritate, *vitiorum sentina*

 sicca-

siccatur, petulantia marcet, concupiscentia languent, fugitiva abeunt voluptates: dignum est argumentum quod pluribus expendatur.

269. Equidem ipsemet Augustus Doctor, qui petulantiam sensuum coëcere jubet abstinentiâ, opportuno dogma suum illustrat exemplo, Tr. de utilit: jejun. c. 3. *nonne ut securus iter ageres, ciboria ferocienti equo subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses?* Quemadmodum ergo jumentum, quo uteris in viâ & sternax vel contumax habenâ nequis moderari, fœnum, avenam & alimenta imminuis, ita, cùm iter relegamus ad cœlestem patriam, si caro nostra instar equi indomiti recalcitrare incipiat, vel â viâ exerrare, inediâ ceu valido fræno constringeuda est, atque in officio continenda.

270. Paradigma hujus rei minimè contemnendum præbuit Doctor gentium, cùm de seipso testatur 1. Cor. 9. v. 26. *sic pugno non quasi aërem verberans sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo*: non evanidi cecidere ictus, sed disciplina parsimoniæ ac jejunii castigavit propriam carnem, ut ita edomita serviret rationi, virtuti, & Deo. *Pugnat*, ait Joan. Cass. l. 5. c. 18. *jejuniis scilicet & afflictione carnali*. Accedit Magnus Gregorius l. 3. Moral. c. 13. inquiens: *cum carnem restringimus ipsis abstinentia nostra ictibus in aërem, sed immundos Spiritus verberamus*. Lac quippe & prima incunabula spiritualis vitæ sunt jejunia, atque, ut docuit S. Leo serm. 1. de jejun Pent. Sapientes *tyrocinium militiæ Christianæ sanctis jejuniis inchoârunt, ut contra spirituales nequitias pugnaturi, abstinentiæ arma caperent, quibus incentiva vitiorum truncarentur*.

271. Egregium Lumen, ac robur huic dissertationi addit testimonium quoddam S. Jobi, si allegoricè capiatur. *Tigris*, inquit, *periit, eò quod non haberet prædam*, sivè, ut græcus textus sonat, *mirmicaleon periit, eò quod non haberet escam*. Quid tigris illa aliud, quàm peccatum maculis variegatum, aspectu horridum, morsu læthiferum? quamvis idem peccatum extraordinariæ Chymæræ haud absimile in animum subrepat, sub minutiâ formicæ figurâ, ac instar horribilis Leonis succrescat. Si verò contingat deficere prædam tigridi, & mirmicaleoni escam, exitium utrique appetit. Quocirca *pabulum est detrahendum*, monet D. Nilus in ascet: tom. 5. Bibl. PP. nam formica, Leo, & tigris, hoc est, vita, concupiscentia, & adversaria quæque monstra stricto jejunio extenuantur, affliguntur, perimuntur.

272. Si quæstionem propositam explicare velim ratione vulgari & planissimâ, terram intueor. Quis nescit humum, urticis & Zizaniis obsitam, si aratro, ferroque probè subigatur insigniter renovari & runcari,

cotetum

cotetum desinere, gramina evelli, arbusta radicitus exturbari, ac præparari locum segetibus ferendis: unde aratro lemma jungitur: *juvat dum lacerat*: porrò aptissimè per aratrum designantur præstantia opera jejunii, cujus efficacem Patronum agit aureus Orator Petrus Chrysologus serm. 31. sic inquit: *jejunium est singulare sanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina, evellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, parat innocentia messem.*

Desideratis hanc Veritatem aliis firmari momentis? oculos conjicite in caput 18. Lucæ; Pharisæus templum ingressus, non submissam precationem, sed magnificam suarum virtutum texuit panegyrin; audimus: O Domine Deus quàm immensa sunt gratiarum tuarum charismata! *ego non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri*: si aliorum corda ac conscientiæ loliis, ac vepretis horrent, si squalent ut thesqua invia, & vastæ solitudines, si usuris & rapinis lancinantur, si cloacæ sunt impuritatibus carnalibus fætidæ; in me videbis hortum odoris, virtutum floribus, & verniis deliciis distinctum: aliena non invado ego, sed decimas pendo liberali manu, labes adulterii me non inficit, *qui jejuno bis in Sabbatho*: colens autem animam aratro jejunii, & bis in hebdomade inediâ me durâ macerans, nullo negotio concupiscentiam lascivam dissipo, & libidinem procul in exilium ablego. Verbo, ait Ephrem Syrus, *adulterii à se crimen removens, jejunium jactavit. Frænum enim*, subjungit Mediolanensium antistes serm. 23. *quoddam est luxuriantis animæ corpus exhaustum.* 273.

Sed à corpore humano jejuniis emaciato digrediamur ad terram aquis diluvii undique versum obrutam. Posteamque hæc fæculentis, & abominandis flagitiis extremè fuerat contaminata, ut speciem referret turpissimæ cloacæ. *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram* Gen. 6. v. 12. aperiantur cataractæ cœlorum (imperat Deus) & aquæ diluvii effundantur affatim, & tellus tota quadragintadiali lapsu, quâ latissimè patet, cataclismo submergitur, abluitur, extergitur, atque ad majorem munditiam revocatur. Loquatur Petrus Chrysologus, serm. 166. ita habet. *cum Mundus vitiorum squalore sordesceret, & totus criminum fæteret horrore, quadraginta diebus ac noctibus expiaturus terram, cælestis imber effunditur.* Id verò notatu dignissimum arbitror, quod sicut universalis illuvies olim serviit Mundo à fœdissimâ criminum contagione repurgando, ita sancta mater Ecclesia quadraginta dies solemnis jejunii adhibere suevit ad puritatem animæ, à mille culparum sordibus recuperandam, & Pascha sanctè, illibatèque obeundum: *meritò nos quadra-* 274.

ginta diebus per jejunium currimus ut perveniamus ad fontem baptismatis & salutis. Verùm grandis inter utrumque discrepantia cernitur, & virtus jejunii longissimè antecellit diluvium: hoc quidem devastavit Orbem, atque incolas enecuit, illud lavat, & instaurat: hoc peccatoribus exitium attulit, illud novam vitam impertit, hoc pauculis peperit, illud communit omnes, protegit, ac tuetur. Non abs re erit audire mellifluum Bernardum serm. 4. quadr. *Jejunium non solùm abolitio est peccatorum, sed extirpatio vitiorum; non solùm obtinet veniam, sed & promeretur gratiam, non solùm delet peccata, sed & repellit futura, quæ comittere poteramus.*

Nedum integer Israelitarum populus horrorem deserti, & diffi-
275. cultates viarum obvias fuerat eluctatus, cùm provocatur ad apertum prælium. Amalecitæ instructâ occurrunt acie, & sanguineum conflictum urgent, ut pugnam detrectare non fuerit liberum: armis igitur sub præsidio Moysis, & Josuæ accinguntur, ad propria tuenda manus conserunt; & milites quidem in fortitudine brachii certamen ineunt, Moyses autem in vertice vicini montis orationi vacat. Dudum fortuna anceps hæsit, Hæbreorumne an Amalecitarum parti cruenta victoria staret, sed tandem brachia Moysis constanter ad precationem extensa, carpsere populo suo palmas triumphi, Amalecitis internecione à Josuâ deletis. Si placeat sciscitari ex D. Hieronymo, quonam instrumento clarissima hæc victoria fuerit obtenta, adscribet imprimis precibus Moysis, tanto ardore fusis, tum robori Josuæ archistrategi celeberrimi, denique jejunio totiûs populi, eâ die usque ad occasum Solis exactè custodito. Vicit igitur Israelitarum exercitus, quia scuto jejunii protectus fuit; vicit, quia jejunium animavit, armavit, excitavit; vicit, ut esset documento, quæcunque vitia ab abstemio confici, prosterni, triumphari. Audiamus Hieronymum. l. 2. advers. Jovin. *In exodo adversus Amalech oratione Moysis, & totius populi usque ad vesperam jejunio dimicatum est.* Unde optimè dixit S. Basil. hom. 1. de laud. jejun. *jejunium bona animæ custodia, corporis tutus Convictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium.*

276. Quid porrò judicabimus de jejunio, quod Saul indixit toti exercitui, jam jam aggressuro Philistæos, hostes efferatos, & multis præliis ante hac superiores? *maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis.* 1. Reg. 14 v. 24. quod ad unguem fuit observatum, nam *non manducavit universus populus panem*: quamvis saltus, quem occuparunt, undique nataret melle, non tamen fuit, qui guttulam delibaret. Præceptū sanè, si mundanam, & bellicam prudenti-

dentiam consulemus, difficultatibus multis impeditum, & perquam mirabile! Leges militares exigunt, ut agmen, priusquam pugnam committat, sumptis dapibus vires reficiat; & si casus ferret, ut summo etiam manè ineundum esset prælium, signum detur ad prandium, & miles cibetur, ne fractis vel languidis inediâ corporibus animus pugnandi concidat, & acies pessundetur. Qua de causâ David infinitas Deo grates rependit Psal. 22. v. 5. *parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Cur ergo Saul ex adverso suas cohortes proximè demicaturus ad rigidum jejunium tanto juramento adstringit? dicam quæ sedet animo sententia. Noverat Rex ille, suos Israelitas in pænam scelerum toties fusos, fugatos, vel à Barbaris cæsos fuisse, nec præsentius suppetere remedium, placandi Deum, jejunio, ideo ad eam virtutem confugit, atque verbis utor S. Leonis Papæ serm. 1. de quadrag. *ut superare hostes suos possent vires animi, & corporis, indicto sibi reparavêre jejunio.* Unde addiscimus prætereà quòd, si hostes externi virtute jejunii sternuntur, multò magis internæ rebelliones concupiscentiarum impurorùmque motuum eodem sint opprimendi, ac coërcendi.

Aquas Jordanis egressus Dei filius, ubi culpas Mundi demerserat, 277
à Spiritu Sancto dirigitur ad incolendum solitudinis horrorem, & tela Sathanæ excipienda. *Jesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à Diabolo* Matth. 4. v. 1. quadraginta dies ibi tenuit, corpore conversatus cum feris, animo allocutus Angelis, atque per orationes, pias commentationes, cœlesti pabulo recreatus, alias dapes non gustavit. Et ecce tibi, *cum jejunasset quadraginta diebus, & 40. noctibus.* hostis infernalis assultum periclitatur: *& accedens tentator* &c. Quid est AA? si Dominus, ut tentaretur, in eremum pervenit, Sathanas verò ad nocendum argos pervigil, & leo ferociens circuit, quærens quem devoret, ecur tanto tempore, vel non vidit ac observavit Christum? vel aggredi noluit? Verùm adoremus in hoc mirabilem Dei providentiam, quæ prohibuit Dæmonem, ne invaderet Salvatorem, priusquâm quadraginta dierum jejunio, velut invicto propugnaculo, sese validè obarmâsset. Sententia est S. Basilii hom. 1. de jejunio. *Dominus noster carnem, quam pro nobis assumsit, jejunio communivit, eâque ratione Diaboli impetus sustinuit ac depulit.* Quamvis autem inde à primo Sanctissimæ conceptionis momento humanitas Divino verbo unita immunis fuerit à quovis insidiarum, tentationùmque apertarum genere, ad nostram tamen doctrinam, ac eruditionem ordinatum est, ut Filius Dei, humanâ carne vestitus, cæterà tutissimus, ad conflictum cum Dæmone jejunio

præmuniretur, quo miseri mortales excitati ad idem præsidium confugerent, & necessariis illis armis instruerentur.

278. Si verò jejunium Hercules est subigens monstra vitiosorum affectuum; si frænum est coërcens impetum naturæ, & dissolutiones passionum; si Cataphracta est, coöperiens totum hominem, ac fortiter defendens, si scutum est adamantinum frangens vel elidens sagittas hostiles. *Ergo*, concludit S. Petrus Chrysologus serm. 7. *jejunium, quod contra vitia prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur, quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt.*



Ex

CAPITE III.

Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ, & potûs.

Abstinentiam puros nos reddere ac gloriosos.

DISCURSUS XXIX.

279. JUcundum equidem est, tam multiplicem avium varietatem, & distinctos colores, ut oculeum pavonis syrma, picturatum tegmen psittaci, variegatas species picarum, columbæ, carduelis &c. aquila tamen sedem occupans ac dignitatem Reginæ, gaudet vestitu pullo, & constanter incedit nigra. Amica Solaris lucis palliatur tenebrosis, & obscuris velis, & aliis volucribus cum amœnitate gemmarum decertantibus, illa comparet atra, instar lapidis Thracii, vel sydii, quamvis, si Plineo lib. 10. c. 3. fidem adhibemus, pennæ illius candorem eboris, & nivis æmulentur, quando diuturnâ inediâ extenuatur; hinc pro emblemate accepit epigraphen: *inedia albescit*, sive: *ab inediâ candor*. Quod verò de aquilâ memoratur, optimè Christi fidelibus congruit, qui virtuti abstinentiæ addicti, quantò magis alimenta carnis

imminuunt

imminuunt, tanto amplius candorem animæ perficiunt, Angelis similiores, quàm hominibus, ut apertè docet S. J. Chrysost. serm. 1. de pæn. *jejunium ex hominibus Angelos facit.* Nec abludit, quidem meâ opinione D. August. cum Religiosis suis inculcans sobrietatem; *carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs,* eâ ratione quærit candori externo lini lanæque adiungere internum exactæ puritatis ac munditiæ, quæ fructus nobilissimus esse insuevit temperati victûs, ut pluribus inpræsens demonstratum ibò.

Verba Tharsensis ad Romanos, quæ jurati orthodoxæ fidei hostes perperam intelligunt, & perfidè adversus Ecclesiæ Romanæ ritus, & cineralia jejunia intorquent: *Non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto,* Rom. 14. v. 17. hæc, inquam, verba si commentatio Guilielmi, Estii jungatur, egregiè nostram intentionem promovent, ac doctrinam illustrant: si enim cœlorum regnum, ac perennis illa beatitas non obtinetur lautitiis epularum, consentaneum est è diverso, à fidelibus acquisitum iri per spontaneam carnis macerationem, & abstinentiam à cibis, maximè quibus sancta mater Ecclesia statis temporibus nobis interdicit, jejunioque viam sterni, ad puritatem cordis, incrementum meriti, gratiæ, gloriæ cœlestis, ita ut exactè in abstinentiâ reperiatur *justitia & pax: & gaudium in Spiritu Sancto.* Virtutes nimirùm, quas S. Paulus ibi commemorat: justitia quidem, quod Deo satisfiat per abstinentiam pro peccatis contra Sanctissimas illas leges commissis, quæ sunt munia justitiæ propria: pax, quoniam per eam caro spiritui subjicitur, unde pax interna dimanat: gaudium Spiritûs Sancti: nam parcitas ciborum mentem efficit, puram, liberam, ac habilem, quæ in sublime efferatur ad contemplandas res cœlestes quibus rationalis anima mirificè pascitur, ac recreatur. Nec aliud intendit D. Ambrosius quando. serm. 2. gravissimè suos Mediolanenses excitat his verbis: *vacuandus venter moderatione jejunii, ut exoneratus animus ad alta possit pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis auctorem totus aliger pervolare.* 280.

Paradigma tractandi Corporis S. Basilius exhibet, mutuatum à moderatoribus equorum peritioribus: illi, quò habiliores ad palæstram, ad cursum & varia certamina, efficiant equos, pabulum extenuant, parciùs curant, ne corpus molle distentum impediatur: *non vides,* inquit hom. 2. de jejun. *quod expertissimi equorum dominatores equos ad certamina destinatos, ubi certamen expectant, per famem præparant.* Quis jam abnuat, si servi DEI designantur per equos, qui alacriter premunt vestigia cruen- 281.

ta Redemptoris extrema perpessi, *& post eum equi rufi, varii, & albi* Zach. 1. v. 8. Canonicos Regulares albis stragulis adornatos, in sanctâ parsimoniâ oppidè exercitos, per eandem virtutem ad gradum eximiæ perfectionis, & sanctitatis emersuros esse? ex mente namque D. Ambrosii lib. de Eliâ: *jejunium est refectio animæ, cibus mentis, radix gratiæ, fundamentum castitatis.*

282. Lubens volensque hoc loco prætereo parcitatem Romanorum, *qui*, testante Valerio Max. l. 2. c. 1. *erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quàm panis esset*; taceo frugalitatem Socratis, qui parcissimo cibo contentus solo pane, & lacte famem pellebat. Nihil de Platone dicam, qui cupedias mensarum aversatus, olivis, *pane &* aquâ vitam sustentabat. Non adduco Licurgi apophtegma, *tantum cibi duntaxat capiendum esse, quantum satis est fami levandæ.* Sileo Augustum Cæsarem, qui tum primùm mensæ accubuit, cum convivæ saturi essent, & sumptis moderatissimis dapibus, primus iterum recessit. Neque pro exemplo sistam Persiæ magos, quorum tota lauticia erat farina & certis quibusdam herbis circumscripta.

283. Illud silentio minimè involvendum est, quod fidissimi quique Dei famuli omni contentione sese inediâ macerarint, & strictissimum jejunium excoluerint. S. Jacobus Apostolus jam inde usque à puero, carne abstinuit, ut Hier. testatur de script. Eccles. S. Matthæus, *seminibus, baccis, & oleribus absque carnibus utebatur*, referente Clement. Alex. 2. pædago. c. 1. Quam ætatem Paulus primus Eremi incola exegit, *cibum, & vestimentum ei tantum palmâ præbente?* Hilarion jam decrepitus, paucas ficus, & succum herbarum ad victum adhibebat, nec iis ante Solis occasum vescebatur. Breu. Rom. S. Hieronymus ad 60. usque annos vitam tolerabat abstinentiâ incredibili. S. Augustinus ad Deum intimum rerum omnium testem conversus l. 10. confess. c. 31. dicebat: *hoc me docuisti, ut sicut medicamenta, ita, & alimenta sumpturus accedam.* Puro devotionis sensu S. Ambrosius necessitati, non voluptati consulturus DEUM præcabatur orat. 2. præpar. ad miss. *Clementiam tuam DEUS imploro, ut sicut æger ad Medicinam, sic ad sumendas dapes accedam, nequaquam in eis voluptatem appetens, sed necessitati subveniens.* S Bernardus invitans Rupertum nepotem suum ad secum cænandum, aliorum non meminit cupediarum, nisi olerum, fabarum, pulmenti, panis cibarii, & limpidæ aquæ Ep. 1. S. Carolus Borromæus, Nepos ipse Summi Pontificiis, & Archipræsul Mediolani prandebat, *solis quandoque lupinis* contentus; Quid plura ipsa cœlitum Regina & intemerata Genetrix DEI prævit exemplo; quippe cui, ut S. Ambrosius l. 2. de virg. adnotavit,

congeminati

congeminati jejunio dies fluxerant, & si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Hac nempe victûs moderatione, hac sui extenuatione animæ sanctæ similes evadebant Palmis, *quæ virent in arido*: hac ratione reportarunt victoriam de seipsis, dæmoniis; dignæ puritate Angelorum, & gloriosis triumphis.

Sicut præcipuis honoratur encomiis Præcursor Domini Joannes Baptista, ita non inamænum movetur dubium, quo pacto progenitus sit ex Zachariâ & Elisabeth, indubiè homo cæteris similis, juxta illud Joannis c.1. v. 6. *fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Evangelista Marcus ècontra palàm declarat esse Angelum, in quo adimpletum sit oraculum Malachiæ: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Marc. 1. v. 2. Malach. 3. v. 1. Quid vobis videtur AA.? profectò, si originem duxit è lumbis illius Sacerdotis, homo fuit obnoxius passionibus, morti, corruptioni: quo igitur jure compelletur Angelus, substantiâ spiritualis, incorruptibilis, cœlestis? optimè res habet: Erat Joannes Homo per naturam; sed Angelus per sanctitatem, gratiam, innocentiam: homo erat juxta ac Angelus, scilicet minister ac nuntius DEI sigillatim designatus, cui proinde ambo Elogia competunt: *fuit homo missus à Deo*, & alterum: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quid si addamus, Joannem equidem generatum esse hominem à Zachariâ, sed parente tali, cujus vires, virtùsque generandi senio jam tota emarcuerit, ut adeo potiùs favori gratiæ, quam vigori naturæ sit adscribenda ejus generatio, atque, ut loquitur Petrus Chrysolog. Ser. 89. *divino munere non partu ex hominibus Angelus nascetur?* Ad scopum verò nostrum præcipuè servit. Quod vita Joannis mera fuerit abstinentia, cibus erant miserabiles locustæ, & fel sylvestre ex rupibus destillans, & tamen adeo tenue parumque inde sumebat alimentum, ut nihil comedisse verè dici posset. *Venit Joannes non manducans, neque bibens.* Matth. 11. v. 18. quo jejunii rigore id sanctitatis culmen attigit, ut communi opinione magis pro angelo quàm homine haberetur, applaudente S. Ambrosio lib. de Eliâ: *jejunium est vita Angelorum.* 284.

A Joanne placeat gradum promovere ad ipsum Servatorem nostrum JEsum; cùm supra verticem montis Thaboræi Solis in morem radios spargeret immensæ gloriæ, ecce: in obsequium Filii Dei apparuerunt *Moyses & Elias cum eo loquentes* Matth. 17. v. 3. obstupescunt hic loci sacri interpretes, & laudabili quadam curiositate inquirunt, Quare triumphanti Christo præcisè Moyses & Elias adstiterint, non verò Proto- 285.

 topla-

toplastus Adam, non Abraham, Jacob, Josua, David, cæterique eminentiores Principes, ac Patriarchæ? varia cadunt ingeniosa eorum responsa: apparuerunt Moyses, & Elias, ille frontem admirabili splendore, iste dexterâ gestans succensam lampadem, ut Majestas Jesu Solem referentis, comparatione minorum luminum eluceret pateretque quantum Dominus excellat famulis: apparuerunt maximi illi viri, *Moyses* fato jam defunctus, & Elias â morte præservatus, ut agnosceretur Jesus mortuorum atque vivorum supremus arbiter: apparuerunt Moyses & Elias, ille hominum sub Sole viventium omnium mansuetissimus, iste ardenti ac rigido Zelo plenus, ut pateret, benignitatem æquè ac justitiam in Deo expectandas esse: etsi Moyses intrepidè se Pharaoni, *nullâ* mortis ratione habitâ, stitit, Elias verò faciem furibundi *Regis Achab* nequaquam formidavit; voluit Christus ut Apostoli, horum in Majestate præsentium exemplo animati, addiscerent vilipendere rabiem Tyrannorum, & intuitu adeo sublimis præmii nullum periculum, vel laborem subterfugere. Placent eqidem acuta hæc Doctorum sensa, me tamen quod attinet, malim subscribere S. Patri Hieronymo, existimanti, hos duos fuisse præ omnibus electos, ut gloriam Salvatoris participarent, quòd meritum abstinentiæ reddiderit præcipuè capaces: cùm enim uterque perinde ut ipsemet Redemptor hominum, quadraginta dies jejunos traduxerit, rationi consentaneum erat simul omnes glorificari & exaltari, ob jejuniorum consortia, inquit Hieron. l. 2. adversus Jovin. *Moysem, & Eliam transfiguratos in monte secum ostendit in gloriâ.* Adstipulatur Tertull. advers. Psychicos, *meritò igitur etiam in carne se Dominus Moysi ostendit Collega jejuniorum suorum, non minus & Eliæ.*

286. Enim vero, sit emphasis jejunii clarissimè in Moyse cernere erat, quando illius vultum tanta luminis claritudo ambivit, ut Aaron quoque frater ejus, & Primores Israelitarum, ubi advertêre, attoniti hærerent, nec aspectum sustinere possint: *videntes Aaron, & filii Israël cornutam Moysi faciem timuerunt prope accedere* Exod. 34. v. 30. Hanc autem lucis copiam, ex familiari Dei affatu, atque prò felato suo jejunio, retulit, quæ conciliârunt eam puritatem & gloriam, ut non corpus humanum esse videretur, sed spiritualis substantia, ne dicam Deus aliquis: ita certè senserat S. Petrus Chrysologus serm. 166. *Moyses dierum quadraginta jejunio ita humano defæcatus est, & exinanitus à corpore, ut totus*

287. *Divinitatis mutaretur in gloriam.*

Paulum quoque Apostolum omnibus omnia factum, locupletem argumenti, quod præ manibus habemus, testem videamus: affirmat ipse

Cor, 11.

2. Cor. 12. v. 2. speciali Numinis favore, *raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum* Rogatis, quo id merito, quâ virtutis prærogativâ, cujus subsidio evenerit. Explanatores Biblici ferè consentiunt, id accidisse quo tempore Apostolus Paulus humi prostratus cœlesti luce circumfusus, visûque privatus fuit, *& apertis oculis nihil videbat.* Act. 9. v. 9. tunc illicò vidisse, & comprehendisse, secreta cœlestis patriæ prorsus inennarabilia. Non leve robur accedit, quod eodem tempore tres integros dies strictam servarit abstinentiam, *& non manducavit neque bibit* Act. 9. Nempe quemadmodum falco montanus, inediâ extenuatus mirâ agilitate in sublimia elevatus, atque, ut nonnemo adscripsit, *alta petit impastus,* ita Paulus, posteaquam corpus jejunio attrivit, & rigore abstinentiæ depressit, ad tantam altitudinem fuit sublatus. Unde S. Isidorus Pelusiota lib. 1. ep. 63 *jejunium & nuditas & chameunia, & corporis maceratio, hoc Paulo attulit, ut Paradisi arcanorum auditor esse.* & propiùs ad rem nostram S. Basil. orat. 1. *Pauli jejunium in cælum provenit,* usque adeo verum est, quod quando amplius jejunii tolerantiâ vires corporis infringuntur, tanto vivatius anima ascendat, & pennis contemplationis in cœlum evehatur.

Coronidem discursui imponat S. Paulus 1. Cor. 9. v. 25. *omnis qui in agone condentit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam:* Sicut igitur Pancratiastes, priusquam in arenam descendant, ineantque certamen, pro comparandâ coronâ tot votis expeditâ conformiter præceptis illius artis, ab omnibus abstinent quæ debilitare possent aut enervare; vescuntur parcissimè, magnoque cum delectu id solùm quod leges indulgent, crapulam evitant, ac ebrietatem, oderunt otium, libidinem ut pestem horrent, quo artus corporis indemnes servent sanos, robustos, nervosos ac habiles ad potiundum coronâ: Quid jam Religiosus intactum relinquat, qui coronæ inhiat æternæ beatitudinis? *ab omnibus se abstineat*, hoc est, *carnem domet.* Subdit Augustinus, *jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs.* Caveat sibi ab illecebris, dapumque cupediis & gulæ proritamentis: sectetur sobrietatem, & inediâ carnem rebellem rationi subigat, quo tandem *moderatione jejunii exoneratus animus possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, ad ipsum pietatis auctorem totus aliger pervenire.* 288.

Ex

CAPITE III.

Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs, quantum valetudo permittit.

Mortificationes nostras ad libellam discretionis obeundas esse.

DISCURSUS XXX.

289. SAlem necessarium, & vulgare ciborum condimentum minimè vulgares prærogativas sibi vendicare fatebimur, si suis momentis rem æstimemus. Bina elementa, ignis & aqua, odio cætorquin capitali dissidentiâ in sale conciliantur. teste S. Hilario Can. 4. in Matth. *Sal est in uno continens aquæ & ignis elementum*, quodque obstupeas, igneus est Sal, & tamen in ignem conjectus singulari quadam antipathiâ, ut observat Bercorius reduct. l. 11. c. 126. *refugit, & resultat*. In aquam si mittitur, Sal duritiem lapidis confestim exuit, ac penitus in amarum liquorem dissolvitur, expositus, Solis radiis in glaciem mutatur ac duram petram: Carnibus aspersus virtute suâ putredinem arcet, si tempori adhibeatur, alioqui si carnes computrescere & vermibus scatere occœperint, nequaquam commodat, nihilominus proficit. Porrò cum Sal condimentum sit, non alimentum, sicuti usurpatus discretâ paritate plurima bona efficit, ita applicatus in quantitate nimiâ cibos omnes corrumpit, amaritudine inficit, ac inutiles imo nocivos reddit. Hinc Sapientes consueverunt salem statuere pro symbolo discretionis, quâ submotâ, nostræ actiones, quantumvis laudabiles de se videantur, ac perfectæ, in vitia degenerant ac pessum eunt: *pereunt enim ipsa bona*, dicit Hugo Victorinus in hunc locum, *nisi cùm discretione fiant*. Eodem consilio D. Augustinus, quum expugnandæ naturæ suaderet adhibendam esse abstinentiam ac jejunium, *carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs*. Illicò subjungit ad cautelam:

telam: *quantum valetudo permittit*, quò ex interpretamento Hugonis, *virtus discretionis commentatur, in omni quippe abstinentiâ hoc semper attendendum est, ut vitia extinguantur*, veluti hostes nostri jurati, *non Caro individua comes animæ*.

Cumprimis nobilis, & præcipua prudentiæ filia, ut inde exordium ducam prudentia est, quæ cæteras virtutes omnes scitè in ordinem adducit, ac exornat. Virtutes suapte naturâ moderationem amant, velut Hieron. Ep. 8. ait, ut quando exceditur â mensurâ debitâ, in vitia miserè desciscant, qnod innuebat ille græcæ sapientiæ ocellus, optimè monens: *nequid nimis*. Egregia & omni laude dignissima est virtus jejunium; at non nisi per discretionem dirigatur, ne vires exhauriat, robur imminuat, & umbræ similiorem, quam homini efficiat, sed potiùs eum corporis habitum relinquat, quô pares simus, naviter, & sedulò ferendis, religiosæ vitæ oneribus, sacræ lectioni, divinæ psalmodiæ, vigiliis, & piis commentationibus. Chorda, inquiebat Cellensis Abbas l. 5. Ep. 3. non nimiùm violenter tendenda est, ne rumpatur: præstat pauxillum relaxari, quàm discindi, modus in rebus omnibus commendatur citra defectum & magnum incommodum non negligendus. Amo alacritatem currendi, sed vereor, ne immatura festinatio spiritum intercludat. Nunqnam colliget virtutum fructus, qui principem locum denegat moderationi, ac prudentiæ virtutum fæcundæ parenti. Imò nec nomen virtutis meretur, quod limites discretionis egreditur. Quapropter sapientimè S. Augustinus ad nostra jejunia ritè suscipienda vires ponderare jubet, tantùmque subire, *quantum valetudo permittit*. Alioquin *pereunt ipsa bona nisi cum discretione fiant*. 290.

Timotheo, tum doloribus stomachi, tum aliis compluribus morbis afflictato, S. Paulus modicum vini agit, & ipsi penitus aquâ interdicit: *noli adhuc aquam bibere* 1. Tim. 5. v. 23. potùmque moderatum vini substituit: *sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Quo loco Angelicus Doctor observat, Paulum, tametsi valetudinem integram luculento miraculo restituere possit è vestigio, qui mortuos in vitam revocavit, abstinuisse tamen, quod probè agnosceret hanc corporis afflictionem incrementum esse spiritualis profectûs; vinum tamen indulsit, non voluptatis, sed medicaminis gratiâ & quidem in tenui quantitate, quasi diceret ex mente Gulielmi Esthii: *abstinentiam tuam scio, & laudo, sed istum rigorem propter infirmitatem corpusculi volo, ut nonnihil relaxes, indulgendo tibi posthâc paululum vini*. Nec frustrâ restringit ad modicum, quemadmodum enim pluvia, parcè guttatim- 291.

que

que delapsa suaviter terram irrigat, emollit, atque ad uberes fructus progenerandos mirè disponit, cum effusus imber opprimat, & suffocet: Ita vinum temperatè haustum stomacho præbet vigorem ac robur, ingurgitatum verò, & nimiâ copiâ potatum gravat, ac enervat; quæ sententia est S. Prosperi l. 2. de vitâ contemplat: c. 22. in hæc verba scribentis: *quandoquidem infirmum stomachum moderatus usus vini confortat, ebrietas animum corpusque debilitat*

292. Quod verò Apostolus suasit discipulo, executioni mandatum voluit in semetipso, nempe, *castigo*, inquit 1. Cor. 9. v. 27. *corpus meum, & in servitutem redigo*, flagris & vibicibus tergus obserebat, fame, sitique diuturnâ extenuabat membra, alimenta equo, ne recalcitraret subtrahebat, & mancipii temeritatem, ne insolesceret reprimebat, quod Theophilactus ita exponit, *non est necesse strangulare ipsum*, (corpus) *vel suffocare, sed veluti effrænem servum humiliare, atque subdere quod Domini est, non hostis*. Ita tractandum est corpus, ut parere discat, auctoritate paternâ domandum, non hostili odio contrucitandum, eàque sunt adhibenda; quæ serviant emolumento, non quæ afferant perniciem. Optimè S. Joan. Chrysost. *non dixit interimo, neque enim caro est inimica, sed castigo, & in servitutem redigo, quod quidem est Domini non hostis, doctoris non inimici, pædotribæ puerum exercentis, non adversarii.*

293. Haud alia mens erat, & cordis affectio Israëlitarum, cùm ad Deum conversi ex Psalmo 43. v. 2. clamarent: Domine, *propter te mortificamur totâ die*: non præterit diei hora, qua non amore tui exagitamur: sed numquid fideles Dei servi etiam de nocte adversa tolerant? si meditationes, & fervidas orationes protrahunt in plures horas, si flagellando propriam carnem in alto rerum omnium silentio suavi illâ Musicâ Cœlestis Sponsi aures demulcent, si super duros rudesque asseres, vel nodosos truncus, & informes ligni stipites parcissimum somnum capiunt, non absque gravi menbrorum cruciatu, ecquid non alias commemorant mortificationes præterquam clarâ die exantlatas? nimirum insistendo sanctis operibus etiam adultâ jam nocte perinde ac in meridie operatur: quoniam cuncta peragunt illustrati discretione ac prudentiâ, quæ instar coruscæ lampadis præit, & illuminat. Unde nos exstimulat Richardus noster Victorinus in Psal. 118. inquiens: *mortificate ergo, mortificate inquam, in die tamen, ut omnia in luce discretionis fiant, nec ultrà citrave mensura metam operum vestrorum rota discurrat*; Sicut enim in Romano circo præmium seu bravium obtinebatur, si equus præscitè metam attigit, nec lassus hæsitavit, priusquam accederet, nec efferus transcurrit, idcirco

circò

circò inscriptum legebatur: *nec citra, nec ultra:* Ita virtus genuina utrumque extremum ceu vitiosum odit, & aureæ discretionis mediocritati innititur quod Justus Lipsius lib. de constantiâ c. 4. his verbis adnotat: *virtus mediâ viâ ingreditur, & cautè cavet, ne quid in actionibus suis desiat, aut excedat.* Constitutiones quoque nostræ expressâ lege cavent, ne quispiam præsumat contra regulas, & consuetudines laudatas arripere vel inducere vivendi formam solito asperiorem, sed potiùs norma victûs, potûs, vestitûs, quietis ab omnibus inviolabiter observetur: pariter mortificatio sensuum *minimè* sit immoderata, nec indiscreta in vigiliis, abstinentiis, & aliis pœnitentiis ac laboribus externis p. 1. c. 38. quippe austeritates ejusmodi exorbitantes, & à superbiæ spiritu progenitæ, plurima damna efferre solent, & religioni perniciem machinantur.

Incedat igitur bonus Religiosus, ut Apostolus docuit 2. Cor. 6. v. 7. **294.**
per arma justitiæ à dextris, & à sinistris mediam viam teneat, neque avocetur illecebris vitæ laxioris & effrenis, neque tramitem terat salebrosum sentibus horridum & austeritatibus nimiis implicatum: affluentiam voluptatum â dextris monstratam repellat validissimis armis temperantiæ: rigorem & molestias in observatione legum â sinistris lacessentes, fortitudine subigat, ac ita per extrema hæc periculosa, duce discretione securus transeat; Quod Joannes Cassianus excellens asceseos Magister etiam scriptum reliquit collat. 2. c. 16. *per arma justitiæ, quæ à dextris sunt, & à sinistris recto moderamine transeundum est, & ita inter utrasque nimietates, discretione moderante, gradiendum est, ut nec â tradito continentiæ tramite acquiescamus abduci, nec rursum remissione noxiâ in gulæ ac ventris desideria concidamus.*

Quod ipsum exemplo gruum addiscere licet, qui, priusquam volatui accingantur, de lapide prospiciunt, pedibus concludendo ne ludibrio **295.**
ventorum exponantur, sed justo pondere adversus vim eorum defendantur: porro lapidem seligunt, nec levem nimium, ne inutilis evadat, nec admodum gravem, ne pondere suo sit obstaculo, sed æquilibrium quærunt, suisque viribus admetiuntur aptissimum. Similiter & aquila prædam adepta non prius apprehendit in nidum delatura, quàm periclitata est, an vires suas excedat: unde Epigraphen fert: *librat & evolat.* Consentit Seneca, & omnibus providenter inculcat, ante susceptionem oneris probè examinandum esse robur corporis, an ferendo pares simus: *æstimanda sunt ipsa,* inquit de tranquill. c. 5. *quæ aggredimur & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus comparandæ, ne pudore confusi & deridi-*

deridiculo habiti succumbamus : ante omnia monet idem c. 4. *necesse est seipsum æstimare, quia ferè plus nobis videmur posse quam possumus.* Qui tenuis est viribus, ne supponat humeros moli cœlorum Herculi duntaxat, & Atlanti reservatæ: & qui non imbutus est spiritu Hilarionis, & Antonii, non ausit incolere eremum, & durissima subire jejunia illis facilia: *non omnia possumus omnes.* Ita operationes conformare discreto judicio oportet, & corpus macerare, *quantum valetudo permittit.*

296. Joannes cap. 19. Apocal. refert, audivisse se Angelum quendam, qui Soli insidens *clamavit voce magnâ, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli, venite & congregamini ad cœnam magnam DEI.* obsecro quid causæ est, quod non omnes promiscuè volucres ad opiparam mensam Numinis invitet, sed tantùm & distinctè, quæ per medium cœli volant? Alexander Alensis ita enodat. *Dicuntur volare per medium, ne ferantur in sursum superbiâ, ne dejiciantur in deorsum avaritiâ: ne turbentur per sinistrum adversitatis, ne eleventur per dextrum prosperitatis, ne cadant retrorsum per recidivum culpa.* Servi Dei, per aves designati, ad cœleste convivium recipiuntur, si volant *per medium cælum*: si non nimium efferentur superbiæ typho, nec justo inferiùs deprimantur commodorum suorum studio; neque ad dexteram flectantur prosperitatis mundanæ, neque in sinistram adversitatum desciscunt, nec denique respiciant retrò vel ad vomitum revertantur, sed antrorsum ferantur perpeti volatu, in virtutum profecta: verbo divinæ cœnæ participes fient, qui colunt mediocritatem, nec affectant rigorem vitæ, ac austeritates, quæ vires excedunt, neque tamen ita habenas laxant, & genio indulgent, ut otio diffluant sed ita operantur, quomodo norma prudentiæ ac discretionis præscribit.


297. In fabulis est, Dædalum unà cum filio suo Icaro fugam meditatum esse è regno Cretensi, cujus sceptrum gerebat Minos ipsis perquàm infensus, cumque alia elabendi occasio deficeret, ad ingenium suum recurrisse, atque alas cereas geminas sibi, & totidem aptâsse filio, sollicitâ hac cautelâ probè inculcatâ: En fili mi, auxilio hoc salvus & incolumis evades, si consilium Patris exactè observatum velis: vide, ne sublimia petas, & viciniam Solis ingrediaris, cujus ardore colliquescant alæ, minùs appropingues rabidis procellis inquieti maris, ne attonitus tuique impotens submergaris, mediam ingredere viam, & mea vestigia lege, si sequaris præeuntem, tutus in oppositâ ripâ considebis. *Inter utrumque vola, medio tutissimus ibis.*

Quod

Quod monuisse Dædalum Poëtæ fabulantur; verum & maximi ponderis documentum esse potest ad nos in vitæ præsentis curriculo ritè gubernandos: absit ne nimiùm nos extollamus, & altius altiusq; eniti conemur, nam eo pacto incurremus odium potentiorum; absit pariter superflua, & indigna depressio, qua viles reddamur, ac despectui ab omnibus habeamur: via media secura est, & proficua. Audiamus Horat, l, 2. od, 12. 298.

Rectius vives Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautas horrescis, nimium premendo
littus iniquum.

Quod Lyricus de vitâ politicâ canit, per omnia vitæ Religiosæ competit. Cave sis, O Serve DEI, ne ad eam anheles sublimitatem, quæ vertiginem inducat: ne imprudenter inhies austeritáti, & tam ardua moliaris, quibus ob virium debilitatem succumbas; & elanguidus æternâ salute pericliteris, ex adverso invigila, nec acceptum vitæ propositum, & regulas juratas incurius negligas, & morum dissolutione aliis scandalum, tibi accersas interitum: *medio tutissimus ibis.* 299.



Ex

CAPITE III.

Cum acceditis ad Mensam, ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant DEI verbum.

Sub refectione corporis animam ad Deum elevandam esse.

DISCURSUS XXXI.

300. VEteres, tum Græci, tum Romani, præter superbos apparatus, & palatia famulantium multitudinem, villarum amænitatem, fulgorem vestium, & alia magnificentia insignia celebrarunt convivia omni Majestate ac voluptate refertissima; neque enim palato tantùm exquisitâ cupediarum varietate litabatur, sed etiam olfactus suavissimâ florum & aromatum fragrantiâ, visus jucundissimis spectaculis, auditus rarâ symphoniâ recreabatur. Triclinium, ubi mensa sternebatur, migrabat in theatrum quoddam, seu scenam, convivarum alius scitâ manu chordas animare, plenisque fidibus, quàm suavissimè concinere, alius sive myrteum ramum dexterâ gerens amoris versus ex Aeschilo cantare, seu laurum tenendo, heroica poëmata Homeri recitare, alii stratagemata, & victorias *celeberrimorum* Ducum commemorare, alii gravibus acutisque *sententiis* delectari: certè haud facilè prætermittebant ad mensam legere curiosas unà ac fructuosas materias, quæ præsentes, erudirent simul, & exhilararent: ut volumina in cænaculis illis magno numero congesta non jam viderentur Senecæ c 9. de tranquillitate, *studiorum instrumenta, sed cænationum ornamenta.*

301. Gentilles quidem eâ diligentiâ quærebant eruditionem quandam politicam, & moralem profectum: at servi Dei immortalis, altiori lumine dotati, amore perfectionis Religiosæ illo ingenere inferiores non sunt, sed cùm mensæ assident, necessarium corporis alimentum sumptu-

ri, ut simul pascant intellectum, & affectum inflamment, documentis sacrorum codicum, assiduam lectioni navant operam, quam consuetudinem probat D. Augustinus, cùm ad alumnos suos conversus ait, *cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & condítione audite, ne sola vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum,* ut quo tempore præbetur alimonia materialis corpori, cibus spiritualis animæ non denegetur: monet æterna veritas Matth. 4. v. 4. *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Agite Auditores, quam bellè in Religiosorum mensis conjungantur dapes corporales, & affectus cum elevatione mentis in DEUM spirituales, præsenti discursu expendamus.

Præcipua duo ornamenta, cùm tabernaculi DEI in deserto à Moyse constructi, tum templi Jerosolymis à Salomone ædificati, erant mensa panibus instructa coram Domino, & candelabrum lucernam gestans ad divinum honorem succensa, *pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper,* præcipit Deus Moysi Exod. 25. v. 30. & confestim v. 37. subdit, *facies. & candelabrum, & lucernas septem, & pones eas super candelabrum.* Similiter in libro Num. c. 3. v. 35. juxtim legimus *mensam & candelabrum.* De Salomone quoque proditur 3. Reg. 7. v. 48. *fecit mensam, super quam ponerentur panes propositionis, & candelabra aurea, & lucerna.* Denique Sunamitis 4. Reg. 4. v. 10. pro Elisæo sollicita, *faciamus,* inquit, *ei cænaculum parvum & mensam & candelabrum.* Unde obsecro tanta est communicatio inter mensam & candelabrum? panem & lucernam? alimentum, quo corpus nutritur, & lucem qua tenebræ dispelluntur? *panis cor hominis confirmat* Psal. 103. v. 16. fax ardet, & lucet in *caliginoso loco* 2. Petri 1. v. 19. ut cæcas umbras & nocturnos terrores dissipet? eruemus responsum, si præsupponamus voculam *panis,* in sacris litteris esse genericam, & significare prandium, cænam, & omne genus eduliorum, quod liquet, modicè in iis versato. Genes. 24. v. 33. in ædibus Labani fervebat omnium studium, quo honore, & obsequio exciperetur fidelis Abrahæ minister, qui conjugium inter Isaac & Rebeccam stabiliturus appulit, & strictim textus meminit *appositus est ei panis,* i. e. mensa admodum lauta. Exod. 2. v. 20 intelligit Raguel, magnus Madianitarum Sacerdos, quo favore Moyses filias suas prosecutus sit, ac defenderit: & ait: *vocate eum ut comedat panem,* hoc est, ut splendide, & liberaliter tractetur. Amici Job certiores facti, eum postliminio ad priorem felicitatis apicem evectum esse, *comederunt cum eo panem,* Job. 44. v. 11. discubuerunt simul, &

302.

& Saliarem in modum epulati sunt. At candelabrum perinde ac lucerna Deum illum repræsentant, qui *lux* est & *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. Joh. 1. v. 9. Præterea lucerna symbolum esse amat divini verbi, & sacri Codicis mentem fidelem mirificè illustrantis; *lucerna pedibus verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis*. Psal. 118. v. 105. his ita suppositis, clarè opinor videtis, non sine grandi mysterio mensæ ac panibus associari candelabrum, & lucernam, ut videlicet cibo corporis uniatur ardor internæ devotionis, & qui mensæ accumbit, ob oculos habeat lucem divinam, quâ anxiè desideret, & illustrari, & recreari. Audiamus D. Humbertum c. 59. *Numquam cibus carnalis sit absque spirituali, hinc est quod candelabrum, quod significat lumen scripturæ, erat in mensâ panum in tabernaculo, & in templo.*

303. Præclarum hujus rei specimen refertur Exod. c. 18. v. 12. Jethro Socer Moysis, invitavit Aaron & omnes Seniores Israël, *ut comederent panem cum eo coram Deo*. Sed quid causæ fuisse existimatis AA. quod convivium agere voluerit coram Deo? Abulensis opinatur mensam fuisse stratam penes tabernaculum: *dicuntur comedere coram Domino, id est, coram altari holocaustorum*. Et Lyranus: *coram illo parvo tabernaculo, vel coram altari, ubi obtulerant holocausta*, ut cum manus caperet cibaria, & lingua delibaret saporem, oculus, mens, & affectus in tabernaculo defixi hærerent, atque sicut epulis occurritur indigentiæ ventris, ita his cœli cupediis animæ subveniatur: sanè id cunctis fidelibus calidè suasit Joannes Chrys. hom. 16. ex var. in. Matth. *epulis vestris intersit Christus, in facie prandeatur auctoris*. Concinit Prudentius Poëta Christianus hymno ante cibum.

Fercula nostra Deum sapiant:
Christus & influat in pateras;
Seria, ludicra, verba, jocos
Denique quod sumus, aut agimus
Trina superna regat pietas.

304. **Fallor an eadem fuit mens Sacræ Sponsæ c. 1. Cant. v. 6. exclamantis: O vita animæ meæ! O amor, O unicum centrum votorum meorum! *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie?* quoniam tempus meridiei, tempus est prandendi, ubi tunc moraris Deus meus, sine quo insipidus mihi cibus, & potus amarulentus, ad te respicio, cum prandium**

dium sumo, ut cœlesti tuo, vivoque pane plenè satietur anima mea, cùm corpus nutritur terrestri. Hæc prodidit sensa Prudentius, cum cecinit.

Huc nitido precor intuitu
Flecte salutiferam faciem
Fronte serenus, & irradia
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.

Et iterum,

Te sine dulce nihil Domine
Nec juvat ore quid appetere.
Pocula ni prius atque cibos.
Christe tuus favor imbuerit
Omnia sanctificante fidei.

Porro, quod anxiè Sponsa anhelabat, S. Petrus Apostolorum Princeps felicissime obtinuit: degebat in civitate Joppe; horâque diei sextâ 305.
jam appetebat, qua venter jejunus ad mensam invitaret, cum ille fervore spiritûs inflammatus, prius orationi vacare instituit, & idcircò in superius cœnaculum conscendens, præter opinionem apparitioni obvium procedit, atque, ut verbis utar Card. Hugonis, *superna visurus mysteria, quasi obviàm pergit visioni*, dùmque corporis vires instaurare escis cogitat, anima in cœlum effertur, atque *esuriens corpore reficitur mente*, ait idem. O fortunatum Petrum, qui prandium Oratione pervertens, affluit cœlestibus deliciis, & revelatione mirâ imbuitur! qui corpori pascendo intentus dulcem reperit animæ refectionem! qui vesci cupiens donis Cereris, gratiis supernis refocillatur! quàm efficaciter docet, Religiosorum mensam, tum lectione sacrâ, qua Deus nos affatur, tum fervidâ oratione, qua Numen alloquimur, tum exstaticâ quadam contemplatione, quâ anima cum Deo unitur, esse condiendam: quod calculo suo confirmat Laurent: Justin. cap. 20. de discipl, *absque lectione aut mentali exercitatione minimè fas est in refectione discumbere.*

Desideratis luculentius argumentum, quàm conncinæ jungantur 306.

 lumen

lumen lucernæ cum mensâ panum, & affectus devotionis cum debitâ refectione corporali? En ipse beatus Petrus, quo de loqui cœpimus, egregiam subministrat. Piscabatur is in mari Galilææ, cum Divinus ei Magister, in littore se spectabilem præbet, & quia super carbones assabantur pisces nonnulli, discipulos ad prandium vocat: venite, prandete Joh 21. v. 12. panemque simul ac piscem mirâ affabilitate, & amicâ liberalitate inter eos partitur: *venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter*, postea *cum prandissent, dicit Simoni Petro Jesus, Simon Joannis diligis me plus his?* &c. *pasce agnos meos*. O rem stupendam! suprema Ecclesiæ dignitas collata est Petro non quando in mari laborabat, & cum procellis luctabatur, non quando jejunio & corporis afflictatione maceratus languebat, sed finito prandio, mensâque vix remotâ; *cum prandissent*; avetis scire rationem? discite ex Ven. Beda apud Sylv. lib. 9. in evang. c. 9. n. 17. S. Apostoli, quum moderatam corporis alimoniam assumerent, ferventibus animarum exercitationibus jugiter insistebant. *Mensa discipulis erat ad divinorum exercitia*. Edulia solidiora comminuebant, atterebantque dentibus, & animo ruminabant mysteria Dei. Petrus certè in eo prandio non tantùm recreabat fauces dapibus, quantùm revolvebat mente suavissimas gratias sibi à Salvatore benignissimo impertitas. Ah! quæ bonitas, dicebat secum tacite, quæ clementia! filius DEI turpiter à me negatus, non tamen deserit, nec repellit! obverteram illi perfidus tergum, at ipse hoc pensi non habens, aperit largam manum, & paternè cibat: quàm ingratus fui ego copiosis favoribus, & beneficiis, & nihilominus tam communem & liberalem se mihi exhibet, ita comedendo meditabatur Petrus: & reficiens pane corpus, animam sanctis affectionibus saginabat, dignus proinde, qui præmii loco reciperet fastigium honoris, & clavum regiminis Ecclesiastici.

307. Duæ Sorores in domo Lazari, referente S. Luca, satagebant omnimodis gratum famulatum præbere Christo, rationem tamen ingressæ longissimè diversam. Martha summâ sollitudine huc illuc discursabat, quô splendore & apparatu nobilissimo mensam domino instrueret: Maria humi pedibus Christi assidens otio fruitur minimè otioso, vel inutili, sed anima, super cœlos elata, delibat ex ore Salvatoris nectar cœlestis dulcedinis, ac infinitæ suavitatis: Illa studebat pascere, hæc geniali epulo recreabatur, atque, ut meminit Augustinus hom. 27. de verb. D. *à Marthâ convivium Domino paratur, in cujus convivio Maria jam jucundabatur*. Et verò si Martha gaudio perfusa est atque ingenti solatio,

latio, quod Conditorem universi excipere liceret hospitio, & honorare mensæ obsequio: quanto uberioribus natavit Maria deliciis, quæ incredibili cum suavitate referta fuit spiritualiter? quia profectò concludit S. P. Augustinus, *major est refectio mentis, quam ventris.* Digna consideratio, quam identidem viri Religiosi mente sedulâ volvant, qui cum auctorati sunt obsequio divino, opera edant sollicitæ Marthæ, nec interim destituantur fervore sancto Magdalenæ. Si necessitas cogit accumbere mensæ, corpusque reficere, devotio invitet ad pedes Domini assidendum, ut corpori provideatur de alimento, & non desit manna cœleste, & sapor spiritualis, faustoque omine consocientur *Refectio mentis & ventris.*

An vultis exemplis corroborem individuo nexu splendorem lucernæ cum mensâ & panibus conjungi? longus sim si vel paucula velim in medium adducere: vos ipsi, si placet, oculos conjicite in S. Nicolaum Myrensem, qui semel duntaxat de die, & quidem vesperi primum vesci solitus parcam cœnam condiri voluit, aut lectione sacrâ, aut coronâ & colloquio Eruditorum Sacerdotum, quo velut *suaviori alloquio animi cibo alebatur.* Sur. 6. decemb. & mox è Cœnaculo oratorium ingressus, totus in cœlestium contemplationum campum diffundebatur: aspicite beatos Antonium & Paulum, qui accubantes fonti, à corvo, non vulgari dapifero, panem accepêre, eoque recreati integram noctem sanctissimis meditationibus exegerunt, in laudem divinæ providentiæ effusi, quod hactenus Paulo in singulos dies *dimidii panis fragmentum* submisit, modò *militibus suis duplicaret annonam.* Brev. 15. Jan. Attendite Thomam Aquinatem: aderat is præsens corpore mensæ Ludovici Francorum Regis, dapèsque porrectas comedit, sed anima procul in Thesauris sapientiæ demersa speculabatur, quænam è sacrâ Theologiâ deprompta arma certiùs conficerent monstrum abominandæ Manichæorum hæreseos. Lipello. 7. Mart. Considerate Seraphicum Bonaventuram, qui eidem regiæ mensæ adhibitus, atque totus in elegantissimam reginæ faciem defixus, tam ardenti affectu mentem ad contemplandas perfectiones divinas sustulit, ut aquilæ in morem, neglectis ejusce mensæ cupediis, & pænissimè abstemius dicere posset: *cibo nobiliore cor satio.* In S. Carolum Borromæum intendite; contentus pauperrimâ mensâ, pane solummodo & aquâ instructâ, coram se aperta Biblia tenebat, atque manducans, piisque commentationibus inhærens largissimas lacrymas fundebat.

308.

Haud

309. Haud aliter in mensâ nostrâ coruscet lumen Christianæ pietatis Religiosorum virtutum, & operum laude ac imitatione dignorum: aures fideliter custodiant, quæ hauserunt, sive ex verbo DEI per devotum Lectorem præposito, sive ex facundia erudita Zelosi Prælati. Lingua nostra silentio arcto tribuat præcelsas Deo laudes; constat enim, quod ubi vulgata in Psal. 64. v. 2. legit: *Te decet hymnus Deus in Sion,* alia quædam versio traducat: *tibi silentium laus:* atque hac ratione, ubi alimentis suis reficitur corpus, anima recreabitur doctrinâ, imbuetur sapientiâ, & executioni dabitur, quod providenter consulit Hugo noster c. 4. Reg. *Non solum debemus esse participes mensæ corporalis, sed spiritualis, nec tantùm sumere cibum corporis, sed animæ, nam quantò melior est anima, quàm corpus, tanto amplius nos delectare debent alimenta animæ quàm corporis.*



Ex

CAPITE III.

Cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentione audite.

Lectionem Mensæ permagni momenti esse.

DISCURSUS XXXII.

310. CONvivia celebrare sapiens Antiquitas eâ lege consueverat, ut præcipuum condimentum, à Religiosâ pietate exquisitâque eruditione peteretur. *Non prius discumbitur,* ait Tertullianus in Apol.c.36. *quàm oratio ad Deum prægustatur.* Nefas erat, extendere manus ad capescendas dapes, nisi præmissis Numini sacris primitiis, & potum pariter, antequam delibarent, certis

certis ritibus consecrabant, quod falsè Lactantius apud Laur. Polym, l. 2. f. 152. deridet, inquiens: *mactant opima & pingues hostias DEO, quasi esurienti, profundunt vina tanquam sitienti.* Sermones in ejusmodi diætis genialibus, ut testes sunt Plato, & Plutarchus, conferebantur de rebus Politicis, historicis, moralibus, & naturalibus: quo factum, ut Ceteris & Bachi loco Mercurius & Minerva mensis præsiderent, & triclinia mutarentur in academias, & athenæa, ubi subtiles quæstiones proponerentur, eruditæ difficultates complanarentur, atque nobiles pro intellectu pascendo perciperentur discursus.

Quod vero profanis hominibus laudabiliter arrisit, meliori jure in Religionum diætis observatur, atque, dum corpori suum præbetur alimentum, animæ sacrorum codicum lectio, & spiritualia documenta sufficiuntur, quò anima præstantior pars hominis non minùs nutriatur ac proficiat, quàm corpus cessurum in escam vermium: unde si Christus Dominus pluries dignatus est hospes accumbere mensis Canæ, Matthæi, Zachæi, Simonis leprosi, Lazari &c. docere voluit, *quod etiam corporalia exercitia*, ait Dionysius Richelius in Marci c. 16. *imo corporis nostri refectio atque provisio Deo placeant; dum ea ad spiritualem profectum referimus.* Quæ ratio sanctum quoque Augustinum permovit, ut Religiosis suis ad majus sanctitatis incrementum præscriberet juberetque attento, & quietissimo silentio sub mensâ sacram auscultare lectionem, velut excellentem asceseos Magistram: *cum acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & contentione audite.* Quanti verò nostrâ referat lectio ad mensam, in præsens demonstrare constitui. 311.

Pro felici auspicio nobilissima duo symbola occurrunt, quæ lectionem ad mensam communem scitè repræsentant simul ac commendant. 312. Ob oculos ponitur celeberrima testamenti arca, quæ Judice Tertull. l. 4. carm. contra Marcion. c. 3. expressa fuit Augustini Eucharistiæ sacramenti figura,

Arca sub exemplo corpus venerabile Christi ostendit.

Insuper Ideam præsetulit intemeratæ Dei Genitricis Virginis, quæ *fœderis arca* nuncupatur. Præterea glorioso DEO placuit per eam ad oculum ostendere in tabulis quidem legis supremam auctoritatem & potentiam, in receptaculo autem mannæ beatitatis mercedem præpara-

tam omnibus, qui legem custodierint, in virgâ denique supplicium earundem legum transgressoribus infligendum. Verùm liceat mihi ad meum propositum subjungere, quod in arcâ vas mannâ repletum cum tabulis legum fuerit positum, ut ad Hæbreos perscripsit Paulus c. 9. v. 4. *in qua urnâ aureâ habens manna & tabulæ testamenti.* Si igitur per manna denotatur panis, quo spatio 40. annorum Israel in deserto vitam toleravit, ut Psal. 77. v. 24. legitur. *Pluit illis manna ad manducandum*, nempe *panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo*; in tabulis autem legis designatur doctrina, qua fideles suos gubernat, instruit, & sanctificat Deus, optimè concluditur, Religiosis, ubi mensa sternitur, & panis sumitur, assiduo indefessoque studio percipienda esse cœlestia dogmata, adhibenda esse sacra biblia, aliosque spirituales libros, ut nonsolùm corpus nutriatur mannâ, sed etiam cœlesti disciplinâ erudiatur anima, quæ sententia fuit B. Humberti c. 59. *nunquam cibus carnalis sit absque spirituali, hinc est, quod & tabulæ testamenti erant in arcâ cum mannâ.*

313. Quod Sacra pagina Testamenti veteris insinuavit, novum non absq; suavi auctuario confirmat; quamvis mysteria numero plurima, majestate adoranda, raritate incomparabilia, utilitate maxima totam Christi vitam illustrarint, nunquam tamen invenimus Angelos tam disertam, articulatam harmoniam instituisse, sicut in nocte clarissimâ illius nativitate illustri, quando *facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium DEUM &c*, Luc. 2. v. 13. Res mira, Divinum verbum in utero virginali concipitur Nazarethi, in Jordane aquâ baptismatis à Præcursore abluitur; in deserto extenuatur jejunio, & viribus deficitur, & Angeli famulantur: in nuptiis Canæ divinam virtutem propalat, in horto Gethsemani à Gabriele confortatur, post resurrectionem ad sepulchrum excubias egerunt cœlestes genii, qui pariter in cœlos ascendenti astiterunt, at melos dulcissimum symphoniâ ad gloriam Patris decantandam, pacem hominibus annuntiandam reservari debuerunt uni Nativitati. Quid causæ existimatis subesse? AA. Ego opinor, cùm Filius Dei voluerit in lucem edi in Bethlehem, quod interpretatur domum panis, ibi duntaxat Angelos cantare, ibi Conditoris universi gloriam depredicare, pacisque Thesauros evulgare, ut eodem loco, quo Religiosi conveniunt ad gustandum panem, cibum capessendum, & oportuna corporis alimenta sumenda, non excludantur voces Angelicæ, quæ modò cantu expresso, modò lectione plenâ excitent convictores, tum ad gloriam Deo attribuendam, tum ad mutuam charitatem, pacemque conservandam.

Egregiè

Egregiè argumentum hoc promovet versiculus ille ex Psal. 21. ad benedictionem mensæ transumptus: *edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum &c.* Quod si hoc loco, ut S. Bruno Episcopus Signiensis interpretatur, Sermo est de Religiosis illis, qui, abdicato sponte sæculi fastu, opibusque mundanis abjectis, paupertatem voluntariam complectuntur, & Jesu Christo in cruce suffixo adhærent: *Illi pauperes non Mundi honores, divitias, & dignitates, sed Dominum requirunt, quibus ipsa paupertas pro Domino placet; edent cibum &c. & saturabuntur.* Ipsi profectò simul *edent pauperes*, atque per os Lectoris ad mensam, *laudant Dominum.* Dum fauces delibant cibos, & aures recreantur lectione, quæ gloriam Dei, profectum animarum respicit, quòd disertè à Sancto Augustino exigitur, *ut nonsolum fauces sumant cibum sed & aures esuriant Dei verbum.* 314.

Quam legendi ad mensam consuetudinem Religiosi omnes, S. Augustino tum anteriores, tum posteriores, solerter amplectebantur. Theatr. Tit. lectio. Illius meminit S. Basilius, antiquissimus Monachorum Pater in Regulâ 108. breviar De illâ expresse tractant regulæ Serapirnis, Macarii & Paphnutii. Eundem Religiosorum morem probarunt Tertullianus, S. Cyprianus, S. Ephrem, Syrus, Joannes, Cassianus, & S. Bernardus. D. Benedictus Monachis suis c. 38. Regulæ præcepit, *mensis fratrum edentium lectio deesse non debet.* S. Isidorus Hispalensis Canonicus noster, religiosâ refectione disserens c. 9. Regulæ dicit, *unus de scripturis aliquid legat, cæteri vescentes tacebunt, Lectorem attentissimè audientes.* D. Albertus Patriarcha Jerosolymitanus & ipse Canonici ordinis insigne Decus, in Regulâ Carmelitis traditâ c. 4. hæc inserit. *In communi refectorio, ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter sumatis, aliquam lectionem sacræ Scripturæ audiendo.* Quid addam de Sacris Conciliis, quæ lectionem mensæ non minùs frequenter quàm sanctè ac ferventer Religiosis commendarunt? Eam canonibus suis sanxerunt Concilium Nannetense c. 11. Rhemense c. 17. Turohense c. 23. Toletanum 3. c. 7. Africanum c. 6. & Moguntinum. His adstipulatur Gregorius Magnus l. 2, Reg. Ep. 37. de Religiosorum diætâ scribens, quod sequitur: *Nec in eis sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiantur:* licet verò lectionem illam plura undique argumenta suadeant, imò inculcent, in præsenti tamen omnium loco sufficiat authoritas constitutionum nostrarum p. 1. c. 23. quæ ita præcipiunt: *In mensâ sive primâ, sive secundâ, Sacra lectio semper habeatur, ut nonsolùm fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.* 315.

316. Et verò non est cur magnopere demiremur, pauperes mensas servorum Dei sollicitas esse prò alimento, & profectu animæ, cùm videamus homines sæculo addictos, & curis terrenis aurium tenus immersos, ut majorem eruditionem politicam adipiscerentur, & studendo cænasse, & cænando studuisse. Videte obsecro Octavianum Augustum, in apice Romanæ potentiæ ac majestatis florentem, cui magnificè, splendidèque ornatum convivium desipiebat, nisi acceptis sermonibus ac eruditis de omni genere quæstionum curiosarum confabulationibus condiretur: Carolum nomine rebusque præclare gestis verè magnum considerate, assuetum inter lautitias imperiales, pascere intellectum lectione historiarum, stratagematum & fortissimorum Ducum. Sisto geminos *Plinios* Patruum, & Nepotem, quibus volupe erat, hospitem adhibere *mensæ* doctissimam Minervam, & continuâ eruditorum voluminum *lectione* & evolutione potius saginare mentem, quàm dapibus ventrem infarcire. Adrianus quoque ad mensam recitari jussit vel argutas Comœdias, vel scibilia poëmata, quò hilarior juxta ac doctior surgeret.

317. Sed ubi relinguo viros sanctimoniâ vitæ clarissimos, qui mensas sacris, & moralibus alloquiis, quàm lautis ferculis instruere maluerunt? Lilia Franciæ Hugonem offerunt, qui è Monacho Cluniacensi evectus in Episcopum Grationopolitanum, *Sacros libros*, ut historiographi plures referunt apud Surium. 1. April. *sibi ad mensam legi faciebat, ut duplicatis delicus se, suosque saginaret.* Adriaticus sinus exhibet S. Laurentium Justinianum, qui non minus laurum in nomine, quàm laureolam sanctitatis in animâ gessit, & constanter voluit, ut in triclinio *more monastico legeretur.* c. 5. vitæ. Florentia urbs florum sistit Antoninum Magnum Archipræsulem suum, doctrinâ pariter & sanctitate fragrantissimum, qui tam accuratè Lectioni mensæ aures animumque applicuit, ut levissimos quosque errores â Lectore admissos corrigeret. Mainara in *vitâ.* Nicolaus Myrencis perpetim cibis corporis adjunxit alimenta *spiritûs*, deprompta vel ex lectione sacrorum codicum, vel ex colloquio Sacerdotum, qui latus continuò vallabant, Sur. 6 Decemb. *Carolus* Borromæus Cardinalis & ArchiEpiscopus in communi refectione sui Palatii pani mensæ associavit panem divini verbi, attentissimus ad sacram lectionem, vel devotissimam dissertationem à Clero suo inter prandendum fieri solitam. Glussian. in vitâ. Magnus Pater Augustinus, ut sileam alios, amavit quidem parcam & frugalem mensam, nequaquam tamen amusam, mutam & indoctam, *magis* enim, teste Possidio in vitâ c. 22. *lectionem vel disputationem, quàm epulationem, potationemque diligebat;*


bat: defigebat igitur mentem in ea, quæ super mensâ lectitabantur, sed disputando, ceu foret in scholâ, ad spiritualem profectum, & instructionem commensalium varias excitabat dubitationes, quas ultrò citroq; diu agitatas ipse tandem acie ingenii distinctas enodabat. Eodem ferè modo se gessit Guilielmus Episcopus Parisiensis, ut B. Humbertus memoriæ prodidit, c. 59. *qui in mensâ suâ verbis ædificatoriis solebat affluere*? S. etiam Anselmus more suo ex sacrâ Lectione perceptâ in mensâ, *materiâ loquendi sumptâ convescentes ædificabat.*

Sed quid exempla servorum Dei attexo? en ipsum supremum Pastorem, qui nulli unquam convivio interfuisse legitur, quin splendorem Sanctorum dogmatum, & dulcem fructum virtutum diffunderet. Sedit Dominus ad nuptias Canæ, atque ad placendum & obsequendum charissimæ Matri, mutatâ aquâ in pretiosum vinum, ostendit palam Divinitatis suæ potentiam, & magnitudinem; sedit ad mensam Simonis leprosi, & laudibus ornavit peccatricis conversæ lacrymas, fidem ac fervorem charitatis. Sedit ad mensam Matthæi, è publicano in discipulum assumpti, & sopivit murmura Pharisæorum, omnibus denuntians, à Deo salutem quæri Peccatorum, non interitum. Sedit ad mensam Principis cujusdam, & Magister profundæ sui demissionis docuit convivas, seligere locum mensæ ultimum, ut inde non vulgati honore ac tripudio, ad primum promoverentur. Sedit ad mensam Zachæi, & meritis generosi hujus eleemosinarii copiosam in cœlo remunerationem promisit. Sedit Bethaniæ ad cœnam Lazari, & defendit Mariam adversus satyricas linguas, taxantes unguentum, quasi prodigè super Christum effusum. Sedit cum discipulis in ultimâ cœnâ, & panem æternæ vitæ impertivit, longo Sermone mæstos animavit, & Ecclesiæ filios omnes mirè illustravit. Quid plura? *recumbendibus undecim discipulis* Marc. 16 spectabilem se præbuit, & objurgatâ cordium duritie ad Evangelium per universum Orbem disseminandum expedivit, virtute operandi miracula instructos. 318.

Quod hactenus disseruimus de lectione ad mensam, possent sufficere ad magni æstimandam illam, sedulòque amandam, & observandam; non desunt tamen complura alia, quæ nobis eandem quàm maximè commendent. Illius certi beneficio non exterior duntaxat, sed etiam interior homo pascitur & instauratur, & anima quidem Sacræ Lectioni intenta quadantenus à voluptate ciborum avocatur, & habilior evadit ad cultum virtutum & obsequium Numinis: aures pariter vocem cœlestem sollicitâ quadam anxietate hauriunt, & linguæ immunes manent à verbis obscænis, locis, & similibus facetiis, murmu- 319.

rationibus, aculeatis detractionibus, aliisque vitiis, quæ mensas sæcularium infestare ac infamare assolent. Nec enim mensæ Lectio velut Davidica clavis Apocal. 3. v. 7. commemorata, tantummodo *claudit* labia, ne fundant iniquitatis venena, sed *aperit* etiam in cordibus nostris venam, qua ubertim affluat suavissima consolatio, & quies spiritualis.

320. Testem locupletem ejusce rei appello S. Hugonem, de quo superiùs mentio facta: is animum studiosissimè ad lectionem mensæ advertens, cum fortè insueta quædam divinæ clementiæ opera, vel justitiæ rigor proponentur, jussit Lectorem iterum, tertiùmque repetere, quo anima tota liquefacta, ac intima viscera commota in lacrymas adeo copiosas solvebantur, *ut voluptatem ventris, & gutturis & cibi funditus tolleret, & in socius temperaret.* Guido in ejus vitâ! Ut tantæ dulcedinis capaces reddamur, necesse est insignem excitare orexin verbi divini, ait Hugo noster. in cap 4. Regum, tum etenim *aderit divina gratia, quæ nos intus perfundat,* & dulcedine atque sapore spirituali reficiat.



Ex

CAPITE III.

Cùm acceditis ad mensam, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & contentione audite.

Silentium in Monasteriis maximi esse pendendum.

DISCURSUS XXXIII.

321. SUperstitiosa Gentilitas ad felicem rebus negotiisque suis eventum per favorem falsorum Numinum conciliandum singulis propè causis singulos Deos præfecerat: Mercimoniis, contractibus & nundinis

nundinis assignavit Mercurium; incremento & custodiæ divitiarum applicuit Jovem & Plutonem: Venerem & Hymenæum invocavit pro nuptiis; Cererem & Bachum constituit mensis & vindemiæ patronos: sortem præliorum commisit armatæ potentiæ Martis, & B.llonæ: Præsides sapientiæ & omne genus literarum agnovit Appollinem ac Minervam: atque cùm optimè nosset, qu:nti referret virtus taciturnitatis, custodem linguæ voluit esse Angeron m, & Harpocratem somniavit esse speciale Numen silentii, nec dubitabat eloquentiam doceri à facundis hominibus, silentii verò scholam ab ipsis Diis aperiri, & frequentari, unde Plutarchus de garrulitate: *loquendi Magistros habemus homines, tacendi vero Deos.* Silentium altissimum, quod in contestationem demisse venerationis exigebant Ethnici, quando victimas mactarunt Idolis, ideoque per ministrum publicum denuntiabatur: *favete linguis,* quo dicto *imperatur silentium,* ait Seneca de vitâ beatâ c. 26. *ut rite peragi possit sacrum: nullâ voce malâ obstrepente*, urget S. Augnstinus in diætis suorum Religiosorum, procul amandando omnem strepitum, clamorem, & tumultum: *cum acceditis ad mensam, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentione audite*, ut ope silentii non modo fauces capiant cibum sed etiam aures aquâ lectionis sacræ potentur. Cujus vestigiis insistunt constitutiones nostræ p. 1. c. 21. atque ad rigorem sancti silentii obligant omnes in choro, templo, sacrificiis, refectorio, item dormitorio, claustro sedulo custodiendum, quòd virtus sit cumprimis excellens, & necessaria Religiosis, ut pluribus palam facere jam aggrediar.

Monachorum est, dixit Gilbertus Abbas serm. 7. in Cant *non colloquium sed silentium.* Et S. Jacobus Apostolus de moderandâ linguâ 322. *c. 1. v. 26.* pertractans, quod multi de silentio Religioso dictum volunt. *Siquis, ait, putat se Religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Eâ de causâ Religiones omnes inter potissimas leges, & virides observantias providè caverunt de silentio, ut videre est nonsolum in Regulis vetustis S. S. Pachomii & Basilii, sed etiam in succedaneis D. D. Brunonis, Bernardi, Benedicti, Dominici, Francisci &c. Et sanè gravissimis rationum momentis ad id permoti fuêre, siquidem ex mente B. Antiochi homil. 103. *Silentium, tanto cùm splendeat decore, mater jure censetur virtutum Monachorum.* Arbitro S. Bernardo serm 2.de mut. aquæ: *silentium custos Religionis, in quo est fortitudo nostra.* Joannes Gerson. l. 4. q. 1. aperté suffragatur istis verbis: *ubi censura silentii servatur arctiùs, ibi Religio viget laudabiliùs*

ac

ac praestantius. Calculum addunt Chamaldulenses ex unâ: *nihil Dei famulis commendabilius silentio* lib. 1. Const. c. 6. & Canonici Regulares S. Salvatoris ex alterâ parte: *Silentium Religionis decus est, & praecipua quietis mentis custodia*, c. 13. Constit. n. 1. Verbo, silentium virtus est adeò mirabilis, ut non laicos tantùm, caeteroquin moribus dissolutos, in sui amorem rapiat, sed etiam Domino Deo maximopere placeat.

323. Ingeniosè, ut assolet, S. Joann. Chrysost. linguam humanam comparat nobili & generoso equo; *Regius*, inquit homil. 52. in Matthaei, *quidam equus est lingua nostra*: si fraeno silentii gubernatur, & compescitur, placebit Deo insidere, ac in eâ commorari, sin effrenis, temerariâ volubilitate trans metam abripitur, sedes evadet Eumenidum, atque *in praeceps* agetur. *Si ergo ei fraenum immiseris*, pergit os aureum: *ascendit in eum Rex, & quiescet in eo. Si autem nullo fraeno domueris, diabolo eum vehiculum fecisti.* Optimo huic Chrysostomi argumento decet addere reflexionem quandam praeclarissimam S. Petri Damiani.

324. Cùm eveheretur in altum magnificentissima illa Salomonici templi machina, observatu inprimis dignum censebatur, quod fragor malleorum, strepitus securium, serrarum stridor nullibi perciperetur in tam immensâ structurâ. *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm aedificaretur.* 3. Reg. 6. 7. Marmorum moles jungebantur immanes ad erigendos adeò vastos parietes, sed absque strepitu ictuum, & violento impulsu cohaerebant: concinnabantur trabes longissimae in fulcra tecti, cedrique ac arietes tam aptè uniebantur, ut non haberet manus artificis quod laevigaret, demeret aut corrigeret. Surgebat ob oculos mons architecturae Sione sublimior, sed nullus strepitus feriebat, aut fatigabat circumstantium aures. Grande miraculum! Verùm non minus occurrit in sacris monasteriis, ubi quilibet bonus Religiosus ex multis virtutibus, ceu totidem pretiosissimis lapidibus, templum quoddam extruit ad honorem Dei immortalis. Ibi assidua meditatio mortis non cessat excavare foveas; & illico fundamenta profunda iacit humilitas, muri assurgunt, cum profectus spiritualis auget, fides, castitas, devotio, patientia, afflictio corporis, paupertas, modestia instar nobilium petrarum coagmentantur in eo aedificio, tectum imponit contemplatio, & fervor cordis undiq; illuminat. Porro silentium arridet architecto, & quo minus confabulationum auditur, eò feliciùs structura promovetur, & obmutescente profano sermone fabrica fit venerandum Numinis templum: quod eleganter insinuat Petrus Damiani lib. 7 Ep. 6. *Dum strepitus cessat humani eloquii, constituitur in te per silentium templum Spiritus Sancti.* Si

Si contingat, vos dormitorium subire Religiosorum probe moratorum, quamvis suas singuli cellas incolant, nulla tamen vox percipitur, nullus strepitus, sacrâ quadam veneratione correpti jurabitis, sub exuviis Religiosorum adesse Angelos Dei. Porrò cui rei putatis navare operam AA? Unus legit, alter orat, alius contemplatur alius scribit, alius speculationibus subtilissimis vacat, alius è Sacris Scripturis instar apis è floribus mel delibat, omnes simul ope silentii ad Deum colendum sua spiritualia templa elevant, 325.

Nam templum Domini per sacra silentia crescit:

Canit noster Beatus Prosper, & Thomas Kempensis adjungit, silentio conservari pretiosam pacem, viridem Regularum observantiam, quietem Religiosam, & devotionis fervorem: silentium esse vallum, contentiones, rixas, vanitates & Mundi quisquilias à sacro domicilio proscribens, quippe *in nullo statu*, inquit part. 1. serm. 4. *& ordine stabit pax & disciplina, si non adsit censura silentii, quietis anima, quæ est devotionis nutrimentum, contentionis obturatio, vanitatis fuga.*

Reconditam nec levi brachio transeundam continent doctrinam verba illa in sacris Canticis ad labia cœlestis Sponsæ encomiis celebranda: *sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Cant 4. v. 3. labia tua rubore amænissimo purpurascunt, non rosam; non corallum, sed fasciam coccineam referunt, quoniam silentii vinculo muniuntur, & ornantur. Unde Richardus noster Victorinus c. 19. in Cant. *Labia Sponsæ vitta comparantur, quia sicut vitta constringit crines, ne dissolutè defluant, ita devota anima labia sua ligat & cohibet, ne mala vel inutilia loquatur.* Verùm si alligata sunt ista labia, & nodo transverso constricta, quo pacto additur verba fundere melle condita, & rarissimâ ac exquisitâ dulcedine conspersa? *& eloquium tuum dulce?* Profectò si labia ligamento coälescunt, voces formare nequeunt articulatas, quomodo ergo prædicatur ob facundiam non vulgarem? Aio laudari Sponsam, quod tanquam modestissima virgo summo amore complectatur virtutem taciturnitatis, simùlque in tempore & loco opportuno labris charitate purpureis suavissimè, sanctè, & prudentissimè loquatur: verba enim, quæ silentii limâ poliuntur priùs, quàm proferantur, non possunt non esse matura, & suâ gravitate ac utili jucunditate accepta: ad quod propositum Hugo noster Victorinus c. 16. Instit. Mon. acutè observat, Salomonem Ecclesf. 3. v. 7. præmisisse tempus silentii confabulationibus: 326.

tempus tacendi & tempus loquendi, quia prius in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in voce tenetur.

327. Manet igitur silentium clarissimus eloquentiæ Magister: nec ullæ unquam formabuntur verba vel flexanima magis, vel sanctitate ac energiâ pretiosiora, quàm quæ sub tacito recessu claustralis silentii concepta fuerunt. Vos ipsos testes AA. vos judices posco. Si quæratis ex Joanne, quonam potissimum titulo & nomenclaturâ gaudeat? profitebitur se esse claram, sonoram, & robustam vocem, cujus sonitu tota Palæstina consternanda esset: *Ego vox clamantis in deserto* Luc. 3. v. 4. Dicite vos porro, ex quo progenitus fuit Joannes, vox illa prodigiosa? certè non ex alio quàm Zachariâ, quo tempore mutus, omnique linguæ usu privatus extiterat. Ex quo facilè intelligimus, voces sanctas & verba Religiosa emphasi referta generari ex silentio claustrali, veluti Patre quodam miraculoso. Unde Galfriedus in allegoriis super Lucam excellenter: *Non vacat à mysterio, quod mutus Pater Joannem genuit, qui vox clamantis fuit, semper enim melius vox in silentio generatur, & spiritualis otii quiete sapientia foris proferenda percipitur.* Nec dissendit admodum Basilius M. in Regulis fusiûs disputatis c. 13. asserens: *silentium esse, gymnasium bene loquendi.*

328. Non minùs exactè Divina conspirant oracula Isa 41. v. 1. *Taceant ad me Insulæ.* Et Davidis Psalm 67. v. 27. *In Ecclesiis benedicite Domino.* Linguam contineant, & altùm conticescant Monasteria claustra, & Canoniæ, quæ insularum instar à continente, hoc est, ædibus Laicorum, magno spatio morumque discrepantiâ secernuntur ac distant. Igitur taceant ad me Insulæ. Verùm si silentium habendum est, qua ratione postulat Propheta Regius, jubetque in Ecclesiis vocem attolere ad Deum laudandum, ac benedicendum? *In Ecclesiis benedicite Domino?* Videte AA. quàm concinnè isthæc cohæreant. Religiosi in claustris & cubiculis, suis positi quietissimum servant silentium, orationi meditationique invigilant, &, ad verba Sapientiæ suspensi, robur ex sacris litteris hauriunt: quod verò sub tacitis umbris pacificæ oleæ didicerunt, elata in templo voce propalant, tum Deo pensum Psalmorum laudum & hymnorum persolvendo in choro, tum populo é cathedris necessaria dogmata promulgando: quò fit, ut taciturni in claustris rapiant plebem in admirationem gravitatis, modestiæ, & sanctitatis suæ, in templo verò pietate ac Zelo magnâque eruditione ædificent, atque ad divinum servitium alacriter promoveant.

329. Quando tres Magi, regnis Orientalibus egressi, Jerosolymis appulerunt,

runt, magno spiritûs fervore sacrosanctum infantem, quem unicè anhelarunt, indagare ubique institêre. *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* At ubi venerendam subiêre mansionem, ut jacentem DEUM Hominem in præsepio invenerunt, quamvis sapientiâ plurimùm excelluerint, non tamen proditur, ullum ibi verbum prolocutos fuisse. *Intrantes domum invenerunt puerum:* pedibus Divini Pusionis fuisse supplices affusos: *procidentes adoraverunt eum:* Regiâ magnificentiâ manus aperuisse, & submissâ veneratione triplicis generis dona consecrasse, sacer textus memorat: *& obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham;* sed silentium rupisse, linguam in voces præconiorum solvisse, non legimus, quasi examussim obsequi voluissent consilio Regii Vatis Psal. 64. v. 1. *Te decet hymnus Deus in Sion:* hoc est, ut habetur è textu Hebraïco: *Tibi silentium Deus in Sion.* Bene habet, eadem prorsus ratione se gerant Religiosi, quando prodeambulant, vel negotiorum causâ civitatem obeunt, congruâ modestiâ, decore, ac ædificatione externâ colloquantur, inquirant, & procurent, quantum exigit necessitas, aut commodum monasterii: at reduces ad domum Dei silentio linguam devoveant, & taciti cum reverentiâ incedant, Majestati Divinæ aurum sapientiæ, myrrham mortificationis, thus orationum, sanctorùmque affectuum offerant, & officium suum impleant *sine tumultu & contentione*, semper memores effati prophetici: *Tibi silentium laus in Sion.*

Arsenius, è primoribus Theodosii Imperatoris Ministris, à summis, & imis præcipuo honore habitus, cùm aulæ jam nuntium remisisset, Divinam vocem secuturus, ac eremum incoleret, aliquando Deo enixiùs supplicabat, dignaretur clementissimé certiorem monstrare tramitem, perfectionem vitæ ac beatitudinem æviternam consequendi, cum responsum accepit hujus tenoris: *fuge, tace, quiesce, hæc sunt principia salutis.* S. Ephrem tom. 2. in Apophteg. Arseni *fuge*, cunctas delinquendi occasiones, hac quippe ratione etiam David incolumis omnes insidias & persecutiones hostium evasit. *Tace* Arseni, hoc medio grues saluti suæ consulunt, dum rostro lapillos concludunt, & silentio summo fastigium Tauri montis prætervolantes aquilarum ungues effugiunt. *Quiesce* Arseni, sed in sinu Divinæ Providentiæ, quæ sola placidissimam quietem conciliat. Haud secus, O Religiose, vitam tuam transigas velim! si pedes affectuum, vitiorum laqueos, & perversorum societatem effugerint, quanto solatio cum magno illo Prophetâ dicere poteris: *Ecce elongavi fugiens.* Psal. 54. v. 10. Si cum eodem per silentium posueris *custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labiis tuis, ut non declinet* 330.

cor tuum in verba malitiæ Psal. 140. v. 3. In gremio Dei assequeris quietem omnibus numeris absolutam, & dicere licebit ex Psal. 4. v. 9. *In pace in id ipsum dormiam & requiescam.*



Ex

CAPITE III.

Cùm acceditis ad mensam &c. ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant DEI verbum,

Pretiosam Escam animæ esse Sacram Scripturam.

DISCURSUS XXXIV.

331. NUllam reperias creatam substantiam ex vegetabilibus, atque etiam sensu, vitâ, motùque præditis, quæ non continuo ad sui conservationem indigeat alimento. Herbæ, flores, virgulta & plantæ assugunt crystallinum humorem è nubibus destillatum. Leones ac tigrides, vultures & aquilæ, vitam tolerant campestribus, montanisque prædis, quibus solerter *inhiant*. Agmina volucrum majorem partem in alimentum capiunt semina ac fructus terræ. Rore cœlesti pascuntur cicadæ; pici formicis vescuntur. Muscæ in pabulum cedunt hirundinibus. Sunt, qui existiment, aëre nutriri chamæleontem: alii etiam ignem animalibus accensere non dubitarunt, quod perpetuo conservandus sit alimento, defectu cujus illico flaccescat & extinguatur. Quid nos dicamus de homine? compertum est, duplici opus esse genere nutrimentorum, altero terrestri ad refocillandum corpus è terrâ compactum, altero spirituali scientiarum, & sacræ doctrinæ, quæ serviant recreandæ menti, quod argutè insinuavit

insinuavit Philo, Heb. l. 2, alleg. *Pulchrè convenit, ut factum è terrâ corpus cognatis alatur cibis, quos terra producit: at illa ætherea naturæ portio, scilicet anima, habeat alimenta Divina æthereàque, nam scientiis nutritur non cibo aut potu, quibus corpus indiget.* Idem spectarunt Religionum Patriarchæ, cum posteris suis de duplici cibariorum sorte providerunt, *ne sola vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum:* nam interprete Hugone Victorino: *non solum debemus esse participes mensæ corporalis, sed spiritualis* Et verò, quod ostendere paratus sum, *Divina scriptura esca spiritualis est, quæ à Deo nobis mittitur ad reficiendum corda nostra, ne deficiamus in viâ, & ad roborandos nos contra tentationes diaboli*

Sacram Scripturam esse spiritualem cibum, abunde comprobat, 332.
quod edixit æterna veritas Matth 4. v 4 *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Summâ, qua decet, modestiâ subscribit S. Joannes Chrysostomus, simulque testatur, eâ tempestate Monachos non delectatos fuisse carnibus delicatè conditis, quibus carebant, sed suavitate sacrorum voluminum, *non brutorum animalium,* inquit os aureum hom. 69. in Matthæum, *decoctas sibi carnes, ut alantur assumunt, sed Dei verba melle & favo jucundiora.* Accedit Auctor sermonum ad fratres in Eremo serm. 38. de Sacrâ Scripturâ disserens: *hoc est scientiarum,* inquit,, *Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Monachorum refectio, Sacerdotum cellarium.* Verùm tam scita est & apposita melliflui Abbatis cogitatio, ut mereatur præ aliis attendi. Diem sanctis omnibus sacram exquisitè, prout vulgò cæteri solent, & peraccuratè cum alumnis suis celebraturus præcedentem noctem duxit insomnem, & toto pectore incubuit, quomodo Religiosos apto spirituali discursu recrearet. Audite quæso, quid ipsemet de se referat serm. 1. in festo omnium Sanctorum. *Ad præparanda fercula vestra tota hac nocte concaluit cor meum intra me, & in meditatione meâ exardescebat ignis, ille sine dubio, quem Dominus JEsus misit in terram, & voluit vehementer accendi: nam spiritualem cibum & coquinam & ignem necesse est habere spiritualem. Superest jam, ut distribuam, quæ paravi. Vos autem considerate potius dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem.* Ac si dicat Bernardus, quid vultis amplius vobis faciam? ut spirituales dapes arriderent palato, coqui vices implevi, animam meam in culinam converti, & odore cœlestis ignis fercula præparare studui, modo, quo potui, meliori; sapiant magis quod profluant ex Bonitate Divinâ, quàm quod per manus Bernardi dispensentur.

Addamus argumento huic robur ex ipsâ DivinâScripturâ Ezechie- 333.

 lis,

lis 3, v. 1. hortatur Deus: *Fili hominis, quodcunque inveneris, comede; comede volumen istud.* Accipe quem præsentem offero librum, manduca, reconde in ventriculo. Et nosti, qualisnam sit iste liber? non alius certè, quàm Scripturæ Sacræ, quâ proficies, & incredibili suavitate perfunderis. *Quodcunque inveneris in libro,* commentatur Hugo Cardinalis: *id est, Sacra Scriptura, comede & in nutrimento animæ tuæ, id est, virtutum assume.* Neque spem fefellit eventus: nam *cibavit me volumine illo, idest, Sacra Scriptura sensum mihi aperuit, & ejus dulcedine & cognitione me replevit.* En vobis nobilem Prophetiam! Suggeritur, quomodo audiendus, sit, ac addiscendus sensus Divini eloquii, & proponitur volumen sub schemate dulcis escæ: simul appellatur liber cœlestis doctrinæ, & cibus mellitæ dulcedinis. Tanquam liber subjiciendus est oculis, & auribus insinuandus. Palato tamen applicatur, ut intelligamus, quòd *Scriptura Divina sit spiritualis esca,* & quicunque sancto affectu in illam fertur ac pascitur, cum Psalte Regio gloriari possit Ps. 118. v. 103. *Quàm dulcia faucibus mèis eloquia tua: super mel ori meo!*

334. Visioni Ezechielis mirificè respondent oracula Apocalypseos. Enarrat S. Joannes, conspectum sibi fuisse Filium DEI, mamillis oppidò refertis, & fasciâ quadam Augustâ præligatis: *Vidi præcinctum ad mammillas zonâ aureâ* Apoc. 1. v. 13. Nemini videatur exoticum, quod Domino JEsu mamillæ atrribuantur, cum eas Aristoteles, Plinius & Lucianus in viris quibusdam perfectioris corpulentiæ observarint, & Isaias pro Symbolo infinitæ Misericordiæ, Israelitis exhibitæ, in Deo revereatur: *ad ubera portabimini:* & inter cætera Dei nomina recenseatur etiam *Saddai* quod mammeum significat. Id modo notetis, in mammillis JEsu sacros interpretes duo Scripturæ Divinæ instrumenta agnoscere, quæ pectori Dei innituntur, ceu fonti perenni inexhaustæ sapientiæ. Unde recipiunt & derivant in alimoniam fidelium lac jucundissimæ dulcedinis. Ita consignatum reliquit Philo Carpatius apud Sylv. Apoc. 1. n. 387. *Ut duo ubera duaque mammæ hinc inde pectori affixa cor ambiunt; ita & duo testamenta ex Spiritu Sancto spiritualem nobis potionem Divini lactis instar effundunt, nòsque super delectationes omnes humanas, sanctissimè lætificant atque tuentur.*

335. Verùm nonsolùm è sacris literis, velut geminis mammis lac funditur nutriens modo genitos infantes, sed pro adultis etiam instruitur mensa omni fructuum rarissimorum varietate onerata. Audite Sapientiam Divinam, quæ verbis Sacræ Sponsæ unum quemque fidelium affatur: *Omnia poma, nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Cantic. 7. v. 13. Omnes

Omnes fructus, cum annorum jam elapsorum, tum sæculi currentis, poma auro purpuráque investita, mellis dulcedine perfusa, fragrantiâ paradisi dilata, omnes fructus ex præcipuis jucundissimisque hortis collecti in mensâ Scripturæ Sacræ apponuntur, ut Petrus Cellensis l. 1. expol. Mos. Tab. adnotat. *Omnia poma, nova & vetera, dilecta dilecto in mensâ apponit, quia ab initio Mundi fidelium nomina, & opera, & dicta, & exempla singillatim retinens, inscripturâ totâ respergit*, ea propter *hujus mensæ delicias tam impossibile est explicari quàm universum abyssi pelagus absorbere.* In mensâ sacrorum Codicum miris deliciis mens fruitur humana, dum innocentem modò Adamum comitatur sub amænissimis Paradisi terrestris arboribus ambulantem, modò cum Enoch & Eliâ suaviter aliorsum rapitur; modò cum Patre Credentium Abrahamo Mundum curiosè peragrat, modò elevationi Josephi jubilans assistit, modò complures Josuæ triumphos læta contemplatur, modò victoriis & magnanimitati Davidis applaudit, modò perlustrat augustissimum Salomonis templum, modò Ezechiæ fusos hostes gratulatur, Judithæ acclamat, Machabæis victoribus palmas offert: jam tripudiat conspicata in Nazaret civitate florum conceptum in Virginis utero benedictum fructum, lilium convallium; jam eundem in Bethlehem natum adorat; cibum Angelorum suavissimum in loco panis comunicatum homini jam obstupescit in Jordanis flumine totius Mundi maculas elui, jam gaudet cum Apostolis super montem Thabor ambrosiâ luce radiatis, & nectare cœlesti delibutis, nunc demiratur ignominiam crucis per Innocentiam occisam glorificari; jam hæret defixa in petram Petri ad nutum super undas incedentem, nunc occurrit rapax lupus, cujusmodi Saulus erat, in mansuetum agnum commutatus: sed quis omnia Scripturæ spectacula & cupedias enumeret? *impossibile est* inquit Richardus noster Victorinus lib. de præpar. anim. c. 1. *hujus mensæ delicias explicare*: ejus namque lautitia omnem superat pulchritudinem, ejus dulcor omnem excedit suavitatem.

Profectò, si Manna, cœlestis ille panis, omnem, quam quis præcipere vellet, voluptatem continuisse, prodit Sapiens c. 16. v. 20. *panem de cælo præstitisti illis omnem delectationem in se habentem, & omnis saporis suavitatem*, dubitandum non est, Divinam paginam ad cujusque gustum accommodatum singulis exoptatum impertire saporem, afflictos consolando, refrigerando, quos immodicus torret æstus, debiles & viribus defectos corroborando, pusillanimes excitando: Verbo, ut rectè dixerat Drogo l. 1. de sac. Dom. Pass. *est unus idemque cibus, & apimel,* 336

&

& cervo fons aquæ & panis, qui cor hominis confirmat. Sanat ægrotum, roborat sanatum, faciem exhilarat, omne delectamentum & omnem saporem suavitatis habet.

Quando Salvator noster in ædes Marthæ ac Mariæ successit, illa
337. omni studio distenta, quomodo convivium appararet tanto hospite dignum, ideoque hac illâ indefessè discursante, Maria assidens Christi pedibus quieta ex ore Divino pendebat: *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Luc. 10. v. 36. Et quamvis Martha instaret querelis, & ejus auxilium flagitaret, Christus tamen compellatus Judex Patronum egit, Mariam excusavit, defendit: nam quanto lautior sumptuosiorque mensa ornabatur à Marthâ, tanto pretiosior & suavior reipsâ jam Magdalenæ à Domino per verbum Divinum exhibebatur: quæ *cùm suaviter audiret verbum dulcissimum,* ait S. P. Augustin. serm. 27. de Verb. Dom. *& corde intentissimo pasceretur,* noluit amantissimus Deus privare tam exquisitis cupediis: *mirâ enim suavitate tenebatur, quæ profectò major est mentis quàm ventris.* Experientia quippe docuit, intemperantiam immoderatas ventris delicias sæpenumero carò stetisse & atrocissimis morbis fuisse castigatas: at verò refectio animæ ex sacris literis hausta parturit liquidissimam nec ullo tempore turbandam voluptatem.

338. Matronam illam nobilem, cujus meminit duodecimum caput Apocalypseos, in extremum discrimen adduxisset immanis & infestissimus Draco, nisi saluti consuluisset fugiendo in desertum sylvestri horrore opacum, ubi reperit asylum simul & alimentum divinitus suffectum: *mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO, ut ibi pascant eam.* Quæ quidem narratio ad virum mihi exprimit consilium sanum à quavis religiosâ animâ prensatum, quæ cernens pericula, *quibus* dissolutum hoc sæculum inundat, & insidias, apertàmque *vim* infernalis Draconis, pedem refert, ac solitudinem monasterii *subit*, ubi Deus per specialem suæ gratiæ favorem recipit & tuetur. Hactenus bene: sed unde in eo recessu opportuna sumet alimenta? quinam curâ tangentur, & *pascent eam*? Avetis scire Directores vitæ spiritualis, Confessarii, Theologi, & Prædicatores vicem obibunt provisoris, fercula verò erunt volumina, & lectio Divinarum Scripturarum. Ita censuit Concanonicus noster S. Eucherius, sive Eusebius Gallicanus Dom. 3. Pent. *Eam pascent ibi sacro volumine scripturarum. Lege Isaiam, & ipse te pascet, lege & alios Prophetas, & ibi pascua invenies, multis deliciis comparanda.*

Quoniam

Quoniam verò iterata deliciarum mentio injecta est, optimè huic 339.
sensui firmando quadrat testimonium quoddam è Sacris Canticis. Intuebantur cœlestes genii animam quandam Religiosam ex mediis asperitatibus & observantiis rigidissimis lætitiâ ebriam eniti in altum ad perfruendum Deo, & novitate rei attoniti exclamabant: *quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Cantic. 8. v. 5. quæso quàm peregrina & contraria combinat ista sciscitatio? si vitam transegit in horrido deserto, quo pacto id temporis locique venari potuit & congregare adeo raras delicias? quæ longâ se maceravit inediâ, nunquid necesse est, pallido vultu & cute aridâ siccissimam famem testari, & exsuccum exsanguemque apparere? quæ latera ciliciis, ac setosis funibus constrinxit ac sauciavit, ægrè videatur regere exhausta membra: quæ diris flagellis & voluntariâ sui verberatione corpus omne lacerare non destitit, mirum, si pedibus insistere, & rectâ possit incedere. Extorris cœlesti patriâ in calamitoso hoc exilio vagâ, commiserationem potius deberet ciere, at illâ libero & generoso spiritu *adscendit*, ac insuper, ut quæ maximè, *diliciis affluens.* Unde obsecro inter tot miserias tanta cumulatur felicitas? S. Gregorius Papa conjicit sapienter, derivari ex mensâ ac solatio Sacræ Scripturæ: hanc evolvens anima debilitatem naturalem fulcit, membra emarciata refocillat, exhaustas replet venas, fractum vigorem instaurat, & miserabiles ærumnas permutat in torrentem purissimæ voluptatis: *sancta anima,* scribit D. Gregorius, *de deserto adscendit, quia in exilio hujus peregrinationis posita, ad cœlestia gaudia mente tendit; deliciis affluit, quia Sanctæ Scripturæ meditationibus intendens cœlesti pabulo assiduè mentem pascit.*

Illud inficiari nolim, ad dulcedines ejusmodi medullitus degustandas opus esse, ut antecedat vita deliciis & desideriis ardens & fruendi cupidissima: ad mensuram quippe famis sitisque crescere consuevit solatium & suavitas. Fuit dubio procul palmarium quoddam miraculum, quod petra bis virgâ Mosaicâ percussa, ex sicco gremio parturierit flumen integrum aquæ frigidissimæ. Res, prout gesta est, recitatur Num. 20. v. 11. *Percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Et Psal. 114. v. 41. *Dirupit petram & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina.* Sed si populo electo præcisè largitus est Dominus undam liberaliter scaturientem, quid ad Psalmum 80. dicemus, ubi canitur è petrâ fluxisse rivos mellitos. *De petrâ melle saturavit eos?* Ps. 80. v. 17. Acutè, ut assolet, respondet S. Joann. Chrysostomus Hebræos frigidâ fuisse recreatos, quia verò defessi erant, languidi & site propemodum

enecti aquâ tam suaviter demulsisse palatum, quasi melle sacharòque condita esset. Ex potu, ait Chrysost. hom. 2. ad pop. *Voluptatem aperire volens mel aquam appellavit, non tanquam mutatâ in mel naturâ, sed bibentium dispositione fluenta illa melle jucundiora faciente* Hinc est quod S. Augustinus in Religiosis suis tantam desideravit famem sitimque Sacræ scripturæ: *non solum fauces sumant cibum, sed & aures esuriant DEI Verbum* Hac enim viâ adipiscentur felicitatem illam famelicis ac sitibundis ore Divino appromissam, ut habetur Matth. 5. v. 6. *beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*



Ex

CAPITE IV.

Qui infirmi sunt ex pristinâ consuetudine, si aliter tractantur in Victu, non debet aliis molestum esse &c.

Naturam esse paucis contentam.

DISURSUS XXXV.

341. REm acu tetigit, quisquis titulum perfidi ac infidelis attribuit mari, quoniam sub adspectu tranquillissimæ malaciæ procellosas & horribiles abscondit tempestates, & subitò venti, qui constructi videbantur, repagulis ruptis, furiosè debacchantur; scilicet quo tempore Nauclero blanditur mare fallacique spe lactat, simul exagitat, evertit, submergit! Unde Stoicus: *noli huic tranquillitati fidere momento mare vertitur, eodem in loco, ubi luserunt, navigia sorbentur.* Quapropter omnem diligentiam adhibet prudens navarchus ne dum receptis anchoris; exporrectis velis, erectis antennis navigare incipit, &, sulcare instabiles fluctus, colligat omnem qui secundò adspirare & implere

plere carbasa videtur, ventum, sed medium, imò quartam duntaxat velorum partem explicat, dum enim paucis contentus est, securus portum attingit: ideò talis aliquis in Emblemma assumptum Epigraphen præsefert: *sufficit iste.*

Si Mundus, ut David testatur, mare est, atque nos, nostræque familiæ mare illum transmittere coguntur, oportet sanè nos ipsos, etiam afflante ubertim prosperitatis vento, moderari, constanter memores, quod excessus felicitatis multos absorbuerit, qui parcis utendo bonis hujus caducæ vitæ, siquidem *natura paucis contenta est,* incolumes evasissent. Discemus hoc ex Senecâ Oedip. Act. 4. 342.

Fata si liceat mihi
Figere arbitrio meo:
Temperem Zephyro levi
Vela, ne pressa gravi
Spiritu antennæ tremant &c.

Hinc ubi S. P. Augustinus vult convalescentes lautiùs haberi, quàm usus habet cum aliis firmâ valetudine præditis, isti non habent rationem quiritandi, sed *sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi*; nam, *quanto quisque minus appetit*, dicit Hugo Victorinus, *quanto arctius vivit, tanto beatior existit.* Sed id jam agamus & quàm tenui tributo naturæ paucis contentæ debitum expungatur, in præsens elucidemus.

Discursum hunc duo nobilissimi Viri à primâ fonte exornent, 343.
quod alioquin palatiis magnificentissimis usu venit, ut statuis heroum propylæa fulciantur. Ex unâ parte conspicor Jacobum Patriarcham, qui peregrinator vastus obiens provincias, quamvis non ignoraret suam inopiam & multiplicem necessitatem ac ærumnam, sua tamen sensa paucis hisce verbis abundè exposuit: *si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum & vestimentum ad induendum erit mihi Dominus in Deum.* Genes 28. v. 20. Ecce aliud non postulat, nisi panem, quo vitam suam toleret, ac lacernam, quâ contra injurias aëris se defendat: dum verò pro cibariis solum panem, & pro nuditate tantùm coöperiendi vestimentum flagitat, manifestè ostendit, naturam paucis esse contentam. Ex alterâ parte Apostolum Paulum Doctorem gentium cerno, qui, expromens syncerè, quæ animo volverat 1. Tim 6. v, 8.

scribit: *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Id quod pridem ante Paulum literis consignavit Ecclesiasticus c. 29. v. 28. *Initium vitæ hominis aqua, & panis, & vestimentum.* Adeo verè *natura est paucis contenta.*

544. Sed quid est, quod absolutissimis his duobus prototypis non associo Danielem cum aliis tribus adolescentibus, qui sanguine Regio procreati, in captivitatem abstracti, Persarumque Regis servi facti sunt? nobilis prosapia, forma liberalis, ingenium come ac ter felix causa fuerunt, quod familliari servitio Monarchæ illius destinarentur. Facilè animadverterunt, minus præsenti suo statui, & exilio congruere opiparam mensam, quam adornari viderunt, quippe *constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis.* Quare calidis multisque precibus præcipuum Ministrorum, cujus vigilantiæ crediti erant, fatigarunt, pro leguminibus & aquâ impetrandis: *dentur nobis legumina ad vescendum & aqua ad bibendum.* Dan. 1. v. 12. Persuasêre, ut periclitaretur decendium, quando Ephebi cæteri lautissimis cupediis, & copiosis dapibus aliti apparuerunt emaciati, squalidi, debiles ac infirmi: ex adverso Hebræorum *apparuerunt vultus meliores & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo Regio*: cum aggrestia legumina parcé manducarent, & insipidam aquam biberent, pingues tamen, vivaces floridi, genis purpurâ & lacte mistis, labiis corallo rosisque tinctis, pubillis oculorum stellis invidiam moturis visebantur, luculenti testes, vitæ humanæ navim felicius promoveri, si ventus modicus impellat: *sufficit iste.* Nam corpus hominis, *quantò arctius vivit, tantò beatius existit:* Et natura humana *paucis contenta est.* Loquatur Seneca Epist. 16. *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam dives: exiguū natura desiderat, opinio immensum.*

545. Posteaquam populus Israeliticus vinculis, Ægyptiacæ servitutis forti brachio Dei diruptis, in libertatem assertus fuit, & in desertum inductus, occepit ibi extremâ & detestandâ ingratitudine adversus Deum murmurare ac conqueri: quid hic locorum agemus, dixerunt omnes iracundiâ, rebellione, ac desperatione efferati ad Moysen & Aaron, quid agemus, ubi cum fame & dirissimâ necessitate confligendum est? Quantò fuisset præstabilius, vitam in Ægypto finire, ubi lebetes carnibus oppleti diu noctuque lateri hæserunt, nec ulla penuria erat panis? *Utinam mortui essemus in terrâ Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate!* Parcius ista; iræ modum ponite, frænate impatientiam, quiescite parumper. O sensuales viri, O turbulenta capita! dicebat Moyses: *Dabit Dominus vespere carnes,* & si

hoc non sufficit: *Ego vobis pluam panem de cælo, egrediatur populus & colligat, quæ sufficiunt, colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum. Gomor per singula capita.* Sed incuriosa hoc loco moveri potest quæstio, quid causæ subesse opinamur, quod Israëlitæ in Ægypto morati lauté pascantur, & famem pane, carnibùsque pellant abundanter. Jam verò in deserto locati jubeantur colligere manna secundum limitatam quandam mensuram: *Gomor per singula capita.* Si Divina Bonitas coturnices absque numero, & instar pluviæ misit: *& pluit sicut pulverem carnes*: Psalm. 77. v. 27. Unde cuilibet licebat sumere, quantum luberet ad plenissimam sacietatem, eccur cibus repræsentans panem ad determinatam restringitur mensuram: Arbitror Hebræos in Ægypto exules fuisse symbolum mundanorum hominum, qui genio indulgent, cuticulam curant, vitiis serviunt, & intemperantiæ, crapulis, lusibus sine modo inhiant, quod illi sine pudore profitebantur: *sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* At in deserto positi repræsentabant Religiosos, quibus in alimentum Deus speciali providentiâ panem Angelicum subministrabat. Igitur licet coturnices semel pro lautitiâ extraordinariâ concedere voluerit, statâ tamen lege omnino decrevit succurrere præcisé ipsorum necessitati, & optimè gnarus naturam humanam paucis acquiescere, mannæ certâ determinataque mensurâ sustentari, ut notavit Auctor catenæ aureæ super Exodum: *promittit panem de cælo præstandum, ad sufficientiam quidem, non autem ad superfluitatem, quæ Populo DEI inutilis & pernitiosa fuit semper.*

Ab Exodo ac deserto vertamus animum & sermonem ad S. Lucam. 346.
Jacebat ante Prothyrum Palatii divitis & superbi epulonis Lazarus, fame oppressus, ab incunabulis ad mendicandum expositus & humorum corruptione abscessibus turgidus, ac corruptus ulceribus. Interim in propatulâ diætâ dives lautissimo prandio accubuit. Vidissetis abacum aureâ suppellectile angustari, omnia renitere apparatu Regio: Mensam circumdabat numerosa famulorum turba, dapes inferebantur Apiciæ. Ut ventris gurgiti litetur, pisces è mari & lacubus evocati, detractæ è cœlo volucres, ereptæ feræ ex sylvis destinabantur. Fervente ita divitis familiâ & concursantibus vernis Lazarus foris contabescens anhelabat solùm ad fragmenta panis residua, & neglecta *cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ divitis* Luc. 16. v. 20. Ita in bonâ Philosophiâ edoctus, nec ignarus, naturæ paucis fieri satis, pauxillum desiderabat, panem minutim de mensâ lapsum suspirabat, ac si in eo ferculorum mari

dixisset: *sufficit iste.* Adstipulatur S. Petrus Chrysologus serm. 122. *Parum est, quod caro eget, quod natura exigit, quod sufficit vitæ.* Non igitur abs ratione solas cupiebat panis minutias; quod enim naturâ suâ exiguum erat, illi sufficere poterat, & diram famem propulsare, quia *natura paucis contenta est.*

347. Non injucundum auditu est, quod Cedrenus relatus in theatro vitæ V. abstinentiâ memorat. Theodosius junior in venandi ardore per nemora longiùs abripiebatur, quam ut Proceres comitari possent: quare ab omnibus desertus, sudore perfusus, viarum incertus, viribus exhaustus, invenit tandem tugurium pauperis Eremitæ. Mox desilit ex equo, & humile scamnum occupat, nonnullam quietem eâ *pessiturus.* Non latuit Eremicolam, quem hospitio acciperet, sed quod apponeret non suppetebat, nisi parum panis aceto emolliti, & aliquod micis salis conditi: haustum aquæ é vicino fonte attulit, & ita Imperatorem refocillavit, qui certè frugalitate illâ mirè delectatus juravit, nullum unquam in palatio imperiali epulum à se degustatum fuisse, cum suavitate hujus coenulæ comparandum. *Tibi affirmo Pater,* dit Theodosius, *nunquam me in palatio tantâ cum voluptate cibum sumpsisse.* Quid dicetis AA? famem fuisse pretiosum condimentum pauperis mensæ? Non abnuo, sed illud etiam contendo, naturæ gratissimam esse parcitatem, & modico recreari.

348. Jam opinor intelligitis, quam ob causam Salvator noster tam graviter, syncere ac modeste, reprehenderit immodicam illam Marthæ sollicitudinem apparandi magnificum supremo Monarchæ convivium: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium.* Lucæ 10. v. 41. Quid moliris Martha? quid in accumulandis ferculis tantopere desudas? probo affectum, sed dissimulare nequeo superfluam esse hanc curam, cum vel unicus cibus humanitati isti satisfaciet: *Uno nobis opus est,* inquit Theophilactus in Personâ Christi, *nempe ut comedamus qualitercunque non variis.* Idem ego dixerim Canonicis meis, tametsi liberaliùs habeantur, ad vires recuperendas, qui convalescunt, minimè tamen convenit id ægrè ferre sanos & robustos: *qui infirmi sunt ex pristinâ consuetudine, si aliter tractantur in victu; non debet aliis molestum esse.* Quibus integra est valetudo corporis & perfecta temperies, *unum ferculum, unum pulmentum* abundè sufficit in diætam ordinariam. *Quanto enim quisque,* ut monui sub exordium, *minus appetit, quanto arctius vivit, tanto beatior existit.*

349. Incarnata Sapientia, cùm methodum fundendi preces, cœlestemque Patrem

Patrem debitâ ſubmiſſione flagitandi traderet Lucæ 11. v. 2. hanc etiam formulam præſcribit: *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: Ita nimirum voluit ſolummodo poſtulari, quod levandæ neceſſitati naturæ par eſſet, hoc eſt, panem, ut cupiditas humana frenetur, nec opiparis menſis pretioſis veſtimentis, latifundiis, aliiſque terrenis opibus inhietur. *Quærere jubemur id, quod ſatis ſit ad naturam corporis conſervandam*, ſcribit B. Gregor. Niſs. orat 4. de orat. Dom. *panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non delicias, non floridas veſtes, non agri copiam, ſed panem.* Cùm enim naturæ ſatisfiat paucis, paucis quoque provideri debet, nec ſuperfluum poſcendum ex penu cœleſti, è manibus Patris æterni. *Exiguum eſt, quod naturæ debes, cibum debes caruncula tua, rem modicam, paratu facilem. &c.*

Gentilis quidam Paſtor depromens è penu ſuâ paucula cibaria in prandium, nempe fruſtillum panis, caſeique quadram, & quatuor poma, ſe circumſpexit, & neſcio, an paupertatem propriam miſeratus, an menſæ parcitatem laudaturus, ô boni ſuperi exclamavit. 350.

Parva quidem menſa: at parvo contentus abundat.

Haud aliter Religioſus parſimoniæ aſſuetus, & in ſobrietate ac Regulari obſervantiâ enutritus, ſi forſan non niſi duo fercula, eaque ſatis tenuia videat apponi, *Benedictus Deus*, exclamet, qui rogatus pro pane, etiam opſonium ſubminiſtrat. Et licet caream Eliæ meritis, mihi tamen, ut Eliæ, *panem & carnes*, 2. Reg. 27. v. 6. impertitur. Quærunt mancipia hujus ſæculi natare deliciis, & abundare, mihi ſatis erit inſtrui neceſſariis, & parum fiet multum, ſi pacatum eſt deſiderium, ut locum invenerit maxima Hugonis, *quantò minus quiſque appetit, quantò arctius vivit, tantò beatior exiſtit.*



Ex

Ex

CAPITE IV.

Qui infirmi sunt, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse.

Convalescentes lautius esse tractandos.

DISCURSUS XXXVI.

551. EA inter se conspirant membra omnia humani corporis sympathiâ, ut si unum aliquod affligetur morbis, quantocyus reliqua non modò doleant ejus vicem, sed etiam pro possibili suppetias eant. Si provincia turbatur incursione hostili, sana ratio suadet, ut copiæ auxiliares mittantur locis debilioribus, & hostium furori magis expositis: Si Vinitor palmites, qui propter teneritudinem per se nequeunt surrigi, adjungat statuminibus, & arborator plantarum germina fulcit adminiculis quibusdam, ne collapsa putrescant, profectò charitas non minus persuadere debet subsidiũ proximis ferendum, ut quo magis eorum miseria exuberat, tanto studiosior impendatur misericordia. Quam Christianam Maximam S. P. Augustinus innuit, quando de Religiosis suis, quos præcedens aliqua infirmitas attrivit, & extenuavit, tractans exigit, ut delectionibus alimentis citra aliorum querelas vel murmurationes pascantur ac recreentur: *qui infirmi sunt ex pristinâ consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse*: ut videlicet ex speciali charitatis exhibitione, benigniorique tractatione vires fractas instaurent, & alacriùs cursum Religiosarum observantiarum assumarnt. *Si tractandi sunt debiles*, commentatur B. Humbertus, c. 65. *in refectionibus quoad cibum, & ut citius genua debilia roborentur, & roborati per recreationes congruas ad Religionem*, hoc est, consuetas macerationes & corporis afflictationes, *citius revertantur.* Quam doctrinam sacris potissimum literis commendari, & vel ideo maximè faciendam esse vobis faventibus in præsens demonstrabo.

Ex

Et verò quid aliud voluit Clementissimus DEUS indicare, dum per Regium Psalten evulgavit: *liquefacta est terra & omnes qui habitant in eâ, ego confirmavi columnas ejus*, Ps. 74. v. 3. ac si dicat. Quandoquidem ipsa terra robore suo destituta elanguit, tum inquilini ejus miseri mortales ob sinistram valetudinem præviam, aliosque varios casus adversos emarcuêre, ut præ debilitate visûs hebetetur, & pedes vacillent, ego pro eâ, quam assiduè gero sollicitudinem, de opimis dapibus providi, & columnas collabescentes denuo constabilivi, docens Principes ac Prælatos, uberius præstandum esse auxilium, ubi major apparet debilitas & languor, quò felicius subleventur, qui duriori egestate premuntur. Ita testatur de DEO eruditissimus Philo apud Velaz. in Ps. fol. 303. col. 2. *semper cura est ipsi, & beneficiis ejus potentiis, ut quidquid delinquit deterior essentia, transformetur in melius.* 352.

Eâ de causâ antiquus Joseph in sacrâ paginâ deprædicatur: *firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi*: Eccl. 49. v. 17. quoniam in angustiis famis, quæ non modo fratres, sed totum nobilissimum Ægypti regnum oppressit, alimoniam cunctis subministravit, miserosque refocillavit & conforravit. Eâdem laude condecorat Cornelius Tacitus Imperatorem Tiberium, quod, eo regnante, *plebs acri quidem annonâ fatigaretur*, ille nec sumptibus, nec laboribus parcens, *infæcunditati terrarum, aut asperitati maris obviam ivit, quantum impendio deligentiâque poterat.* Sidenius pariter optimum quendam Gallianum Præsulem l. 6. Ep. 12. alloquens mirè extollit: *post Gotticam depopulationem, inquit, post segetes incendio absumptas peculiari sumptu inopiæ communi per dissolutas Gallias, gratuita frumenta misisti*: ut liliis languentibus & jam pœnissimè emortuis opportunum ferretur levamen & subsidium. 353.

Priusquam Ægyptus tempore Josephi sterilitate terræ ac extremâ frumenti penuriâ affligeretur, placuit Divinæ Bonitati Gen. 41. præmonere in somno Regem, ac ærumnas integro septennio incubituras regno edocere. Sed dicite quæso AA. siquidem cultissimum illud regnum abundavit Magis & Ariolis: nec desiderari poterant Astrologi peritissimi; qui ex aspectu siderum & Planetarum situ mala imminentia poterant facili negotio conjicere, taceo sacrorum Antistites, aliosque Sapientes, cur omnibus istis præteritis DEUS voluit soli Regi calamitosum eventum revelare? Nempe ut palam fieret omnibus, ad Principes præsertim ac Prælatos pertinere, consulere necessitatibus subditorum, & periculis cavere. Audiamus Oleastrum: *Ostendit Dominus futuram famem Regi potiùs, quàm aliis, quoniam eorum est, providere suis,* 354.

 qua

quæ necessaria sunt, ut etiam doceat Principes, prævidere necessitates antequam sint, & providere & succurrere. Et miretur jam aliquis Augustinum, dum Religionis suæ teneret clavum, tam sollicitè & accuratè invigilare, ut ingratiis etiam dyscolorum refractariorumque hominum, & linguarum murmurantium, peculiari curâ consanescentibus serviatur, delicatior paretur esca, & major benevolentia exhibeatur, ut morborum impedimenta citiùs profligentur ac vires recuperentur? ibi namque magis elucet virtus, diligentia & charitas Prælati, ubi vehementior premit subditum infirmitas ac debilitas, quod ipse Deus per Os Aureum hom. 1. ad populum omnibus intimat: *Virtus mea in infirmitate perficitur*, id est, *tunc mea potentia demonstratur, quando vos in imbecillitate estis.*

355. Attentam meâ quidem sententiâ merentur considerationem encomia illa, quibus & Elisæus Magistrum suum Eliam quum curru igneo jam jam cælum versus eveheretur, & Elisæum cum morte luctantem Rex Joas, prosecuti sunt: *Pater mi, pater mi, currus Israël & Auriga ejus.* 4. Reg. 2. v. 12. & c. 13. & 14. quorsum discedis? quomodo nos derelinquis, ô amantissime Pater! ô currus & auriga Israëlitarum? Quod si ambo hi Prophetæ clarissimi fuerunt Carmelitarum familiæ Prælati, non sine gravi argumento uterque indigitabatur Pater, cui sanè incumbit laborare, vigilare, dilectissimorum Filiorum promovere commoda, miserias dispellere: Verùm ultra paternum nomen appellantur etiam currus, qui gestet, & auriga qui gubernet; currus, qui sustineat, auriga qui dirigat; *portas & regis; sustines & gubernas*; interpretatur Drogo Ostiensis, & enucleatiùs Hugo Cardinalis: bonus Prælatus esse debet *sustentator infirmorum, rector robustorum; sustentator per auxilium, rector per consilium; sustentator per compassionem, rector per eruditionem.* Unde nonsolùm arrogare sibi valeat illud Jobi c. 20. v. 15. *Oculus fui cæco & pes claudo*, sed necessariò sit cunctis etiam manus, de necessariis providendo, omnibus sit lingua, ignorantes erudiens, omnibus sit scapula onus familiæ sublevans, omnibus commiserationem exhibeat, confortando debiles, pascendo famelicos & languidos recreando: *ut citiùs genua debilia roborentur, & roborati ad religionem citiùs revertantur.*

356. Longinqua invaletudo non immerito nuncupari potest servitus à miseris Israëlitis in Ægypto exantlata, qua pedibus cippo inclusis; catenis later astringentibus, calore, fame, siti dirè prementibus, in extremum vitæ discrimen adducti fuerunt. Tandem lectum ferro duriorem deseruêre, tandem è dolorum strato liberi velut convalescentes, attenuati, imbecilles, & exsucci in deserto morabantur *esurientes*, ut David Ps. 106.

v. 5.

v. 5. plangit, *& sitientes, anima ipsorum in ipsis defecit.* At in eâ angustiâ confugerunt ad fontem omnis pietatis ac Clementiæ, Deum invocaverunt, qui protinus *satiavit animam inanem & animam esurientem satiavit bonis.* v. 9. abundantia bonitatis egestatem superavit ac desideria. Quid ita? Nimirum ubi assolet Mundus occurrere fami panibus manu studioque humano elaboratis, istis immenso felicitatis excessu mensa instruitur pane ab Angelis præparato. Stomachus nauseabundus ambiebat olera & fructus hortorum, & dapes recepit in cælo exquisitè confectas: & quasi satis non esset necessitatibus mederi, opiparas invenerunt delicias in coturnicibus, subinde in castra catervatim advolantibus: quia verò sitis etiam urebat rigidissima, petra per miraculum stupendum conversa est in scaturiginem aquæ vivæ ad homines pecudesque recreandas. Nec dum satis bonorum: quoniam ægritudo supra modum invaluerat, Verbum Divinum medicamine ac solatio morbis occursurum descendit: *Misit Verbum suum, & sanavit eos.* v. 20. Porro si Bonitas Dei aperit hos thesauros suæ providentiæ in eos, qui ex morbo evaserunt, quam æquum est, S. Augustinum urgere, ut convalescentes singulari favore gaudeant, & melioribus alimentis recreentur, ut *genua debilia roborentur, & ad Religiosas Observantias citius revertantur.*

357. Atque hæc est ipsa propensio, quam pectori Moysis implantare satagebat DEUS, cum animadverteret subterfugere pro viribus onus regendi populum tam copiosum: igitur ut animos sufficeret, ad eum benignè conversus: nonne plus satis, inquiebat, observasti hactenus, paternâ me curâ ac teneritudine adstitisse, & subvenisse, quare convenit te materna induere viscera & munia nutricis implere: *porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.* Num. 11. v. 12. Si deprehendas infirmos esse, instabiles, & languore oppressos, inhabilesque ad se regendos, charitatis fervorem ingemina, nec ponderi cede: quo molestior fatigat labor, eò gloriosius præmium te manebit: & quia ipsi infantium more providere satis sibi nequeunt, tuum auxilium & consilium implorant; tu nutrire illos ac lactare ne desinas. Qua quidem indefessâ diligentiâ & filiis Israël opem tuleris, & Conditori rerum omnium gratum præstiteris obsequium, & famam nominis nunquam intermorituri consecraveris æternitati.

358. Sed veteris legis argumenta plura supersedeo adducere, cùm in nova suppetant. Filiam Archisynagogi mors præcox demessuit, & potentia Servatoris nostri vitæ postliminio restituit miraculo multis circumstantiis illustri. Præ aliis notandum quod Christus vixdum defunctæ

manum apprehendens præceperit : *puella surge* : cùm illicò & apertis oculis lumen Solis hauserit, & aurâ vitali spiritum revocarit, & de funebri strato se levarit : *surrexit continuò.* Subinde voluit Dominus oblatis cibis refici : *jussit illi dari manducare* : Lucæ, 8. v. 55. Obsecro quid tantopere urget, ut eâ celeritate mensam parari, viresque imperet restaurari ? forsan adstantibus specimen irrefragibile vult exhibere, eos non deludi phantasmate inani, sed reapse filiam à mortuis esse resuscitatam ? aut fideles instruere cupit, quomodo erepti manibus spiritualis mortis absque omni tergiversatione accedere oporteat epulum Evcharisticum, ad vires ex integro reparandas ? Laudo hæc animi sensa, sed modo arbitror eam filiam vitæ redditam, nescio quam gerere *similitudinem* cum convalescentibus, ideoque Christum in mandatis *dedisse*, ut illico alimentis refocillaretur, pro lucido exemplari, *quo affectu* excipiendi sunt, qui morborum tragicam evaserunt tyrannidem. Monitum erat Gregorij Magni hom. 29. in Evang. arbusculas recens plantatas continuo esse rigandas, donec radices egerint, & humore, ex terrâ attracto, valeant ali & crescere : *& nos*, inquit, *cùm arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terrâ coaluisse videamus.* Non aliter tractandi sunt, qui sinistrâ valetudine superatâ, & unguibus mortis erepti vix ossibus hærent, & vires paulatim recuperare incipiunt : optimis & opportunis dapibus sunt confortandi, dum pristinum vigorem assequuntur : quâ in re *fortiores non debent contristari*, scribit Hugo Victorinus : *si infirmos vident misericordius tractari* : imo : *aliorum imbecillitatem portare per compassionem.*

359. Inter celeberrima miracula à Christo patrata non postremum est, quod D. Marcus cap. 8. sui Evangelij consignavit. Vidit Servator noster sequentes turbas integro triduo non alio refici cibo, quam *Verbo Divino*, abescis verò corporalibus omninò abstinuisse : quapropter ut miseris opem ferret, accepit septem panes & parvulos pisces, divinâque virtute in tantum multiplicavit, ut 4000. hominum abunde saturarentur, & residua panis fragmenta septem cophinos replerint. Quæ causæ impulerint Dominum ad rem adeò visu dictuque miram præstandam, ipse his verbis indicat Marci 8. v. 2. *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent : & si demisero eos jejunos, deficient in viâ* : quasi apertiùs diceret : Plebs miserabilis, quanto pietatis sensu in te rapitur cor meum ? Ast Vires triduano hoc jejunio usque adeo sunt accisæ & profligatæ, ut ægre viam relegere queant in patriam : nisi alimento succurrero, in itinere deficient & contabescent.

Mactè

Mactè proin mei Discipuli, quo tantæ subveniatur necessitati, consilium inite, opitulandum est miseris. Ita commota sunt Salvatoris viscera ad conspectum alienæ calamitatis: videbat turbas oppido lassas; attritas *jejunio* & penitus exhaustas, ut confortationi accingeretur, manus cùm Filij DEI, tum Apostolorum applicabantur, ubi major postulabat necessitas, ut disceremus inde, proximum quoque nostrum tanto impensius fovere ac adjuvare, quanto majoribus obruitur ærumnis ac necessitatibus. Quod suo exemplo dilucidè confirmavit Doctor gentium, cum vini usum Timotheo suo petamicè indulsit, quod varijs infirmitatibus corporis premeretur. Nec enim fomenta & emplastra membris integris sed morbidis applicantur; & Sancti Apostoli, licet vitam ducerent exactè communem, *distribuebatur tamen unicuique prout cuique opus erat:* ut mensura elargitionum esset necessitas accipientium.

Quod autem id loci ad universos extendi videtur, præcipuè ad Præ- 360.
latos refertur, quibus incumbit tùm ægrotis, tùm consanescentibus subministrare, quantum discreta prudentia, & Religiosa charitas suggerit. Avertant Superi, ne cadat in eos objurgatio Ezechielis c. 34. v. 4. *quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis*, quod eorum culpâ negligatur cura infirmorum, & membra confracta subditorum non obligentur, nec medicamine recreentur morbis oppressi. Verùm non deberet memoriâ excidere, quod mensuram subditis præstitam olim à DEO sint recepturi, & durities iniquè exercita rigidam inclamet Numinis vindictam, Justitiâ æternâ conquerente: *infirmus eram & non visitastis me*: Matth. 25. v. 43. Audiant proinde Prælati, & studiosâ voluntate sectentur consilium Melliflui Abbatis: *Discite vos matres esse, non Dominos, ut more matrum ad subditos pia gestetis viscera:* suavitatem maternam non austeritatem paternam induite, pietatis viscera non asperam feritatem ostendite; spargentes namque semina misericordiæ, fructus misericordiæ metetis.



Ex

CAPITE IV.

Melius est minus egere quàm plus habere.

Quod nimium, est noxium.

DISCURSUS XXXVII.

361. MYdas opulentissimus Rex Phrygiæ eâ laborabat auri fame, ut Diis enixè supplicaret, impertire vellent gratiam, in aurum vertendi, quidquid attigisset: justâ cæli Vindicis castigatione stultissimi voti compos evasit. Unde cum nutrimentum pararet sumere, cibus faucibus receptus in aurum mox induruit, quod dentibus commolere aggressis restitit ac irritavit, ipsisque palato pro sapore & alimento contusionem, & vulnera attulit: potus pariter in rigidissimum conversus metallum, nec deglutiendus, nec facili negotio rursum egerendus miserabiliter afflixit: de quo S. Ambrosius l. 6. in Lucam c. 9. *Et cibus in ore crepitabat, ferens non alimenta, sed vulnera, & in gutture potus hærebat nec penetrare facilis nec redire.* Ita nimirum quod stolidus Rex in summis numerabat beneficiis, mutatum est in supplicium, & assecutus, quod beatitatis credebat compendium, deprehendit esse calamitatis extremæ instrumentum: quapropter jure poterat lamentari: eheu! quanto melius mihi fuisset *minus egere, quàm plus habere*! Ego quidem arbitror, nos occasione hujus exempli ita posse ratiocinari: Si Mydas regiâ dignitate fulgens, fortunâ tamen suâ, quantumvis lætissima, minimè contentus, sed majoribus divitiis cupidissimè inhians, tam fœdè impegit, & maximis ærumnis involutus fuit, profectò Religiosi, quos dudum Divina servitus æquavit regibus, si sorti statuique suo non acquiescunt, sed imprudenter copiam & abundantiam rerum omnium venantur, exitium sibi adsriscunt; cùm solidissimè fundata sit maxima S. Augustini: *melius est enim minus egere, quàm plus habere.*

bere. Optimè in Religiosos quadrat dictum Euripidis apud Stobæum ser. 94. *Vita & opulentia hominibus quibusdam exigua ac mediocris convenit, nimia verò moles perniciosa est.* Sicut igitur felix est Religiosus in vitâ tenui ac moderatâ, quod in antegresso discursu observavi, ita nunc ostendere constitui noxiam ac periculosam esse nimiam rerum affluentiam.

Verissimum est Proverbium, saluberrimumque consilium Pythagoræ & aliorum: *ne quid nimis:* Senecâ enim attestante Epist. 39. felicitates humanæ *eo ipso, quod superfluunt, nocent, segetem nimia sternit ubertas, rami onere franguntur, ad maturitatem non pervenit nimia fæcunditas.* Neque Cornelium Tacitum fugit: quàm vacillent prosperitates Mundi & elabantur instar anguillæ, cum firmissimè videntur occupari: ita scribit l. 1. Annal. *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus sis, tanto te magis in lubrico.* Idem argumentum excellenter Juvenalis Satyr. 10. confirmat de arrogante, nescio quali, in altum sublato, ac inde in præceps acto canens: 362.

Qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus & impulsæ præceps immane ruinæ.

Memorabile est, quod prodit Plutarchus in Vitâ Romuli: Sabini sub signis Tatij Ducis impigri perniciem moliebantur vix natæ Romæ; qua porrò viâ rem aggrederentur, difficile erat ominari, potissimum obstabat Capitolium, viris armisque probè instructum. At quo ferrum aperto Marte penetrare non poterat, auro reserare aditum constituebant. Tarpeja igitur Præfecti arcis filia, pacta mercedem armillas aureas, quas magni ponderis Sabini lævo brachio gerebant, perfidè portas aperuit. At quid consecutam esse creditis? Tatius & commilitones cæteri armillas detractas unà cum scutis militaribus in sinum conjecerunt Tarpejæ, quæ auro *icta ac scutis obruta, multitudine ac pondere suâ ipsâ mercede interiit:* & verum esse commonstravit, quod *dum* nimias poscebat opes, acciderit pondus immane ruinæ, quodque, ut adnotavit Synesius orat. de regno. *Felicitas onus quoddam esse videatur plumbo gravius:* quoniam fulgore auri, præ plumbo aggravantis oppressa est, atque suffocata: ô quanto illi satius fuisset, *minus egere, quàm plus habere.* 363.

Si

364. Si felicitas obvênit Tarpejæ ferro plumbeóque amicta, Israelitis occurrit velocibus & expansis alis; de illâ loquor tempestate, qua intra squalores deserti *petierunt, & venit coturnix* Ps. 104. v. 40. quo desiderium & appetitus eorum plenius pacaretur, innumerabilis coturnicum descendit copia, tanto jucundior & acceptior, quanto minori stetit impendio aucupium. Rem dictu visuque miram! Ventus alioquin pluvias advehere doctus, carnes hic loci ubertim dispensat, quæ planitiem, castra, & tabernacula Hebræorum contegentes, in manus sese ingerebant, quicunque vellet prehendere. Nihil hic opus est canibus aviariis, non extensis retibus, non arcubus & sagittis, quippe ad modum pulveris vel arenæ maris coturnices per omnem, qua latè patuit, viam jacebant: *ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum.* Ps. 77. Quis unquam post homines natos faventiorem expertus *est fortunam* & lætiorem felicitatem? Quis non invideat mensam adeo pinguem, & deliciis circumfluam? Verum ah! quanto melius erat *minus egere, quàm plus habere*? Hæc inundans prosperitas extremam parturit calamitatem! quis credidisset hisce carnibus pestiferum abdi venenum? pennas coturnicum aptari telis mortis, ut celeriori volatu ferantur in exitium Israelitarum, delicato eo cibo strangulandorum? tantam suavitatem in durissimum commutatum iri supplicium? ita tamen evenit: nam *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, ira DEI adscendit super eos, & occidit pingues eorum.* Ps. 77. Usque adeo verissimum manet, præstare de bonis sæculi parum cupere quam copiâ affluere: quia *eo ipso quod superfluunt, nocent.*

365. Ne verò veteris illius miseriæ oblivio animum nostrum capiat in Epulone Evangelico tota innovatur. Is amplas & copiosas opes possidebat, purpurâ & bysso magnificè induebatur, & indies epulabatur splendidissimè: interim cùm videri posset omnibus moturus esse invidiam, commiserationem meruit ob damnum irreparabile, & miserias per omnem æternitatem non terminandas: quippe, ut loquitur Os aureum hom. 1. de divit: *navis erat plena mercium, ac secundo navigabat vento; verùm ad naufragium festinabat: infelix felicitas, quæ divitem ad æternam infelicitatem traxit.* Utrum Præsidum Religiosorum quispiam sit, qui, posthabitâ statûs proprij ratione, affluentes copias avarè teneat, qui instar pavonis intumescat, & subtilitate luxuque vestium, ac pretio byssi magnificè efferatur, qui Epulonem imitatus vitam traducat inter mensarum lautitias & parasitorum adulationes, equidem ignoro: Illud pro certo affirmârim, ejusmodi Prælatum si forsan aliquis auram felici-

tatis

tatis ita occupare sibi videretur, habere, quod sibi timeat caveatque lapsum Icari, Phaëtontis, & Luciferi: nec memoriam deponat unquam moniti, quod Seneca in Thyeste act. 2. reliquit:

— Quoque fortuna altiùs
Evexit, & levavit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet:
Variosq; casus tremere, metuentem Deos
Nimium faventes.

Celebrioribus, quos sacra pagina commemorat, viris accenseri jure merito debet Heli, utpote qui primus in Tribu Leviticâ dignitatem Judicis inter Hebræos obtinuit, qui primùs è familiâ Ithamar evectus fuit ad primarium Summi Pontificatûs è stirpe Eleazari translati honorem. Primus itaque fuit Heli, qui duplici gradu & authoritate Judicis, simul ac Pontificis præfulgeret, æmulatus majestatem leonis, qui non minus super terram, quàm inter signa cælestia principatu potitur, hac epigraphe honorandus: *Et terris dominatur & astris.* Sed quò tandem spectavit ea gloria, sublimitas, & magnificentia Heli, quem exitum sortita est? heu lugubre fatum excepit eum! eversus suâ sellâ, ceu indignus adeo grandis dignitatis, cervices fregit, & caput ita allisit terræ, ut coronæ ac tiaræ gestandæ impar fieret. Tremendæ sublimitati exactè respondit ruina horribilis, & altitudini sedis profunditas lapsûs commensurata fuit, ut tanto exemplo quicunque Prælatos addisceret: 366.

Varios casus tremere, metuentem Deos nimis faventes.

Ac persuasissimum habere, nimiæ exaltationi in hac vitâ vicinum esse præcipitium: & *meliùs esse minus egere, quam plus habere.*

Atque hinc, opinor, intelligetis locum quendam Genesis non modicâ cæteroquin obscuritate involutum. Vixdum Abraham armatâ dexterâ quinque Reges gloriosè triumphavit, cum DEUS sub formâ Spectabili præsens hac exhortatione animavit: *noli timere Abram, ego protector tuus sum & merces tua magna nimis.* Genesis 15. v. 1. Quæso quid servit ad præsentem Victoris statum ista excitatio? nonne meliùs congruisset, ut DEUS servo suo insignem victoriam obtentam gratu- 367.

 laretur,

laretur, & applauderet? cur lætum consolatur, erigit, omnemque defensionem pollicetur? & à quo sibi timeat, qui hostes infensiores jam fudit, atque in libertatem asseruit captum Nepotem, & spoliis opimis onustus in patriam revertitur, quid metuat? Huic dubio satisfaciam reflexione quadam profanâ: in vetustis Franciæ monumentis l. 1. c. 18. narratur, Clodovæum, ceu dominaretur despoticè in fortunam, eamque illigatam crinibus constringeret, nulli intulisse arma, quem non feliciter èxpugnâsset. Exercitum Alemannum delevit, barbariem Visigottorum domuit, illorumque Regis sanguine purpuravit, & illustriorem efficit chlamydem propriam, atque nobilissimum Franciæ regnum super Burgundiæ rudera constabilivit. Sed quem tandem sortitus est exitum? eâ felicitate inflatus & occæcatus nimiumque sibi confisus, missis laboribus militis, quieti se dedit. Unde postmodum armis *Theodorici* oppressus, amissa provincia, ac tota propemodum *Burgundia Parisios* repetiit, amarissimâ confusione ac doloræ acerbæ, pœnitentiæ repletus. Quo facto egregie corroboravit effatum Gregorij Magni l. 31. mor. c. 17. *Multos sua felicitas stravit, multos diurna pax inertes reddidit, eoq; illos inopinatos hostis gravius perculit, quo longo quietis usu negligentes invenit.* Jam verò advertitis causam AA. cur timore fuerit occupatus Abraham: nempe timebat ipse vicissitudinem rerum humanarum: timebat improvisam deturbationem ex sublimi victoriæ fastigio: timebat præcipitium, felicitatis terrenæ apici oppidò infestum: quasi *tacitâ secum* mente ita reputaret: avertant Superi, ne cursus obtenti triumphi in miserabilem casum desinat! ne rutilans adeò flamma in fumum abeat, qui planctum exprimat & lacrymas eliciat! ne serenitas tam læta funestâ excipiatur tempestate! ne rami virentis & victoriosi lauri, qui frontem ambit, subditò exarescat & triumphalibus palmis innectantur funebres cupressi. Ita proprium est sapientis non sibi præfidere, sed etiam in summo prosperitatis gradu *varios casus tremere, metuendo DEUS nimium faventes.*

368. Accidit, ut Apostoli concubiâ nocte piscationi vacarent, & ventorum rabie miserum in modum exagitarentur, ut in momenta fere singula mortem præstolarentur. His angustiis finem ut imponeret, spectabilem se præbuit Christus: attamen quod super undas incederet, illi phantasma ac illusionem rati, contentis vocibus opem Numinis implorarunt. Mitissimus Dominus paternâ voluit cohortatione excitare: agite filij, bono animo estote, mortem timere non convenit, ubi tam vicina vobis est vita. Petrus hisce liberalissimis promissis haud contentus


xentus majorem sollicitat, insuetamque gratiam, ut navim egressus, veluti sacer quidam Neptunus, aquas calcare posset, ac Christo amantissimo Magistro suo appropinquare. *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.* Matth. 14. v. 28. Grande postulatum AA. quod profectò nequit oriri aliunde, quàm ex magnâ vel fiduciâ, vel certe libertate ac audaciâ: quis enim animos sumpsisset unquam flagitandi rem viribus humanis usque adeo superiorem? trajiciunt Israelitæ mare Erythræum, transit Moyses Dux populi, transit Elias aquas Jordanis, sed omnes insistunt terræ solidæ, ac arenosæ, fixo subnisi fundo: Tu verò Petre, concupiscis ambulare super procellas fluidas? cave ne prærogativa insolita, & gratia singularis te obruat, ac interitum adsciscat. Ita est AA. quod verebar, evenit: quippe paululum *ambulabat super aquas cùm cœpisset mergi*: Videns labascere fundamentum fluidum, seque propediem absorberi, magno clamore Divinum auxilium invocavit: ecce quomodo nobis incommodet excessus, & noceat, quod nimium est. O quanto fuisset consultius constringi angustiis naviculæ, quàm licentiosum pedem figere ac progredi super inquietum ac instabile hoc elementum! Quisquis spartam, quam nactus est, ornare negligit, sed altius enititur, & proprios limites exit, tandem periclitabitur, & vix evadet interitum. Paradigma hujus rei cernere quoque licet in Simone Mago, qui sub conspectû Romæ ausus est volatu sublimia petere: Sed præceps actus crura elisit, nec gressum illum promovere amplius valuit, *& qui nimios optabat honores*, pro DEO haberi appetens, reperit *præceps immane ruinæ*. Maneamus igitur ô mei Religiosi intra præfixos limites nostros, non adspiret voluntas imprudenter ad rem vel officium, cui vires sunt impares, si cygni non sumus, non incessat cupido in mari ludendi: Si aquilæ caremus agilitate, volatumne attentemus. *Ne incedas iter*, consilium erat S. Basilij ad fil. spir. *quo naufragium perpessi sunt plurimi.* Acquiescamus sorti nostræ, fidemque habeamus Augustino, præstare paucis contentum vivere, quàm abundantiæ inhiare: quia, ut dixi cum Euripide: *nimia moles periculosa est.*

Divus Lucas c. 5. describit piscationem adeo copiosam, ut verriculum præ nimiâ mole rumperetur, & geminæ naves pænissimè submergerentur. Petrus ipse miraculo attonitus abundantiâ gratiæ se opprimi fatetur, & D. Ambrosius lib. 7. in Luc. adstipulatur his verbis: *Mihi cumulus iste suspectus est, ne plenitudine sui naves mergantur.* Et verò sæpe numero nimia copia suspicionem suggerit, si hominum status tacitè penso. Exempli gratia Minister regius brevi temporis spatio ingentes 369.

gentes opes collegit, quàm vereor, ne pauper anima admodum naviculæ sub onere violentæ ac injustæ molis fatiscat ac demergatur; *mihi cumulus iste suspectus est*, ne oppressiones pauperum, ne fraudes, & protelationes litium, ne artes & technæ iniquæ operas locarint in divitiis ejusmodi accumulandis. Militiæ nonnemo mancipatus est, & illico evasit *dives equûm, dives picturæ, vestis & auri*, ut Maro cecinit. Æneid. l. 9. *Certe mihi cumulus iste suspectus est*, ne forsan rapinæ, furta & expilationes violentæ magnam contulerint partem. Oeconomum cerno paulo ante domesticâ difficultate laborantem, jam verò coëmendis latifundiis, erigendis ædificiis, redditibus computandis intentum; quo pacto obsecro tam celeriter emersit? An solertiâ in administrandis priorum locorum proventibus? vel sedulâ illius communitatis gubernatione? *vel negotiis alieno nomine feliciter expediendis*? Verum ah! *mihi cumulus iste suspectus est.* Quid autem Laicos moror, cùm Religiosos alloquar? Etiam hos inter adverto nescio quem meritis vacuum, nullis experimentis aut peritiâ insignem, ætate immaturum, stupentibus cæteris ad primas sedes provectum & honorum cumulo vallatum: quid ita, bone Deus, mecum pensito, quid ita? Unde fabricata est scala huic homini ad tantæ dignitatis fastigium? fortassis promoverunt preces armatæ Principis, religionem violenter adigentis? fortassis imber munerum compensavit penuriam virtutum? forsan simoniaca labes, & impostura manum admoverunt, enimverò *mihi cumulus iste suspectus est.* Alius nonnemo quâ viâ, quâ ratione accumulavit tantam vim pecuniarum? an sudore Apostolico? sed suggestum nunquam conscendit. An ex fœnore ac redditibus suæ familiæ? sed neque teruncium inde hausit. An exemplari vitæ suæ sanctitate? sed nullis prærogativis antecellit: *mihi cumulus iste suspectus est.* Quid jam dicam de inusitatâ suppellectile, qua conclavia Religiosa renitent? parietes vestiuntur peripetasmatis sericis, sedilia comuntur Attalicis & heteromallis, lectus superbo inumbratur conopæo, pavimentum marmore stratum est; picturæ pretiosissimæ, scrinia ebore ac hebeno distincta, abacus argenteis vasis gravata visitur. Heu! *mihi cumulus iste suspectus est.* Vereor ne vera Religiosa disciplina dudum hinc exulet, & mera vanitas in locum successerit! vereor ne sub exuviis Religiosis, ut olim sub tabernaculo Jacobi, delitescant idola vitæ sæcularis, & indecoræ magnificentiæ.

370. Si verum est, quod apud Stobæum ser. 93. edixit Democrates, quod *vestes talares corpora, opes autem immensæ animas impediant*, suppellex nostra commensuretur instituto vitæ, quod amplexi fuimus; intueamur modera-

moderationem S. Augustini, extenuationem S. Benedicti, rigorem S. Dominici, paupertatem S. Francisci: & qui promisimus vitam vivere communem, pauperem ac vulgarem, erubescamus de splendore exotico, & pompâ Mecænatis, Crassi aut Luculli. Aliud monet Doctor Gentium. 1. Tim. 6. v. 8. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Vitam Religiosam professi sumus, opere etiam impleamus, & mores ad normam S. Patriarchæ componamus: quia Religio ipsa nos pascit ac vestit, sufficiat, quod suppeditat. Quodsi contingat deesse aliquid, solatur Divus Augustinus: *melius est minus egere, quam plus habere.*



Ex

CAPITE IV.

Melius est minus egere, quàm plus habere.

Religiosi paucis contenti sint.

DISCURSUS XXXVIII.

CRates celebratus ille Philosophus Thebis originem debens; & excellentem virtutum suarum splendore patriæ gloriam reddens; cùm forte quadam in foro populis frequentissimo per otium obambularet, atque nonnullos beatitatem suam in vendendis distrahendisque mercibus suis, alios in coëmendis ponere observaret, exclamavit: ô Superi! *illi, quod rem inter se contrariam agunt, se beatos judicant, & ego me, quod tum vendendi, tum emendi necessitate sum immunis.* Quod Philosophi apophtegma, nisi mea me fallat sententia, cuivis Religioso optimè applicatur. Sectentur pro virili felicitatem suam sæculares, dum comparant, quod necessarium est, & vendunt quod redundat; Religiosus ab hoc onere eximius 371.

est, utpote qui paupertatis voto ligatus proprij nihil possidet, abundeque in necessitatibus sublevatur à publico ærario; felicissimus sanè, si acquiescit in paucis, quæ offeruntur, & negligit superflua, quæ oneri forent ac impedimento. Unde, quod pro certo affirmat S. P. N. Augustinus, *melius est minùs egere, quàm plùs habere*, quem in locum Hugo Victorinus: *quantò quisque minùs appetit, quantò arctiùs vivit, tantò beatior existit*; quod præsentis discursûs argumentum esto.

372. Nec auspicatius aliunde petam exordium, quàm ex sapientissimâ illâ oratione Salomonis. O Clementissime, amabilis ac benignissime Domine Deus! *mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria*. Proverb. 30. v. 8. Ne permittat suavissima tua providentia, quod angustia & rigor paupertatis me opprimant, vel inundans divitiarum copia affluat, ut ne redactus ad incitas tuum Sanctum nomen blasphemus profundam, vel opibus inflatus tergum obvertam, sed largire tu, obsecro, quod necessitatibus meis congruit, ut securus & quietus vitæ exigam dies, ac famulatum tibi præstem fidelem ac perennem. Hebræorum Sapienti subscribit Romanus morum Magister Seneca c. 8. de tranquill. *Angustanda sunt patrimonia, ut minus ad injuria fortunas simus expositi, optimus pecuniæ modus, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate discedit*. Sanctus quoque Isiodorus Pelusiota c. 70. *Necessariis contentus sis, nec amplius quidem appetas, qui enim pluribus inhiat, is omnibus & hominibus, & animæ passionibus præda exposita est*. Quid ni subjungam etiam sensum Lyrici? ita aptè concinit l. 2. od. 10.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.

373. Xenophon l. 1. Cyropædiæ refert, Cyrum, etiamdum juvenilibus annis floridum mensæ Astyagis Medorum Regis fuisse adhibitum, quæ, quum omni lautitiarum genere repleta esset, & argenteis vasis, ac innumeris exquisitissimis dapibus onerata, Cyrus ad Astyagem avum suum conversus, ait: Colendissime Ave, quantam hic ego adverto differentiam inter regia Persarum atque Medorum convivia: quanquam eundem omnem habemus finem epulis pellendi famem, & necessitati naturæ quadantenus satisfaciendi; *multò simplicior & rectior apud Persas via est*

est exsatiandi se, quàm apud vos. Compendio nos Persæ saturitatem assequimur, cum necesse sit manus in hac diætâ circumvagari, & hac illac propè ac longè extendi ad probandam ciborum saporumque varietatem: nobis pane fit satis & aquâ, atque in nictu oculi assurgimus plenè contenti. Quæ victus moderatio, à Cyro collaudata, pluries in sacris literis memoratur, commendaturque Genesis 18. v. 8. Abraham accepit Angelos tabernaculo, & apposuit panem & lacticinia cum vitulo. Devteronom. c. 8. Israelitis, quum errarent in solitudine, manna subministravit DEUS pro pane: postmodum etiam coturnices. 1. Reg. 9. v. 24. Samuel mensam & triclinium instruit, ubi Saulem in Regem unxit, sed totum convivium uno missu absolvebatur: *levavit coquus armum, & posuit ante Saul.* David abiit in aciem ad fratres suos invisurus, sed aliud non detulit, nisi panem, caseum, & polentam 1. Reg. 17. v. 17. Eliam in horrido deserto abditum corvus pavit solo pane & carnibus. Pariter salutis nostræ Vindex Christus Dominus famelicis turbis panem ac pisces impertivit. In cænâ ultimâ non fit mentio nisi panis & agni Paschalis; post gloriosam Christi anastasin discipuli apparârunt epulum Magistro redivivo, in favo mellis & pisce asso consistens. De Beatissimâ quoque Virgine Divus Ambrosius l. 2. de Virg. enarrat: *quodsi quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Unde Religiosus tenui victu se sustentari videns, nunc panis & carnis, nunc panis & piscis, nunc panis & ovorum dicere potest: *parva quidem mensa*, haud immeritò tamen subdit: *at parvo contentus abundat:* Seque consolari ex sententiâ S. Augustini: *melius est minus egere, quam plus habere*, quàm dudum prævivit Regius Vates Ps. 36. v. 16. *melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.*

Sed quoniam satis hactenus de parsimoniâ ciborum disseruimus, en magnum Apostolum Paulum, qui Timotheo scribens, potûs quoque mensuram arctam præfigit: *modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* 1. Tim. 5. v. 23. quem locum accuratâ consideratione ponderant sacri interpretes. Quid enim sibi vult, quod Dives Paulus Medici vicem supplet; & vinum quidem indulgeat ægroto suo Timotheo, sed usum vini maximopere restringat? Cur servum Dei viribus exhaustum longâque invaletudine extenuatum non è vestigio per miraculum luculentum integræ sanitati donat? aut si stomachus Timothei calore nativo deficitur, quare non tantum vini permittit, quod vires instaurare valeat? cur limites tam arctus ponit, & tam modicam concedit quantitatem, qua minimè assequatur perfectam 374.

valetu-

valetudinem? Sed omnem numerum spiritualis Medici Paulus adimplevit: Timotheus namque, licet diuturno morbo intabescens, asperam vitam exigere solitabat, & inediâ corpus macerare: hunc igitur rigorem nonnihil mitigaturus Apostolus potatione aquæ interdixit: *noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere.* Cæterum vult usurpare vinum per modum medicamenti adversus infirmitatem, quâ id temporis præcipuè affligebatur: neque decuit interponere miraculum, ubi causæ naturales effectum dare poterant. Parum autem vini bibere jubet probe gnarus æternæ saluti hujus sui discipuli plurimùm commodare, si sanitas non ex toto restitueretur, nam *virtus in infirmitate perficitur.* 2. Cor. 12. v. 9. Verùm, ut eloquar ex animi mei sensu, Estioque apertè subscribam, modicum vinum Timotheo Paulus permittit, *ut in Timotheo omnes Episcopos, & Presbyteros temperantiam doceret*, ut ejus exemplo Ecclesiarum Pastores, Prælati & Religiosi addiscerent sobrietatem; & parsimoniam vini, memores, vinum moderatè sumptum facultates hominis mirificè corroborare, immodicè verò affusum affligere ac opprimere; si parcè delibetur, sanitatem constabiliri, si hauriatur intemperantiùs, hebetari caput, everti stomachum, & corpus morborum iliade, animam vitiorum colluvie inundare.

375. Hos effectus egregiâ similitudine Sanctus Antiochus elucidavit: ponamus, inquit, gravidas nubes paulatim dissolvi, & lentam placidamque pluviam destillari, videbimus non sine admiratione, terram crystallino illo humore felicissimè fœcundari: sementis in sinum illius missa amœnè germinat; Virore jucundissimo vestiuntur horti, fructus ad optatam maturitatem perducuntur cum ingenti dominorum colonorumque solatio: *Ut enim terra:* verba admetior S. Antiochi *hom.* 5. *moderato perfusa imbre, semen quod in viscera sua dejectum purum excepit, multo cum fœnore emicare cogit, ac emergere.* Cùm ex adverso comperiamus, si contingat impetuosum decuti nimbum, & omnia furiosis obrui procellis, radicitus evelli plantas, viridaria squalore involvi, & passim funestas lacunas occurrere, subinde terram inhorrescere, tribulisque ac spinis obseri, *si immodica pluviæ madescat illapsu & inebrietur, spinas profert solùm & tribulos.* Haud aliter, ait Antiochus, habet anima nostra, superfluâ vini copiâ perfusa, generat monstra contentionum, discordiarum, libidinum, & Scandalorum: si verò moderatè vino irrigatur, dulcorem adipiscitur & vigorem progignendis virtutibus. Quo etiam sensu Hugo noster Victorinus in cap. 4. Regulæ scribit: *parca vita occidit vitia, libidinem extinguit, virtutes nutrit, animum roborat, mentem ad cælestia*

lestia sublevat. Atque hæ considerationes eximium, ut reor, effato S. Augustini robur adjiciunt: *melius est minus egere, quàm plus habere.*

Neque verò est, quod amplius mirer, Paulum Timotheo suo Auctorem fuisse moderandi potationem vini, cùm videam idem Assuero Regi placuisse in mediis tripudiis & æstu conviviorum. Videbatur felicitas ibi fixisse sedem, & metam votorum omnium posuisse: adeo nihil sinebatur desiderare humana cupiditas. Parabantur sigmata sub dio in horto, regiâ magnificentiâ exculto; injuriam Solis arcebant tentoria variegati coloris pretiosissima quæque; lectuli ebore, argento & auro rutilabant. Dapes & numero, & sapore exquisitissimas in paradiso crederes præparatas, ut prandia Luculli, sumptus Cleopatræ, luxus Apicij nec commemorari, ne dicam comparari, mere ntur. Vinum fundebatur generosum, dulce & tempori locoque convenientissimum. Verbo, propositum erat potentissimo Monarchæ non modo divitias gloriæ regni sui ostendere, sed etiam Clientes participes efficere. Verùm, quod omnium mihi videtur notatu in tanto apparatu dignissimum, est; quòd nemo convivarum ingratiis suis adigeretur evacuare pocula, seque ambrosia invitus & ultra lubentiam opplere. *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum.* Esth. 1. v. 8. sed potiùs evulgatum erat edictum Regis: *ut sumeret unusquisque quod vellet.* Quo manifestum evadit, moderatione vini perfectam hospitum lætitiam consummari; siquidem illud temperatè bibitum recreat valetudinem, & cor verâ hilaritate perfundit: cùm è contrario ebrietas pectus intemperie caloris & incendio, caput turbulentis nebulis, alia membra cruciatibus oppleat, & vinum ita usurpatum fiat lethale venenum: quo etiam in genere utique *melius est minus egere, quàm plus habere.* 376.

A palatio Regis digredior, pace vestrâ, ad ædes hominis privati. Ludovicus Arioistus magni nominis Poëta domum extruxit propriis sumptibus perquam accommodatam illam, & amœnam, sed non adeò grandem: foribus curavit grandiusculis characteribus hoc distichon inscribi: 377.

Parva sed apta mihi, sed nulli obnoxia, sed non
Sordida, parta meo sed tamen ære domus.

Priora carminis vocabula: *parva sed apta mihi*, quemlibet prudentem discretumque Religiosum, quoties defectum aliquem sentit, tacitè secum volutare convenit: quanquam igitur ad habitandum obveniat cubiculum,


 biculum,

biculum, minus suo genio & desiderio respondens, vel etiam justo angustius, quid mea interest, reputabit apud se ipsum: quid tandem refert, si habitatio arcto circumscribitur spatio, minus erit molestum curam illius gerere, & à sordibus immunem conservare. Etiam conclavia splendida & basilicè instructa non carent anxietatibus & incommodis mordicantibus: Animo Religioso dudum à quisquiliis Mundi abstracto nihil præjudicat cella. Esto *parva, sed apta mihi, ubi se etiam in privato latè explicat magnus animus*, ait Seneca c. 3. de tranquill: & quieti vacans ac speculationi, scriptionique deditus tum seipsum, tum totum Mundum potest juvare. Si mensæ accumbit, & pauca legumina, paucasque carnis uncias in alimentum conferri videt: O mensa *frugalis!* non eo inficias: *parva sed apta mihi.* Nimirum more *nobilis conchæ* potius è cælo petere oportet, quàm è mari: & *sufficiat alimoniam* sumere, quæ vitam sustentet, non quæ delicias adferat. Si officio applicatur humili, quod plus oneris quàm honoris rependat, ita secum ratiocinabitur: verè functio isthæc *parva, sed apta mihi.* Si parum splendoris tribuit, etiam periculum vanitatis minuit. Et quanto minus sublevat, tantò magis liberat à fulmine Divinæ ultionis ac judicii. Agnovit Stoicus, & Ep. 39. ingenuè professus est, *magni animi est magna contemnere ac mediocria malle quàm nimia.*

378. Ingenio felici, acrique judicio efformatum est emblema illud navigioli, quod propulsum in mare mediis velis captat auram, & procul à littore detractat provehi cum epigraphe: *altum alij teneant.* Nihil triremes & quadriremes moror, quin committantur decumanis fluctibus & furori tempestatum: petant per me majora navigia altum mare, naufragiis infame: permittant alij ventis latissima carbasa, quibus forsan scopulis allidantur, at ego oram littoris legam, nec majorem prensabo ventum, quàm opus sit instituto; ita nanciscar fortunam mediocritate contentis obviam, & felix pericula evadam, nam prorsus ex mente S. Augustini, *melius est minus egere, quàm plus habere.*

379. En vobis in eâ naviculâ excellens Symbolum Religiosi, qui res suas Mundum habere jussit, & totum se Divino obsequio mancipavit, sorte suâ penitissimè contentus. Qui ejusmodi est; non ineptè etiam adumbratur falce è retibus colligato, atque ex clavo suspenso cum lemmate: *nihil amplius optat.* Quod non obscurè S. Petrus Matth. 19. v. 27. insinuat: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Religiosorum enim quilibet, qui cupit totus esse DEI, nihil extra DEUM appetere debet. Cùm jactaretur in Oceano Mundi, quæsitum ibat divitias, anxiè procurandas,

randas, sollicitè custodiendas, non absque magno dolore amittendas: jam in paupertatem Christi JESU juratus in eo vivit solo, & Spiritum reciprocat: *nihil amplius optat.* In fallaci mari illecebris Syrenum, & massâ Veneris forsitan infestabatur, jam omnem curam & operam ponit in cordis munditie augendâ: *nihil amplius optat.* Punctum honoris, dignitatum primæ & splendor sæculi poterant quondam cor allicere, ac desideria irritare, jam scopum unum præfigit, ut censeatur, ac sit servus Christi fidelis: *nihil amplius optat.* Si antea omnem movit lapidem, quo sortem suam altius eveheret, & incrementum adderet indies felicitatis humanæ, jam veste attritâ coopertus, pauco cibo contentus, & ad modum bombycis paupere habitatione, ubi conficiat alas ad cælum se sublevaturas, conclusus *nihil amplius optat.* Hac ratione dum addiscimus *minus egere,* meremur *plus habere,* & ubi Religiosi deprehenduntur *nihil habentes,* eo ipso evadent *omnia possidentes.* 2. Cor. 6. v. 10.



Ex

CAPITE IV.

Nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Præstare sanitatem cum tenui victu infirmitate delicatè nutritâ.

DISCURSUS XXXIX.

QUamvis inæstimabilem gratiarum cumulum munifica Manus DEI super nos effundat, pretiosissimum tamen juxta ac maximum esse munus sanitatis, non invenusta est opinio Plutarchi l. de salubr. præcept: Ad eam sartam tectamque conservandam in omnem superstitionem projecti Ethnici omnis generis sacrificia 380.

crificia & Victimas Diis suis libarunt, atque ut solennitatem redderent illustriorem, lautissima celebrarunt convivia: quæ modum excedere videbantur Diogeni, multùm stomachato, quòd eodem tempore, quo sanitatis causâ persolvebantur vota, morbi ex dissolutâ intemperantiâ contraherentur. Pro salute recuperandâ non refugimus detractionem sanguinis per venas incisas, nec pœnosa cauteria per carnes inustas, ut Ovidius etiam suasit:

Ut vitam redimas, ferrum patiaris & ignes.

Et Albertus Austriacus rogatus, quidnam sub cælo plenâ jucundissimâque cordis quiete possideretur? incolumitas, reposuit, ille est *thesaurus*, cujus pretium longè antecellit cætera, nec pensi habenda *sunt*, quæ bona obveniunt homini, si jactura eorum integrâ *salute* compensatur. Unde S. Augustinus, conferens Religiosos firmâ valetudine cum convalescentibus, & paulatim è morbo recreatis providenter cavet, ne subrepat æmulatio, si dispari victu tractentur, & consanescentibus cibi præbeantur selectiores & meliores: absit invidia, inquit S. Patriarcha, *nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi, melius est enim abstinere, quàm plus sumere*; commentatur Hugo Victorinus, *quanto enim quisque minus appetit, quantò arctius vivit, tantò beatior existit.* Sed agedum, videamus, quanto sit optabilior integritas cum parco victu, quàm infirmitas, nescio quibus cupediis refocillata: id modò demonstrare aggredior.

381. Supersedeo jam pluribus in memoriam revocare doctrinam Senecæ, quod DEUS normam probè vivendi delineans tantum voluerit: *ut salvi essemus, non ut delicati*: Taceo consilium Socratis, gastrimargiam, omnesque voluptates gulæ instar Syrenum esse fugiendas & abominandas. Non commemoro Gymnosophistas Indorum Sapientissimos, quibus sanctum erat, neglectis omnis generis cupediis, vitam tolerare agrestibus & sylvaticis fructibus. Quid quod etiam Epicurus dicere solitarit: *tenuitatem victûs plurimùm conferre ad jucundè & suaviter vivendum.* Theat. v. cibus. Certe elapsis sæculis & Græci & Romani vix alimenta familiariùs utebantur, quàm pulmento, quod etiamnum hodie in tractu Brabantiæ circa Kempen usitatum ajunt: unde Adrianus VI. ibi natus, eo genere cibi per totius vitæ decursum mirificè delectabatur, cui à primis annis in tenui fortunâ exactis assuetus erat. Subscribit Hugo Victorinus: *quantò quisque minus appetit, quantò arctius vivit, tantò beatior existit.*

Deside-

Desideratis forsan specimen quoddam Veritatis hujus ? en egregium offertur in cap. 1. Danielis. Hic Propheta cum tribus aliis adolescentibus à Nabuchodonosore, Rege Babylonis, in captivitatem abstractus fuerat : cùm verò sanguine illustri procreati essent omnes, ac insuper ætate floridâ, liberali formâ, politis moribus ac amabili comitate, tradebantur Regiis Ministris, ut omni studio & industriâ docerentur idioma & sapientiam Chaldæorum, & apti evaderent, qui olim fidelem & utilem Monarchæ famulatum præstarent. In alimentum deputabantur cibi Regiæ mensæ : sed illi ne comedendo cibos lege Mosaicâ vetitos contaminarentur, veriti, summè contenderunt : *dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum.* Dan. 1. v. 12. Et ecce mirabilem eventum : quanquam nobiles hi adolescentes tam vili alimento nutriebantur, aliis ephebis interim lautissimè in aulâ saginatis : *apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo Regio.* ib. v. 15. Itaque ubi vivus rosarum color liliis permixtus genas festivè ornat illorum, quos parsimonia ciborum emaciare debuisset, ex adverso pallent, tetroque & exangui colore apparent, qui cuticulam sedulò curarunt, & genio indulserunt : qui enutriebantur in deliciis, ora ostendunt livida, buxoque ac cineri simillima : qui leguminibus & aquâ pascebantur, suavissimâ oris venustate visuntur; egregio documenti futuri, quòd si ægritudo ac miseria exquisitissimas dapes comitantur, jure merito sibi gratulentur, & plaudant, qui parciùs tractantur, nam fixum ac indubitatum manet, quod iteratò monuimus: *quantò quisque minus appetit, quantò arctiùs vivit, tantò beatior existit.* 382.

Utrum probatica illa piscina à S. Joanne descripta nuncupanda sit palæstra patientiæ, an miseriæ, animi pendeo : circumiacebat magna cohors afflictorum, & diversis morbis obnoxiorum hominum, qui veluti flores emarcidi suspirabant, & anxiè motum aquæ virtute Angelicâ agitatæ expectabant, ut saluti restituerentur. Medius in miserabili hac turba morabatur quidam annos omninò triginta & octo, nec tamen ullius viscera commovit, qui suppetias veniret, & in aquas vel modico impulsu demergeret : donec homo DEUS sortem infelicem miseratus succurrit & Omnipotente Verbo imperavit : *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Joan. 5. v. 8. Et ecce gratissimam metamorphosin ! ecce in theatro miseriæ mutatam repente scenam ! nam qui languore tam diuturno prorsus enervatus jacebat immobilis, è vestigio *sustulit lectum suum* in humeros, totusque vegetus magnis passibus *ambulabat*, haud absimilis generoso Belli Duci, qui trophæum devictæ infirmitatis portaret in 383.

 trium-

triumpho, ut Aureus Orator apud Sylveir. T. 3. c. 1. q. 20. agnovit his verbis: *Dominus sicut trophæum quoddam, & argumentum longè clarissimum, evidentissimumq; lectulum illum in triumphum portari jussit.* Cujus rei haud inscitam rationem reddit Divus Maximus hom. 1. *ut versâ vice portaret lectulum, quo fuerat paulò antè portatus.* Verùm his ego non immoror, sed solùm ad propositum nostrum animadverto, quod sicuti ille, tametsi quietem super plumas vel lanam caperet, durante infirmitate, meta fuit & receptaculum ærumnarum, & infelicitatis dolendæ, econtra ille idem applausum tulit & congratulationem, cùm viribus recuperatis robustus incessit, & grabatum levi negotio detulit; ita profectò, ubi commiserationem cient miseri Religiosi, qui adversæ valetudinis intuitu latiùs & benignius tractantur, ex alterâ parte gaudeant felicissimo statu fortiores illi, qui pondus Religiosæ observantiæ perferunt, & potius duris laboribus, quàm exquisitis epulis pascuntur. De his Xenophon. l. 1. pædiâ scribit: *bonis viris labores obsonij loco sunt*: & Seneca Ep. 31. *Generosos animos labor nutrit.*

384. Sanctus Paulus fideles ad hæroicos Christianæ fortitudinis actus extimulaturus ob oculos posuit exemplum veterum Athletarum: *omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* 1. Cor. 6. v. 25. DEUS bone! quis verbis explicet, quanto rigore vitam instituerint pugiles, qui descendere parabant in arenam vel theatrum, manus cum Antagonistâ conserturi, ut coronam mererentur corruptibilem? Vetabantur expressè cibi, quicunque voluptate demulcerent, vel sensum emollirent; contenti esse debebant illis ferculis, quæ disciplina militaris & austera permittebat. Vitio vertebatur inexpiabili, & opprobrio summo vitam transigere in deliciis & otio. Venerem ut pestem horrebant, cujus illecebræ virum enecare credebant: hinc renes plumbeis *constringebant* laminis, queis ardentes cupidinis sagittas hebetare nitebantur. Ebrietatem, crapulam, & omne genus ingluviem, qua temperies eliditur, & homo variis morbis subjicitur, ut mortem detestabantur hostes jurati cujuscunque luxûs, ut duritiei assuefacti pares evaderent perferendo oneri certaminis, & laureæ capaces. Hoc autem exemplum urget Apostolus: *si omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*: nonne par est, ut servi DEI coronæ immarcescibilis Candidati odio delicias prosequantur, labores & incommoda sui corporis ament, delicatas dapes negligant, tenui se victui addicant, & eorum dolentes vicem, qui viribus exhausti aliquâ refocillatione egent, summæ felicitati ducant, posse struthionis stomacho devorare ac concoquere labores ferreos &

mole-

molestias, vitam humanam infestantes, quod examussim regula docet: *nec illos feliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi; sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.*

Quo tempore Prophetarum filios ad prandium incitavit Elisæus, 385.
eorum quidam ad præparanda alimenta designatus, neque tamen sat gnarus herbarum pertinentium cacabum implevit fasciculo colocynthidis, inter legendum in deserto forte in manus incidentis. At primis vix labris delibarunt convivæ hanc escam intolerabili amaritudine perfusam, protinus exclamarunt, heu! quanta hæc amarities! quàm abominabilis sapor! *mors in ollâ, Vir DEI.* 4. Reg. 4. v. 40. Elisæus dudum assuetus hujusmodi diætâ famem pellere, nec attonitus eventu, neque succensus in curiæ coqui, arripuit pauxillum farinæ, misit in ollam, absterfit amaritiem, comedit turba & saturata est. Quod factum tangens Hieronymus Ep. 22. ad Eustach. scribit: *non iratus est coquis, lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat, sed farina desuper juncta amaritudinem dulcoravit.* Haud obscurè ostendens servis DEI quemcunque cibum in alimoniam sufficere, & aversatos cupedias, quibus consanescentes restaurant morbo amissas vires, paupere mensâ contentos & vili tractatione lætos esse ac felices.

Non multum dissimile est quod S. Joannes in Novo Testamento 386.
consignat, ubi turbæ copiosæ unà cum Apostolis trajecto freto famelicæ ac defatigatæ aliud nesciebant subsidium, nisi pietatem & immensam benignitatem Salvatoris, qui etiam miseratus, atque ad discipulos conversus per modum suaviter consulentis, dixit: *unde ememus panes, ut manducent hi?* Joh. 6. v. 5. monitus porro à S. Andreâ, quod nescio quis pastorculus circumferret in perâ quinque panes. Cum duobus piscibus: *est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces.* v. 9. benè est, reposuit, sternatur mensa, *facite homines discumbere.* v. 10. hac rei gestæ narratione non parùm obstupescunt Interpretes sacri: nec immeritò: quid enim? An Filius DEI in terrâ, quæ fluit lacte & melle, omnique rerum copiâ abundat, destituatur annonâ, quâ succurrat necessitati eorum, qui devotâ fideliquè mente sibi adhærent? An Christus ex Regali prosapiâ Davidis editus, suique discipuli in Principes terrarum assumpti non flore farinæ sed hordaceis pascantur panibus? Corvus è mensâ Regis Achab sustulit panes, & carnes, & Eliam providit; Unigenitus verò DEI Filius non fructibus raris è paradiso translatis, non mannâ cælitus demisso in solitudine, sed vili hordeo cum suis sequacibus alatur? Verùm quod gestum est, ait Chrysostomus

hom.

hom. 41. in Joan: norma proponitur, quid agendum: docentur ex illo facto mancipia hujus Mundi, non admodum curare commoda corporis, cùm primariæ Mundi personæ tam tenui ac moderatæ mensæ acquiescant, ejus verba sunt: *hinc deliciis dediti intelligant, quid magni illi jari & admirabiles comederint; quàm vilis & modica illorum mensa fuerit, intueantur eorum in omnibus abstinentiam, & imitentur.*

387. Utinam Religiosorum cordibus insculperentur affectus Prophetæ Habacuc c. 3. delineati: *ficus, ait, non florebit, & non erit germen in Vineis: mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum; abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in DEO JESU meo: DEUS Dominus fortitudo mea.* Etiamsi palatum meum non gaudeat dulcedine ficuum, & vites grandine contusæ non producant pretiosum nectar, nec oleæ stillent præpingues liquores, nec agri flavescant messibus: licet prætereà lues depopulata sit greges ovium, & armenta, nihilominus in Divinam Providentiam lætus me resigno, & sanctissimam ejus dispositionem adoro: si desint arborum fructus in alimentum, & radicibus & herbis capiam: Si carnes deficiant, olera famem dispellent: quidquid acciderit, adsit Divina Bonitas, ac perfectâ sanitate & robore me donet, orbatus deliciis, ego paupertatem contentus vivam, & hilaris DEO famulabor.

388. In Sacris Canticis legitur, Sponsa DEI semel & iterum è terrâ in cælos adscendisse cap. 3. v. 6. ita habetur: *adscendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris.* Via describitur salebrosa, sentibus obsita & spinis undique implicata: Sponsa incredibili difficultate progreditur & emaciatur afflictationibus corpusculi, *jejuniis*, vigiliis, assiduis precationibus, ideo ad refrigerium anhelat, & *beatitatem* cælestem, *ita adscendit per desertum sicut virgula fumi, &c.* Secundùm hæc alterâ jam vice *adscendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum.* DEUS ipse Ducem se jungit, comitem & fulcrum suavissimum, ut appareat quod quisquis vitam exegit voluptatibus vacuam & puram, eam claudat gaudiis delibutus cælestibus. Qui exantlavit molestias & macerationes deserti, recipitur in terram lacte & melle per omnem æternitatem fœcundam & affluentem: atque hoc argumentum est irrefragabile, quod Religiosus, ut dixi sub initium: *quanto arctiùs vivit, tantò beatior existit.*

Ex

Ex

CAPITE V.

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere sed moribus.

Modestia in Vestimentis eluceat.

DISCURSUS XL.

IN festis nuptialibus, quando familia tota inter tripudia concentus musicos, choreas & opipara convivia deliciis natat, præcipua cura in eo vertitur, ut Sponsa iis exornetur vestibus, monilibus, armillis, annulis & unionibus, quæ deceant illustrem Virginem, & spectantium oculos animosque in se convertant. Eliezer celeberrimus Isaaci, pronubus despondens hero suo Rebeccam, elegantiâ morum, formæque liberalitate cumprimis insignem, *prolatis vasis argenteis ac aureis & vestibus, dedit ea Rebeccæ.* Gen. 24. v. 53. In decantatis Salomonis nuptiis Sponsa regia splendido prorsus ornatu, & auro gemmisque divite Ps. 44. v. 10. describitur: *adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Maximinus Imperator cùm sponsalia celebraret, misit, referente Julio Capitolino, novæ Sponsæ *monolium de albis novem, reticulum de prasino undecim, &c. præter vestes auratas & omnes regias.* Constantium quoque Cæsarem ante hymenæos suos amatæ direxisse ingentem copiam *exquisitarum vestium, ac donorum generis omnis & monilium, &c.* Verùm quidquid sit de illâ inter mundanos receptâ consuetudine, aliter res habet, ubi de nuptiis spiritualibus inter JESUM, fidelemque animam contractis, & voto indissolubili firmatis sermo est, tantum enim abest, ut hic pretium vestium & exterior luxus pensi habeatur, ut potius è contrario quominus compta apparet Sponsa, eò censeatur elegantior: & quò minus à vulgari recedit vestitu, eò amabilior evadat: nec alius ei cultus ornatúsve ambitur, quàm à virtutibus, man- 389.

 suetu-

suetudine, pudicitiâ, modestiâ: hac solâ cerussâ genas instruit & formam, hac purpurâ vestem sibi & muliebrem mundum comparat. Unde Joan. Chrysostomus hom. 12. in Ep. ad Coloss. *orna Sponsam*, inquiebat, *non aureis ornamentis sed mansuetudine, pudore & consuetis vestibus.* Consonat Petrus Bless. Ep. 55. *Tantò eris acceptior Sponso tuo Christo, quantò fueris in veste vilior, in cultu corporis tui abjectior, in sermone rarior, in adspectu verecundior.* Et quid aliud S. P. Augustinus spectat, & desiderat, cùm alumnis suis præscribit: *non sit notabilis habitus vester*, &c. enimverò ut sapienter Hugo Victorinus locum exponit: *talia debent esse vestimenta Clericorum, in quibus nihil notari possit novitatis, nihil vanitatis, nihil superfluitatis.* Quanta porro debeat esse moderatio, & decentia Religiosi vestitûs: in præsens demonstrare aggredior.

390. Visio illa, S. Joanni per angelum patefacta, & cap. 17. Apocal. delineata, uti multum præsefert novitatis, ita non exiguam parit admirationem, nec minorem considerationem exigit. Ita refert discipulus dilectus: *abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem.* Quæ incredibili ornata pompâ, & torquium circumdabat mæandros, & gemmis accendebat digitos, & baccas ab auribus suspendebat, & toto corpore radicabat auro pretiosisque lapidibus, ut potentissimam Orbis Reginam referret. *Et mulier*, ait, *erat circumdata purpurâ, & coccino & induta auro & margaritis.* Hærebat etiamnum oculus Joannis defixus in fulgentissimo apparatu, cùm inaudit, eam, cujus formam & ornatum summopere demirabatur, esse infamem, babyloniam, fœdam, perditissimamque meretricem: *ostendam tibi damnationem meretricis magnæ.* Quæso vos AA. quid hoc monstri? quam exotica hæc apparitio? quis non obstupescat hanc facti seriem? mulier secessit, & latet abdita in solitudine, procul ab incentivis scelerum, remota à scandalis Mundi, à *lasciviâ oculorum*, ab occasionibus libidinum, quæ sanè omnia inducere deberent animum ad indubitatam fidem, quod assiduâ mortificatione subjiciat corpus rationi, austeram pœnitentiam agat, & omnimodis suæ puritati caveat: & ejusmodi mulier id loci ac temporis magna meretrix declaratur? Sed ne miremini, respondet Tertullianus, si oculus duntaxat in muliebrem pompam convertatis, jurabitis, purpuram, aurum, gemmas præcones esse minimè obscuros inhonestatis, impudicitiæ, ac projectæ vitæ: cum *prostitutæ appellationem*, inquit Tertull. c. 12. de cultu fæm. *à Domino meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est? certe in purpurâ cum coccino & auro & lapide pretioso.*

Præmis-

Præmissâ hac reflexione, dabitis, spero, facultatem animo & cogitatione succedendi in claustrum quoddam, ubi cum plures Religiosæ Virgines, veluti in desertum aliquod regressæ, à sæculi fastu avulsæ, solenni voto mancipatæ Divino servitio commorantur. Jam verò ponamus, quod equidem fieri non posse confido, quod nonnullæ occurrant ambitioso, exquisitoque cultu, veste polymitâ, vel scutulatâ, lateribus servâ fasciâ præcinctis, capillis calamistro crispatis intortisque, brachiis armilla, digitis annulo præfulgentibus: Si tales, inquam, contingeret se oculis ingerere, quid judicandum esset, anceps hæreo; quid pronuntiarem? Sponsas Christi appellarem? an Arcadiæ Nymphas? Utinam quàm integrum est corpus Virginum, tam pudica sit voluntas & anima! edicam, quæ stat mente sententia, in apparatu tam indigno turpem Babyloniam non castam Jerusalem agnosco, deploro desponsatas dæmoni non DEO: Sicut enim putidus vanusque cultus & superfluus ornatus in Babylonicâ meretrice damnatus impurum cor denotat, ita Mystica Hierosolyma, hoc est, Virgo Religiosa puro duntaxat lino amicta supremæ Majestati felici omine despondetur. *Vidi Jerusalem Sanctam paratam sicut Sponsam ornata viro suo, & datum est illi, ut cooperiat se bysfino splendenti & candido.* Apocal. 21. v. 2. & 19. v. 8. Apposité ad institutum Petrus Damiani Ep. 102. *Babylonem sanè diabolus, Jerusalem inhabitat Christus; ille luxuriantis amictûs varietate reficitur, hic asperis & humilibus.* 391.

Doctor Gentium Ep. 1. ad Timoth. c. 2. sanctè instituit, normamque accuratam, quam Religiosæ prudentesque matronæ in vestitu ac incessu æmulentur, paucis his verbis præscribit: *mulieres in habitu ornato cum verecundiâ & sobrietate ornantes se.* En quomodo non interdicat iis cultum decori & honestati conditionis suæ consentaneum, sed verecundiam solùm exigat & moderationem, quod Hugo Cardinalis observat, inquiens: *ecce ornatus mulierum, scilicet Religiosus habitus, verecundus multus, sobrius pastus; & aliarum virtutum ornatus.* Nimirum matronæ, quæ *in publicum* comparent amictu modesto ac statum decenti plurimum inde ornantur, quæ verò cerussâ & stibio se comunt & affectatas vestium formas ostentant, vilescunt ac deformantur. Quod Esthius in allegatum Pauli locum adnotat: *habitum ornatum, intellige modestum & moderatum, & qui deceat mulieres: nam quod decet, id demum ornat, quod verò dedecet, deturpat.* Unde Divus Joann: Chrysostomus hom. 8. in Timoth. 2. ad Virg. deflectens, optat in iis simplicem quandam externi cultûs incuriam, & politiem minùs artificiosam, eò quod neglectus ejusmodi exterior testimonium præbeat munditiæ interioris. Ita 392.

astris eleganter conserta, alia floribus & omne genus fructibus exquisitè conspersa, & addit Catullus per imagines Vestimentis adjectis, veluti per totidem symbola, majores nostros exprimere voluisse insignia gesta & virtutes Heroum:

Hæc vestis priscis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte. in nupt. Pelei, &c.

397. Sed agite Vos Canonici, & his exemplis provocati unà cum sacris vestibus *induimini Dominum JEsum Christum*: & eo, quod gestatis, indumento ex lanâ linoque contexto, exprimite puritatem, sanctitatem, macerationem carnis, patientiam, cæterasque virtutes Salvatoris. Vestimenta vestra sint candida velut lilia, ut in ijs agnoscatur lilium illud Convallium sanè mundissimum: sint concinnata è puriori lanâ ad exhibendam innocentiam illius agni, qui abstulit peccata Mundi: ostendant albedinem nivium, & date operam ut totus Mundus ex vobis intelligat prærogativas Divini vestri Magistri, cujus vestimenta *facta sunt alba sicut nix.* Matth. 7. v. 2. hâc profectò ratione si vos gesseritis, Religiosus habitus instar pellucidæ crystalli pandet mortalium oculis internam vestram munditiam, & synceritatem affectuum: cunctisque palam fiet, quod *non affectatis vestibus placere, sed moribus.*

398. Gemini, quos flagrantior charitas occupaverat, Apostoli Petrus & Joannes curriculo ad sepulchrum Redemptoris contenderunt, verùm spe suâ frustrati, non Dominum sed mortualia solùm *invenerunt linteamina posita.* Joan: 20. v. 6. *& sudarium seorsim involutum & plicatum*: ait Hugo Card. Liceat mihi prodere quam reflexionem formatim, dum hoc mysterium mente iteratò volutavi. Paucis abhinc annis observatum fuit, nescio quos Religiosos manibus terere strophiola lepidè plicata, & Canonicorum Roccheta, & multos Monachorum cucullos superstitiosâ inanique diligentiâ tam nitidé apparatos, ut ubi Religiosi credebant se laudem & æstimationem ex munditie politieque venaturos, à sæcularibus vanitatis damnarentur, non absque indignatione & scandalo: quæ, malum! inquiunt, hæc væsania! isti nuntium misêre Mundo, valedixerunt ejus pompis, & tantâ jam contentione vanitates sectantur? & magni haberi ambiunt ex ornatu futili? Vestis linea & macerata pœnitentiam repræsentet, atratus cucullus squalorem mortis exhibeat, & isti superbire inde velint, seque magnificè circumspiciant? Nunquid hoc est *delicias in cilicio quærere?* Interea nos sæculares Petro & Jo-


& Joanni haud absimiles, dum advertimus in ejus generis Religiosis *linteamina posita & sudarium plicatum*, Roccheta plicata & cucullos scitissimè accomodatos, justâ ratione suspicari possumus, non adesse JESUM, neque interiorem animæ statum ritè compositum esse, cùm omnis cura externo impendatur cultui, & animi modestia per puram vestium simplicitatem transluceat.

Quid dicemus nos ad hujusmodi mundanorum hominum crisin, ô Religiosi? profectò vix abnuere possumus, solido eos niti fundamento, quod S. P. Augustin. ser. 18. de Verb. Ap. non parum corroboravit ingenuâ hac confessione: *exterioris hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò sunt interioris majora detrimenta: quantò autem minus appetuntur, tantò magis moribus pulchris homo adornatur.* Quasi non satis conciliari queant cultus corporis & animæ, sed unius incrementum sit imminutio alterius: unde pronum sit conjicere, quò modestior, simplicior, & moderatior est vestitus exterius, tantò præstantioribus excellere animam Virtutum ornamentis. 399.

S. Joan: Chrysostomus perpendens historiam Epulonis, qui vanarum vestium copiæ avidissimus *induebatur purpurâ & bysso.* Luc. 16. v. 19. & huic luxui adjungens lautitias conviviorum, *epulabatur quotidie splendidè,* miram agnoscit symetriam inter apparatum mensæ, & fastum indumentorum, concluditque os aureum hom. 1. de divite: *secundum vestimenta ita & epulæ*: inde mox deflectens ad nos subjungit: *ergo & nobis, quales epulæ, talia & vestimenta.* Cujus saluberrimo monito non possum non adstipulari, & alloqui Religiosos omnes, præcipuè Canonicos Regulares, qui pari cæteris Religionibus, si non multis majori parcitate, sobrietate ac determinatâ diætâ pascuntur. At verò si victus noster status est parcus ac tenuis, consequitur etiam vestes debere simplices esse ac moderatas: lana & linum contegant corpus, non ambitioni velificent. Sinamus Magnates sæculi frui laboribus bombycum & sericis ornari; Canonico Regulari linum sufficiat, quod diximus, à DEO electæ suæ Sponsæ *datum, ut cooperiat se byssino splendenti & candido.* Apocal. 19. v. 8. Candidus sit amictus noster, & internam denotet puritatem ac innocentiam, sit pace meâ etiam splendidus, sed qui radios vibret, & fideles in amorem sanctæ munditiæ pelliciat. Agedum mi Canonice, ut coronidem imponam cum Salomone Eccles. 9. v. 8. *omni tempore sint vestimenta tua candida*: Cura, ut candorem illum per vitæ decursum serves illibatum, & eximium à vermibus libidinum, ab obfuscatione odiorum, à fumo superbiæ: atque, si loqui placeat cum Hu- 400.

gone

gone Card. *omni tempore*, id est, *adversitatis & prosperitatis*, omnisque status varietatis, *sint vestimenta tua candida*, *id est*, *conversatio tua exterior scilicet gestus, habitus, ingressus, status, silentium, locutio & cætera opera tua sint candida candore virtutum, & innocentiâ, sint candida castitate & puritate sine maculâ.* Quo pacto prudentiores Religiosi digni evadent mercede retributionis æternæ, Divinæque attestationis: *non inquinaverunt vestimenta sua.* Apoc. 3. v. 4. & ideò *ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*



Ex

CAPITE V.

Quando proceditis, simul ambulate, cùm veneritis, quò itis, simul state.

Religiosi absque socio non egrediantur Monasterio.

DISCURSUS XLI.

401. MErcurius, è Planetarum numero, quibus veluti nobilissimis gemmis Divina Providentia cælestem arcum distinxit, ferè nunquam mortales oculos incurrit. Peragit is cursum suum cum Sole, & cujus viciniâ copioso lumine obtegitur, & splendorem proprium lubenter sub auream lampadem prodigiosi syderum principis abdit, à quo nunquam longius divertit: unde hoc lemmate insignitur: *nunquam procul à Sole:* hanc Mercurij proprietatem expendentes Viri litterati, volunt cultiora ingenia exemplo Mercurij perpetim adjungenda esse majestati Principis, qui Sol quidam est populorum, ad majora ex eâ conjunctione sibi emolumenta

menta haurienda; præterea decere prudentiam & eruditionem politicam arctiori nexu Principi adhærere, quàm Mercurium Soli, à quo nullo tempore se sinit separari: denique astrum illud Sapientiæ Symbolum docere, Sapientes è conspectu hominum se subducere, ac in DEO defixos flocci facere plausum Mundi. Quantum ad me, arbitror, quod sicut duo illi Planetæ, Apollo & Mercurius, non confines modò, sed individui Comites unà portam Orientis egrediuntur, & amplissimum cælestem ambitum emensi, unà fœdere indissoluto ad occasum declinant, ita perfecti Religiosi, dum exeundum est domo, & foris negotia pertractanda, luminosum Mercurium & præfulgentem æmulati Apollinem incedere debeant associati, quod profectò vehementer urgere S. P. Augustinus modò videtur, disertè præscribens. *Quando proceditis, simul ambulate, cùm veneritis, quò itis, simul state.* Et iterum: *neque eant ad balnea, sive quocunque ire necesse fuerit, minus quàm duo vel tres.* Consonant apertè nostræ Constitutiones 1. p. c. 34. *Nullus sine Patris licentiâ, nec sine Socio à Monasterio exeat, &c.* Quam Regulam pluribus jam enucleare proposui.

Monasteria, ut ab his exordiar, jam inde à priscis sæculis traxerunt originem, & semper à prudentioribus censebantur asyla eorum, qui corruptelam sæculi abominati, & sordes ac contaminationes malarum societatum exosi, solitudinem quæsierunt, aptam conservandæ interiori cordis munditiæ. Equidem si prima Religionis incunabula respicias, occurrent cavernæ ab Ecclesiâ inhabitatæ, horrida deserta Joannis, & alia feris magis, quàm hominibus nata domicilia. Verùm lapsu temporis ad formam tum elegantiorem, tùm convenientiorem perducta fuerunt habitacula Religiosorum, ut essent veluti turres ad Sacram illam militiam adversus invisibiles hostes propugnandam: portus ad recipiendas animas furori ventorum & vitiosarum tempestatum ereptas, vivaria ad mortem æternam ab alumnis suis procul amandandam; nidi, in quibus pullulant pennæ ad volatum olim in paradysum usque feliciter continuandum. Ut autem Præsides & Spiritualis Vitæ Magistri in Monasteriis subditorum saluti abundè prospicerent, nunquam, vel admodum raro egredi permittebant, atque eo eventu socium addebant, moribus probatis, qui tutelaris Angeli vices subiret ac defensaret, inter strepitum civitatis, & frequentiam sæcularium. Hoc sensu inter Græcos Pachomius in suis Regulis numero 47. cavet: *nullus neque ambulandi in Monasterio, neque extra murum monasterij procedendi habeat facultatem, nisi interrogaverit Præpositum & ille concesserit.* Et S. Basilius ser. 1. de instit. 402.

 Mon.

Mon. *cùm aliquâ de causâ necesse fuerit, in publicum prodire, Antistitis arbitrium sit, eos ad hoc deligere, quos idoneos, qui prodeant, ipse judicaverit.* Inter Latinos verò B. Benedictus c. 67. Reg. gravissimam statuit pœnam illi, quicunque sit, *qui præsumpserit claustra monasterij egredi, vel quocunque ire, vel quippiam, quamvis parvum sine Abbatis jussione facere.* S. item Isidorus Reg. c. 23. *Nullus Monachus inconsulto Abbate audeat uspiam progredi, nec aliquid præsumere sine imperio ejus, scilicet Præpositi.* Et tandem Justinianus Imperator sermonem faciens de Monasteriorum janitoribus & custodibus Novell. Const. 133. sanxit: *neque ipsos Reverendissimos Monachos permittant sine Præsulis voluntate monasterio egredi, sed intus eos contineant, &c.* Porro eandem Canonicis Regularibus adhiberi cautelam constat expressè ex Concilio Eboracensi Anglicano, hunc canonem pro iis apud Baron. T. 12. Ann. 1194. statuente: *Decernimus, ne extra monasteria sine certâ & rationabili causâ, nec absque Societate, cujus certa sit honestas, & indubitata, proficiscantur.*

403. Atque ut fatear, quod res est, non levis momenti causæ moverunt Sanctos illos Legislatores, ut subditis suis Religiosis præciperent, ne absque comite assignato prodeambularent: quoniam ex unâ parte authenticum Supremi Numinis testimonium jacet ob oculos: *non est bonum hominem esse solum.* Gen. 2. v. 18. Ex alterâ parte luculentum est effatum Salomonis, Eccles. 4. v. 9. *Melius est, duos esse simul quàm unum; habent enim emolumentum Societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* Infelicem illum, qui ab omni societatis subsidio elongatus est: quippe compactus ex merâ fragilitate ac miseriis in momenta variis patet incursionibus, & afflictus prosternetur. Si contra illum insurgant elementa, si hostes insiliant, si feræ truculentæ invadant, si corporis infirmitas aggrediatur, unde speret suppetias? Quis auxiliatrices porrigat manus? homo solus vix dimidium valet hominem: hinc fertur in diverbio: *unus Vir, nullus Vir.* Et pro certo affirmat Alciatus Embl. 41. *unum nihil, duos plurimum posse.* Vicinitas alterius inter terrores animat, in oppressionibus sublevat, in dubiis consulit, ex periculis eripit, in adversâ valetudine succurrit, & variis in eventibus amanter benefacit, juvat & corroborat. Hinc graphicè pronunciavit Sapiens. Prov. 18. v. 19. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.*

404. Nec dubitandum, quin eandem ob causam amantissimus nostræ salutis Vindex, cùm suos discipulos ablegaret animas venatum, variasque provincias & regna peragrare juberet, neminem destinarit singillatim,

tim, sed cuilibet socium assignarit: *misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum.* Lucæ 10. v. 1. Ac si diceret, perparum refert, quod peregrè mittantur absque armis, quæ defendant, absque pecuniis, quæ necessaria vitæ adminicula subministrent, absque annonâ, quâ nutriantur, dummodo constanter pergant associati: solum illud robur consortium adjiciet veritati ab eis promulgatæ, fidemque merebitur. Charitatem existimavit Gregorius M. hom. 17. in Evang. exigere quoddam sodalitium, nec satis unico corde constringi: *minus quàm inter duos haberi charitas non potest*: at verò si socius adhæreat lateri, & charitas in eum ceu rutilans fax radios derivare liberaliter queat, vires suas exerit, & splendore suo in obsequium Crucifixi DEI permovebit Mundum. Unde Apostolici Viri, cujusmodi esse debent Regulares Canonici, addiscant nusquam circumvagari sine adjuncto Religioso comite, quo populi videant exemplar charitatis & modestiæ, & ipsi reciproco tali auxilio sanctam intentionem effectam dare, & heroicis functionibus aliis prælucere valeant: ut enim agnovit Aristoteles 8. moral. Nic. *pariter si duo iter faciunt, & majora mente concipere, & plura conficere poterunt.*

Cæterùm quod Filius DEI redegit in praxin, in theoriâ, seu potius figurâ, dudum ante Pater æternus præmonstravit. Duas notatu dignas circumstantias in arcâ testamenti & propitiatorio exegit, ut formarentur ex purissimo auro, utrinque ad latera duo Cherubini, qui *respiciant se mutuò, versis vultibus in propitiatorium.* Exodi 25. v. 20. Si Cherubini Religiosos denotant, servitio DEI, templi, tabernaculi & altari jugiter consecratos, facilè datur intelligi, quâ mutuâ charitate flagrare debeant, nam sicut odium in causâ est, ut ægrè sustineatur Vox vel adspectus adversarij: *quos odio habens*, scribit Chrysost. hom. 66. in Joan: *nec vocem quidem audire, nec vultum eorum videre æquo animo patimur*; Ita è diametro Religiosi, per Cherubinos significati, indesinenter se invicem observent, quò sanè indubitatam fidem facient synceræ charitatis & latentis fraterni affectûs. Nec frustra gemini illi Cherubini sunt elaborati ex auro, inquit S. P. N. August. quæst. 105. in Exod. sed tales *ideo duo sunt, ut societatem charitatis commendent.* Quod egregiè in DEI servis elucet, nonsolùm coram sanctuario & altari, verùm etiam, cùm foras prodeunt, modestâ concordiâ sibi conjuncti, ut neuter pacem violet, neuter alterius conspectum fugiat, neuter præsentiam fratris fastidiat, vel horreat, nec aliorsum solus divertat; sed simul exierunt, simul commorati sunt, simul ad monasterium revertuntur, ad ædificationem popu- 405.

 li, ho-

li, honorem mutuum & gloriam DEI immortalis : & S. August. probabit obedientiam, quam sollicitè quæsivit, dicens : *quando proceditis, simul ambulate, cùm veneritis, quò itis, simul state.*

406. Superfluum duco in confirmationem afferre solertiam Ethnicorum in plurium procurandâ conjunctione, ad consilia majora felici eventu terminanda: ita Homerus Diomedi, bellicoso juveni, associavit Ulyssem, Virum multâ præditum facundiâ, nec minore rerum experientiâ & consilio vaferrimum, ut junctis viribus Trojanorum everterent consilia & urbem expugnarent ; ita Virgilius Æneæ fortissimo Achatem dedit comitem individuum ; ita Torquatus memorat, à Rege Ægypti destinatos fuisse ad Goffredum nuntios Aletem & Argantem, ambos famâ celeberrimos, alterum ingenio felicem, alterum manu cumprimis strenuum. Sed mitto Gentiles, cum sacra pagina satis testatum faciat, rebus magnis expediendis neminem facilè sine arbitro vel adjutore se accinxisse. Abraham extorris à patrio solo nepotem suum Loth sibi peregrinationis socium adscivit. Moyses, cùm Pharaonem adiret, populum suum in libertatem asserturus, non passus est Aaronem fratrem suum à latere suo recedere. Israëlitæ in terram promissionis fuerunt introducti, præeuntibus Josuâ & Caleb. Decretum erat mittere, qui civitatem infidelium explorarent, & duo fuêre selecti ex omni populo. Jonathas, armis & bellicâ virtute excellens, constituit in castra Philistinorum irruere, & vocavit adolescentem armigerum suum socium & adjutorem consiliorum, & periculorum, quin etiam gloriæ participem. Tobias junior, quò securius iniret suum iter, omnem industriam adhibuit pater, ut fidelem adjungeret Ductorem, seu comitem. Judith, in aciem Holofernis egressa, fidam famulam nunquam à se dimisit. Esther conspectum Assueri subiit duabus ancillis comitantibus. Matathias vivo animatus Zelo, ut regimen Judææ consultè instrueret, duos delegit filios, Simonem consilio & prudentiâ eximium, deinde Judam Heroem fortissimum. Pariter in lege gratiæ commendatum reperimus consortium plurium : Joannes Baptista duos discipulorum ad Salvatorem misit. Verbum incarnatum geminos designavit Apostolos, qui jumentum solutum adducerent & mensam Paschatis præpararent. Petrus & Joannes unà cucurrerunt ad monumentum Redemptoris ab inferis resuscitati. Iidem Petrus & Joannes unà ad templum adscenderunt oratum. Cleophas emensus est iter illud Jerosolymis versus Emaus, stipatus à condiscipulo. Saulus & Barnabas expressim, jubente ita DEO, dum labori Evangelio insisterent, & terras peragrarent, sese ubique comitabantur.

His

His & similibus laudatissimis exemplis inhæret S. Augustinus ac in Regulâ paternè præcipit: *quando proceditis, simul ambulate, cùm veneritis, quò itis simul state, neque eant, quocunque ire necesse fuerit, minùs quàm duo vel tres.*

Atque ut fateamur, quod res est, maximo semper momento simul 407.
ac emolumento fuit Religiosis præsentia socij, sive bona spectentur,
quæ ubertim confert, sive mala, quæ avertit: nam testimonium imprimis perhibet authenticum de actionibus nostris quibuscunque, ut Mundo probentur ac magni fiant: plura etiam propulsat incommoda. Si enim magnus ille Ethices Magister solitudinem nuncupavit pessimam consultricem, qua suadente vel impellente, laxatis cupiditati habenis in enormia ruamus vitia: *omnia*, inquit Ep. 25. *nobis mala solitudo persuadet*: Si Authore Gregorio M. indicium est minimè obscurum, sequioris notæ Religiosum esse, qui contra Ordinis instituta solus absque socio per urbis compita vagatur: *cognoscimus*, ait lib. 10. Ep. 22. ad Constantin. *quia, qui sine teste ambulat, rectè non vivat.* Si præstantissimus Mediolanensium Antistes, Carolus Borromæus, cæteroquin obvios humanissimè salutare solitus, nullo alloquio dignatus est Regulares Viros, Religioso comite destitutos, quod Religionis opprobrium crederet, negligi observationem tanti semper ab optimis rerum arbitris æstimatam; hinc sanè apparet, prospici Religiosorum honori, fidei & auctoritati per consortium fratrum, vel comitatum Religiosi alterius. Accedit, quod in ejusmodi societate fervor spiritûs invicem communicetur; & ubi adhæret lateri fax virtutum, etiam inter sæculi umbras prælucear, ac dirigat per semitam perfectionis. Quodsi cor obduratum rigeret instar glaciei vel saxi, emolliet tamen lingua devoti Comitis, cujus lingua velut animatum quoddam igniarium scintillas ardentium evibrabit affectuum, & cor inflammabit charitate syncerâ.

Non est igitur, cur revocetur in dubium, quod Seneca Ep. 25. edi- 408.
xit: *prodest sine dubio custodem sibi imposuisse, & habere, quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis judices.* Nec dissonat documentum Epicuri: *sic fac omnia tanquam spectet aliquis.* Sed quantò luculentius consequetur beneficium Religiosus, qui non inani duntaxat phantasmate præsentem sibi virum virtute ac Sapientiâ spectabilem fingit, sed re ipsâ ad latus contuetur, & sub conspectu ambulat viri puritate vitæ, morumque incorruptorum claritate illustris? Certe præsentia talis vitiorum larvas dispellit, & animum Religiosum ad meliora incitat: *Magna pars peccatorum tollitur*, dicebat Stoicus Ep. 11. *si peccaturis testis assistat.*

Idcirco sub oculis ejuscemodi testes immunes vivetis à contagione criminum, & laudabilis vitæ sanctitatisque prærogativas brevi negotio assequemini.

409. Unde Lucius Papa scribit Ep. 1. *constitutum habemus, ut semper testes vobiscum Sacerdotes & Diaconos habeatis, & licet conscientia sufficere possit propria, tamen propter malevolos, juxta Apostolum etiam testimonium, vos oportet habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Tunc enim ritè vita nostra gubernabitur, si ita fungemur muniis nostris, ut oculos & censuram servorum DEI non reformidare debeamus, sed iis familiariter utamur, ut testibus simul ac adjutoribus. Licet verò bona conscientia sufficiat nobis, contra Satyras tamen & crises malevolorum firmum est vallum, si testimonio protegamur proximorum. Hâc unâ incessit laudatus Cardinalis Borromæus, ut refert Joh: Petrus Gluss. l. 2. Vit. c. 3. Selegit duos Sacerdotes eruditione ac Sanctitate conspicuos, qui diu noctuque assisterent, actuum, morumque locupletes *testes*, & ubique servirent velut Censores, directores ac Magistri. Agnes quoque purissima Virgo sub inspectione Angeli, qui adspectabilem se præbebat, custodem juxta ac testem heroico animo devicit proritamenta scelerum, & mirâ agilitate ad apicem perfectionis ferebatur: nunquam immemor, quod semel pronunciabat: *mecum enim habeo custodem corporis mei Angelum Domini.* Haud aliter Religiosus quilibet suspiciens comitem à Prælato sibi assignatum in eo revereri potest, vel testimonium S. Carolo familiare, vel tutelam Divæ Agneti proficuam: quo pacto, triumphatis vitiis, eximium in spirituali vitâ capiet incrementum.

410. Concludam discursum hunc similitudine, si corticem spectes, humilis illa, si verò medullam inspicias, haud quaquam contemnenda. Si forte videatis Restionem gyrare suam rotam, funibus texendis intentum, advertetis duos vel tres tenues funiculos assiduâ volutatione intortos *ita* coalescere, ut licet singillatim debiles fuerint ac imperfecti, junctim tamen nanciscantur robur prorsus solidum, & usibus humanis aptissimum; hinc lemma nonnemo addidit: *junguntur ad opus*: sive ut aliis placet: *unione robur.* Ecce vobis Symbolum Augustiniani dogmatis ac præcepti? ne separentur alumni sui, sed potiùs firmissimè conjungantur: *neque eant, quocunque ire necessitas fuerit, minus quàm duo vel tres*: optimè namque monuit Sapiens Eccl. 4. v. 12. *funiculus triplex difficile rumpitur.* Duo tresvé Religiosi vinculo charitatis constricti, & sanctâ quadam Societate uniti, expugnabunt invicto animi robore quamcunque obversantem malitiam, & potentiam, evadentque Victores digni palmâ immarcescibili, & coronâ sempiternæ, gloriosæque mercedis. Ex

Ex

CAPITE V.

In incessu, statu, habitu & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem.

Religiosi cohibeant Oculos, Linguam frænent, gravitatem præseferant.

DISCURSUS XLII.

EAs prærogativas dotesque liberalis natura impertivit equo generoso, ut cæteris animantibus facile palmam præripere, & possessorem suum felicem posset reddere: corde nutrit heroicos Spiritus, saliunt venæ, fibræ micant, & scintillæ oculis vibrantur. Congrediendum est acie, sævumque prælium committendum? Arduus sese in hostes infert equus: devictis hostibus triumphandum? Pompam magnificè exornat superbus equus. Idem in exequiis hero suo allachrymatur, qui Victori suo applaudere amabat. Invictus duritie ferri moderanti fræno cedere solet ac dirigi, ut diverbio dicimus, filo serico, dum agitatur à perito equisone in catadromo, ubi complures equidem generosos saltus designat, nunquam tamen præscriptos limites excedit; unde merito tulit epigraphem: *exilio, non transilio.* Si Religiosi, cæterique famuli DEI in sacrâ paginâ indigetantur: *equi rufi, varij & albi*. Zach. 1. v. 8. equi nunc parati ad impugnandum Mundum, carnem & dæmonem, nunc alacres ad Sanctam fidem, velut in curru triumphali per plagas terrarum circumducendam, ij profecto, cæteroquin ad nutum obedire Domino Exercituum assueti, tantâ opera sua perficere debent accuratione, ut licet præservidum sinu suo Spiritum alant, *in incessu tamen, statu, habitu & omnibus motibus* congruæ non transiliant modestiæ limitem, sed ita se moderentur, 411.

ut ni-

ut nihil fiat, quod cujusquam offendat adspectum, &c. quia verò discretè S. Augustinus l. de S. Virg. c. 6. postulat: *non sit improbus vultus, non vagi oculi, non infranis lingua, non scurrilis jocus,* &c. Non abs re fore judicavi, si pluribus in præsens comprobare niterer, Religiosam modestiam relucere præcipuè in oculis, linguâ & reliquis corporis externis actionibus.

412. Modestia, quam commendatum eo, virtus est affinis temperantiæ, atque, ut Tullius & Augustinus monent, *à modo dicta*, ita moderans functiones nostras, ne temere impingant in alterutrum extremorum. Sicuti autem B. Paulus Sanctam quandam lætitiam justis indulget: *gaudete in Domino semper.* Philipp. 4. v. 7. eam tamen condiendam suadet cautâ moderatione: *modestia*, inquit, *vestra nota sit omnibus hominibus:* quem locum Angelicus Thomas ita interpretatur: *quasi dicat, ita sit moderatum gaudium vestrum, quod non vertatur in dissolutionem.* Eodem modo Augustinus non prohibet alumnis suis commercium omne cum hominibus, sed cupit eos ire, stare, conversari sedulâ oculorum & linguæ custodiâ, ut *nihil fiat, quod cujusquam offendat adspectum.*

413. Ordiamur ab oculis: Religiosi perfectiores, ni animi fallor, egregiè per mirabiles illos Seraphinos ab Isaiâ c. 6. propositos delineantur: illi toti quanti inflammati erant, ac ardentes, isti amore DEI & proximi succensi fervent; illi perpetim assistebant Throno Supremi Numinis: isti continuum præstant famulatum templo DEI, tabernaculo & altari. Illi alternatim ineffabilem Domini sanctitatem & gloriam celebrabant, isti nunquam desistunt laudes Creatoris in Psalmis & hymnis concinere, illi eodem simul tempore volabant & stabant Isaiæ 6. v. 2. Eandem in Clericis & Canonicis suis habilitatem quærit S. Augustinus, dicens: *in incessu, statu,* &c. Sed caput rei est, quod sicut illi sex alis instructi, duas, ut septuaginta ajunt interpretes, levabant in modum velaminis & tegumenti oculorum, *duabus velabant facies suas*, ita Magnus noster Patriarcha velit Religiosos suos modestiæ velo uti oculosque probè custoditos tenere: *non vagi sint oculi:* ut aversi à Mundi vanitatibus & officiis liberius in summo Bono per æternam felicitatem defigantur.

414. Porrò virtutem modestiæ in Seraphinis adumbratam, manifestiùs Rebecca effectam dedit. Isaaco nuptum collocanda, quum peregrè adduceretur, statim atque eminus Sponsum conspexit, pallium detraxit humeris, & faciem oculosque modestissimè obvelavit: *tollens citò pallium, operuit se.* Gen. 24. v. 64. eoque pacto prudentissima illa Virgo magis specta-

ſpectabilis evaſit, dum abſcondit vultum, ne libero pateret adſpectui, & ſuavius in ſe advertit dilectiſſimi Sponſi Oculos, quos præ modeſtiâ ſubire tergiverſabatur: Qua de re Ambroſius l. 1. de Abraham c. 9. relatus can. nec illud 30. q. 5. *caput ſuum*, inquit, *obnubere cæpit, docens verecundiam.* Tertullianus quoque meminit lib. de vel. Virg. apud Ethnicos morem tenuiſſe, ut Sponſæ velatæ deducerentur in ædes mariti, quod Prudentius affirmat. 1. ad Symachum:

Sunt & Virginibus pulcherrima præmia noſtris
Et pudor & ſancto tutus velamine vultus.

Si verò ad thalamum Sponſi Virgines ductæ fuerunt facie obvelatâ, minimè dubitandum eſt, Religioſas animas, quæ jugiter adſpirant ad nuptias cæleſtis agni, eâ felicitate pleniſſimè fruituras eſſe, ſi ſummo ſtudio inſtent obnubere velo modeſtiæ oculos, quò nempe, ſi pulchritudinem tranſitoriam & corruptibilem adſpernentur, ipſo omnis venuſtatis fonte uberiùs olim recreentur.

Verùm ſi factum Rebeccæ, velut radius cujuſdam minoris Stellæ, allicit nos ad inquiſitionem ejus virtutis, quantò majori vi excitabit nos ac impellet Filius Dei, Sol ille Myſticus, ac vivaciſſimus? Theophilactus premit attentius Verba Joan. c. 6. v. 5. *cùm ſublevaſſet oculos JESUS:* & ſuſpicatur, inſolitum quid Aquilam Evangeliſtarum in eâ circumſtantiâ auctiſſimis ſuis oculis obſervaſſe, ac denotare voluiſſe, quod nimirum Amabilis JESUS innumerâ hominum ſtipatus turbâ ſuſtulerit oculos, quos cæteroquin collectos & humi gravitate quâdam defixos *in inceſſu & ſtatu* tenere aſſolebat: impræſentiarum verò aſſeritur levâſſe oculos: *ut diſceremus, quod non ſolitus ſit hinc & inde vagari oculis, ſed compoſitus & attentus ſedere.* Neque hilum à Filio DEI deflectit Virgo Mater: hanc equidem ſub adſpectabili formâ Gabriel Archangelus ſalvere juſſit: *Ave gratiâ plena*: Lucæ 1. v. 28. illicò tamen ſubditur: *quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus.* Ita ſedulam piis contemplationibus & orationibus navabat operam, ut aures quidem Angelicis Verbis accommodaſſe perhibeatur, ſed neutiquam curioſos oculos paviſſe, vel vultum ejus arbitratam fuiſſe. Nec cognata Eliſabeth degeneraſſe noſcitur à Sanctâ hac, mirâque oculorum modeſtiâ: quippe ut Sacratiſſima Deoque fœta Virgo ac nobiliſſima Hoſpita ædes illius ingreſſa eſt, nihil memoratur de mutuo obtutu, ſed aurium duntaxat of- 415.

ficium celebratur: *ut audivit salutationum Mariæ Elisabeth, exclamavit voce magnâ.* Luc. 1. v. 41. Ita fideles peculiarique Numinis obsequio mancipatæ animæ perpetuò invigilent oculorum custodiæ. Locupletem ejus rei & testem & arbitrum habemus Virginis alumnum, mellifluum Bernardum, qui integro die iter faciens secus ripam amœnissimi lacûs, nihil penitus de lacu observabat. S. Petrus de Alcantara complures annos paupertinam cellulam incoluit, nec unquam exploratum habuit, num parietes è coctis lateribus, vel saxis, calce, lutóve coägmentati essent. Quid dicam de te, Magne Concanonice Alberte de Altissimis, qui redux è solemni processione, Vicentiæ multis & magnificentissimis machinis celebratâ, rogantibus, quid nam præ reliquis arriserit, ingenuè confessus es, nihil te spectasse præter calceamenta Religiosorum proximè præcedentium.

416. Non perfunctoriè transeunda est narratio à S. Luca c. 18. consignata. Duo quidam unà ingrediuntur templum, postea successu multum dispari digressi: intrat igitur Pharisæus, strictissimè, judice se, legum Mosaicarum observans: subit pariter Publicanus, qui minimè diffitetur, se jura Divina humanaque impiè conculcasse: Attamen quod jure demiremur, corvus iste nigerrimus abit commutatus in puram ac deargentatam columbam, ille, vanissimus sanctitatis suæ ostentator discedit maledictione gravatus & confusione abominandus. En causam discriminis! arrogans ille fastuque turgidus Pharisæus extollebat in templo suas prærogativas despiciens *superbo Oculo.* Ps. 105. Publicanum dolore ac pœnitudine criminum repletum, qui ex adverso memor pessimè anteactæ vitæ supplices tendebat manus, cæterà demissimus *nolebat nec oculos ad Cælum levare.* Lucæ 18. v. 13. Vide sis ubi oculorum continentia cælos penetrat, DEUM flectit & liberalem gratiam ac mercedem adipiscitur, arrogantia & temeritas Pharisæi abjicitur & condemnatur: *Credite mihi,* infit B. Ambrosius l. 1. off. c. 18. *multum verecundia placet, multum conciliat gratia apud DEUM, nonne hæc prætulit publicanum, & commendavit eum, qui nec oculos audebat ad cælum levare?*

417. Manifestum est igitur, permagni referre gestus externos probè compositos esse, & oculorum frænationem plurimum conducere ad lumen gratiæ percipiendum, splendoresque Sanctorum promerendos, ut providè caverit S. Augustinus ne filij sui, ubique locorum *in incessu, statu,* &c. licenter explorarent obvia quæque, sed potius satagerent aliis disciplinæ esse & sollicitè attendere, *ne vagi sint Oculi,* sequitur porro, *non infrænis sit lingua.* Nec facile dictu est, quanti sit momenti, quamque

que necessarium Religiosis quibuscunque linguam modestè coërcere, nec verba, ut in buccam veniunt, effutire. Nunquid auditis Psalten Regium: *Os justi meditabitur sapientiam, & Lingua ejus loquetur judicium.* Ps. 36. v. 30. Labia, inquit, hominis justi aliud non stillent, nisi favum Sapientiæ Divinæ; & Religiosorum linguæ non aliam colloquendi materiem seligant, nisi Sanctissima DEI judicia. Id quoque notari velim, in justo priùs exigi, ut Sapientiam meditetur, quàm Sermonem instituat de judiciis, nec enim convenit, illum fortuito vel aliud, quàm animo maturè conceperit, promere, sed potius verba subjicere limæ, antequam ad linguam devolvantur. Quemadmodum Pericles totâ Græciâ notissimus ille Orator, antequam in conventu omnium disputaret, orationem in accuratissimum revocabat examen, & minutatim ac gradatim periodos omnes, ac singulas propemodum voces expendebat ut resecaret, si verbulum quodpiam redundaret, vel moderaretur, si justo acerbius pungeret, ita Religiosus non debet proferre Sermonem, nisi quem acriori priùs crisi ac disquisitione probarit. Atque ut sæcularium quisque de suâ potissimum arte sermocinari amat, testante illo Poëtarum cygno:

Navita de ventis, de bobus tractat arator.

Nautæ confabulantur de ventorum rabie, æstu fluctuum, syderis polaris adspectu, felici portu; agricolæ de jumentis, satis & messibus; mercatores de officinis, negotiationibus, lucris; milites de armis, præliis, prædis; quid aliud effari maluit Religiosus in Scholâ virtutis enutritus, atque in Christianæ perfectionis palæstrâ exercitus, quàm præconia castitatis obedientiæ, charitatis, patientiæ, mortificationis, sanctique DEI timoris pariter ac amoris? Psalmista ingenuè profitetur: *Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me justificationes tuas, pronuntiabit lingua mea eloquium tuum.* Ps. 118. v. 171. Quippe ni etiam Religiosus exasse consecratus Divino famulatui mirabilia enarret de gloriâ sui Conditoris? Profectò, ut dixit Divus Ambrosius ser. 22. in Ps. 118. *Qui didicerit justitias Domini, loquitur Verbum DEI, otiosum Verbum non loquitur.* Foras exhalat fragrantiam Divinitatis, unde succensam intus animam fovet.

Nullis verbis sat exprimi potest, quantâ veneratione ac reverentiâ 418.
prosecuti fuerint Abrahamum Hethæi; licet omni modestiâ obsisteret, seque velut advenam & extraneum submitteret: nihilominus populi

 illi

illi honorarunt ceu Principem: *Audi nos Domine, Princeps DEI es apud nos.* Genes. 23. v. 6. Quomodo existimatis Abraham tantam sibi conciliasse auctoritatem & honoris affectum inter gentes idololatras & alioquin efferatas? Respondet doctissimus Philo lib. de nobilitate, id assecutum esse Patriarcham tùm majestate vultûs, tùm comitate motum, tùm sanctitate linguæ, quæ verbis suis meram Divinitatem spirabat: *Honorabant,* inquit, *eum quasi suum Principem suspicientes ingenium augustius humano fastigio, nec enim sermonibus utebatur vulgaribus, sed Divinitatem quandam præseferentibus.* Si autem lingua Abrahæ verba DEI fundens, nescio quam divinitatis fidem promeruit, non minus potens & efficax procul dubio erit alloquium boni Religiosi; Cujus reverentiam à fidelibus etiam invitis vel non advertentibus extorquebit, si limites modestiæ non transgrediatur, sed instituatur de Sanctitate Vitæ, rebusque ac Mysteriis Divinis, jurabunt sæculares cor ejusmodi, domicilium esse DEI Sancti Sanctorum, Domini Virtutum, cujus organum sit ac mirabile instrumentum lingua adeò moderata.

419. Cùm salutis nostræ Vindex Christus Dominus Apostolis suis prænuntiaret tyrannidem & atrocia tormenta ipsis imminentia, subjunxit, ne animos propterea desponderent, neque admodum perhorrescerent, quod robur internum leonino fortius ac invincibilis quædam constantia nunquam defutura, sed cælitus esset sufficienda: quin etiam verba tunc temporis ab ipsis proferenda non tam humana fore, quàm Spiritûs Sancti opera efformata. *Non enim Vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in Vobis.* Matth. 10. v. 20. Quod vero Dominus de Apostolis asseruit, non sine singulari privilegio in Religiosis quoque adimpleri cernimus. Si lingua tua, ô famule DEI, ritè regitur, tuaque Verba professioni sacræ consentiant, applaudet populus, ac dicet: *non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Verum satis non est, quod hactenus de modestiâ oculorum & linguæ *in incessu & statu* disserui, opus est præterea circumspectâ moderatione *in omnibus motibus vestris,* quasi exigeret Augustinus ex Hugonis interpretatione; *ut sit in corde munditia, in vultu pudicitia, in incessu gravitas, status cùm reverentiâ, motus cùm maturitate.* Ita ut in omnibus nostris actionibus *resplendeat sanctitas, superemineat honestas, servetur humilitas.* Omnes gressus, gestus & motus maturitate decorentur, & bono sint exemplo. Digna Alberto M. est reflexio super illud Luc. c. 1. v. 40: *intravit Maria in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Quærit: quid causæ est, quod salutem non impertierit Zachariæ domus Domino? Eccur

Eccur denegat id obsequij, sacerdoti tanto, sanguine sibi conjuncto, felici Joannis Baptistæ parenti? Cur Virgo honorat Elisabetham: conjuge neglecto? *Quare non salutavit Zachariam?* priusquam huic quæstioni faciam satis, pace vestrâ referam, quod Turcis familiare esse perhibet Ricaut l. 1. c. 8. In aulâ Ottomannicâ inter alios innumeros Ministrorum Greges in obsequium magni Sultani consueverunt alere ad 40. Homines, omni usu linguæ auriumque privatos, qui tamen variis gestibus mirè docti sunt explicare non res solummodo familiares aut aliunde perspectas, sed exteras etiam historias & novos eventus, idque eâ dexteritate signorum, quantam vix alius quispiam linguæ officio imitetur; Addit verò historiographus, id genus hominum in Regiâ ad jocos, & scurriles lusus Sultani applicari, ut qui modò pedibus subjectis eos præcipitet & humi affligat, modò in Cisternas aquis repletas deturbet, modo invicem ridiculè collidat, ac ita stolidè tempus fallat. Salomon delineat motus & alias Corporis externas gesticulationes, unde conjiciat statum improbæ vitæ: *Homo apostata*, inquit, Proverb. 6. v. 12. *Vir inutilis graditur ore perverso, annuit Oculis, terit Pede, Digito loquitur.* Quod egregiè S. Georgius Nazianzenus illustrat exemplo Juliani eitiamdum juvenis, postmodum scelerati apostatæ: *Cervix*, scribit oratione secundâ contrà Julian. *non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, Oculus insolens & vagus furiosèq; intuens pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, risus petulantes & effranati*, notabantur, quod Sancto Viro pessimum omen fuerat, ut gemebundus exclamaret: *quale malum Romanorum terra nutrit?* Nunc verò, ut ad institutum revertatur Oratio, si nictare oculis, gyrare indecenter pupillas, palpebras semiclusas tenere, caput assiduè agitare, micare digitis, pedibus perstrepere, &c. Actiones sunt hominis vel scurrilis, vel leviculi, vel insani, ac ceriti, vel malitiosi ac dissoluti, nunquid Beatissima Virgo, idea omnis modestiæ, maturitatis atque prudentiæ ædes Zachariæ ingressa cum surdo & muto signis debuit agere, ut intelligeretur? Absit hoc cogitare; dedecuisset enim summam ejus conditionem; idcirco decori observans, Elisabetham affatur, dulcissimamque salutem dicit, ut Albertus concludit: *Non salutavit Zachariam, quia adhuc erat propter incredulitatem mutus & surdus; nec decebat pudorem Virgineum cum Viro nutibus signorum occupari.*

Si autem sacratissima Virgo in Zachariæ ædibus ab omni motuum 420.
nutuumque levitate abhorruit, quanto vos, Regulares Canonici, qui sub ejusdem Virginis protectione vitam transigitis, *in incessu, statu, &*

omnibus motibus vestris studio attendere decet, ut nihil fiat, quod cujusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem? Normam insignem præstituunt Constitutiones nostræ; quæ p. 1. c. 22. ita habent: *in omnibus actionibus appareat humilitas, caput non leviter moveatur, oculi ut plurimum sint demissi, vestes munda cum Religiosâ decentiâ, incessus moderatus, omnes gestus & motus ita compositi, ut cum maturitate & gravitate apud omnes ædificationem pariant.* Exemplum præbet Malachias, majus illud, ac lucidius Canonici Ordinis astrum, quo de S. Bernardus asserit, Argos etiam, & perspicacissimos Aristarchos deprehendisse nihil, non verbum otiosum, imò neque nutum minus ex rectâ ratione ordinatum: non Pedem movit, non Manum, nisi prudentia dictaret, adeo in incessu, adspectu, habitu, vultu omnia exactè composita erant. De S. Luciano Martyre Antiocheno prodit Lippelous 7. Jan. vultum illius miris resplenduisse radiis, & lucem internam foris emicuisse in Fronte, in Oculis, in Genis, & Linguâ; unde attoniti stupebant Gentiles, & recreati plaudebant Christiani. O Religiosi, quod in magno illo Sancto operata fuit gratia, renovet in vobis magna modestia, quæ fulgorem suum explicet in fronte, emittant Oculi lumen castitatis, adornentur genæ pudoris purpura, Vestimenta Religiosum decorem præseferant, lingua veluti charitatis lampas exardescat, & omnia Corporis membra radios quosdam internæ virtutis jaculentur, ut sæculares non inveniant, quod acriori perstringant censurâ, sed potiùs *videant opera vestra bona; & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*



Ex

Ex

CAPITE VI.

Oculi vestri, etsi jaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur.

Oculos fœminarum ferire simul ac incendere.

DISCURSUS XLIII.

Eâ animi contentione abdita naturæ rimatus est celeberrimus Plinius, ut vitam ipsam infausto pignore exponeret pro certiori reconditorum cognitione adipiscendâ; Accidit, ut Væsuvius, præterquam aliàs fureret violentiùs, & vasta incendia quaqua versum ejacularetur, ac circumjacentes provincias densi cineres, pumices etiam, nigroque & ambusti & fracti igne lapides sepelirent, non pectora solùm accolarum sed ipsa tellus insolitis quatiebatur tremoribus, at imperterritus consistit Plinius, & avidior investigandi causam propriam malorum, voluit à mancipiis suis, omni conatu susceptum consilium frustra dissuadentibus, deportari ad confinia faucium tetro fumo, sulphure ac flammis formidabilium, sed continuo crassiore caligine, turbine ac igneo correptus imbre suffocatur. Ita nimirum incautus papilio, propiùs æquo accessit ignem, & amissâ vitâ curiositatem luens extinctus est. Nimirum qui propter incredibilem eruditionem ingeniorum Phœnix habitus est, more Phænicis in flammis mortem oppetere debuit, & proprio facto corroborare, quod docuit Sapiens: *qui amat periculum, peribit in illo.* Væsuvium Æthnamque ardentem dicemus nos esse fœminam, quæ spargit è sinu, ex Oculis, ex ore immanes flammas, unde saluberrimum est consilium procul recedere; si verò ratio suadet, vel necessitas cogit aliquando propiùs conversari, compescere 421.

Ocu-

Oculos, nec in vultu illius defigere, ne vel flammas concipiamus libidinis, in cinerem redigendi, vel basilisci veneno inficiamur. Quæ causa movit Poëtam Christianum ut ita consuleret:

Quid facies, facies veneris cùm veneris ante?

Ne pereas per eas, ne sedeas, sed eas.

Nec longe diversa mens fuit S. P. Augustini, qui præcipiens in Regulâ: *Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nullam*; in memoriam revocare voluit monitum. Ecclesf. 1. c. 9. *propter Speciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit.* Quapropter avertamus Oculos à specie mulierum, quoniam in perniciem nostram vulnera inde, flammæque, ut demonstrare jam proposui, dimanant.

422. Et verò quis inficias iverit, sub palpebris veluti sub tentoriis bellicis latere amorem, duramque pugnam moliri incautis: esto innatent aquis oculi nostri, humore crystallino repleti, raro tamen prodigio flammas ejaculantur & ignivomas Sagittas. Globi per me dicantur Oculi Cælo haud absimiles, at multis consciscunt inferni tormenta. Certè non tam merentur titulum Stellarum fulgentium, quàm tristium Cometarum, qui tragicos eventus portendere consuevêre. Si Oculos advertitis supremâ locatos sede, mementote, monet Philostratus, referre speciem castrorum, quæ montium fastigiis imponuntur, ut acriori impetu lacessantur improvidi, & majora damna hostibus inferantur. Missiles hinc ignes jaciuntur, quæ viscera proximi depascantur, & corda etiam ære triplici obarmata subigant. Si Sanctos Patres placet auscultare, testis est Ambrosius, mulieres prostituti pudoris primum infligere vulnus adspectu, proximum linguæ blanditiis: *prima*, inquit Libro de Joseph. c. 5. *adultera oculorum tela sunt, secunda verborum.* S. Nilus Orat. 2. de luxuriâ docet ex oculis fœminæ tanquam ex pharetrâ venenatas dessilire Sagittas, quæ animas miserabili conficiant ictu & turpiter prosternant: *Mulierum adspectus Sagitta veneno illita quæ ferit animum & venenum immittit.*

423. Experimento id suo didicit, & palam testatus Sponsus in Sacris Canticis, se Oculis dilectæ sauciatum fuisse ac transfixum: *Vulnerasti Cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti Cor meum in uno Oculorum tuorum.* Sive, ut Vatablus legit: *abstulisti mihi Cor.* Vel ut Rabbi David traducit:

cit: *transfixisti mihi Cor.* Aut ex Arabico: *inflammasti Corda nostra:* quasi diceret: O electa, aspectus tuus non adspectus, sed teli jactus est, supercilia tua arcum tendunt, & acutissimis Cor meum trajiciunt Sagittis, obtutus unicus scintillis vibrat, meque penitus inflammat, quo sensu *Musæus* de Herone & Leandro:

Pulcbritudo celebris immaculatæ feminæ
Acutior hominibus est veloce Sagittâ;
Oculus verò Via est, ab Oculi ictibus
Vulnus delabitur, & in præcordia Viri manet.

Cumprimis tragicum est, quod proditur in gestis Francorum de Henrico Rege secundo, qui pacem, cum Philippo secundo Hispaniarum Monarchâ feliciter stabilitam, duplici nuptiarum solemnitate obsignavit, propriam filiam maximo illi Regi nuptui tradens, & Sororem suam Philiberto Sabaudo desponsans. Nuptialia Philippi cum Elisabethâ incredibili apparatu Parisiis celebrata sunt, omnibusque lætitiæ institutis peracta. Inter totius Galliæ Proceres primas tenuit ipse Henricus Rex, fortissimos quosque provocans, & jam tertium vibratis lanceis congressus: Jamque equitis coronas imponenda esset, agedum, inquiebat ad Comitem Mongomerium Regiæ custodiæ præfectum, in honorem Philiberti adhuc semel congrediamur: ille recusare non ausus, infausto successu paruit, nam dissilientis hastæ fragmento per galeæ hiatum adacto, dextrum Regis Oculum transfixit gravissimè, ut undecimo post die magno totius regni planctu occumberet. Ita applausus Hymenæi mortualis catastrophe terminavit, ita florentissimi regni columna (quis unquam credidisset?) per festucam afflicta est humi, & gaudium universale amarissimus luctus occupavit. Verum quod eo casu lancea effecit Martis, dicamus frequenter evenire armis & telis ab arcu seu pupillis ludibundæ Veneris extortis: Ista namque ardentes emittit Sagittas, & sauciat non Oculos duntaxat infelicium amatorum, sed Cor & intimas medullas transfigit, attestante Nonno Dionys. l. 35. 424.

Non tantùm præliatur armatura Martis, non tantùm cuspides
Homines vulnerant, quantum feriunt Oculi.

Luculentum veritatis hujus specimen præbent famosi illi duo pro- 425.

vectioris malitiæ quàm ætatis senes à Daniele c. 13. descripti: qui Sapientiæ ac prudentiæ adultiori prætextu in Judices assumpti, culpam suæ libidinis inter condemnatos reos luerunt. Lumen intellectûs ita tenebris obvolutum est, ut quorum erat officium, errantes reducere ad semitam Mosaicarum legum observationis, ipsi miserum in modum à virtutis tramite deflecterent. Infelices in ætate jamjam congelatâ, impuro igne conflagrarunt, & sub capillorum nivibus latuerunt incendia fœda pectoris, æstimati æquitatis norma, evaserunt extremæ perversitatis scandalum. Sed quis adeo intrans versum egit? Pulchritudo Susannæ, quæ candidissimum in se lilium illis facta est fuliginosus carbo. Liber obtutus læsit senium, & visu cupiditas fervuit, solo aspectu contaminati sunt ac denigrati. Vagantur Oculi, quò non debent, & animam in mare mortuum diræ Veneris protrusam scopulis allidunt exitij. *Videbant eam senes quotidie ingredientem & deambulantem*: Daniel. 13. v. 8. Ecce tibi lubricum & periculum ruinæ ab Oculis derivatum, cùm munire debuissent Cor proprium, facti sunt exploratores hostiles, & animæ proditores: *quippe continuò exarserunt in concupiscentiam ejus & everterunt sensum suum*: damno confirmantes, quod cygnus ille cecinit: *uritq; videndo, fœmina*: Ita per oculos excitata sunt incendia viscerum, per Oculos excæcati fuêre ac dementati, cum dementia sit libidinis mantissa: una verò cum amissione luminis prudentiæ fecerunt jacturam famæ, honastatis, ac vitæ. Ita verissimum est, quod S. Cyprian. de singul. Cler. edixit: *de carbonibus scintillæ dissiliunt, & mulier fundit pestilentia concupiscentiam*. Et S. Gregor. Naz. in sent: *ignis stipulæ propinguus parum tuta res est, nihilo tutius, ô Monache, tibi fuerit mulierem Virginem contubernalem habere*. Quapropter, ô mei Canonici, totis viribus adspectum fugite fœminarum, alloquium declinate, familiaritatem horrete, ne lasciva fuligo affricetur, vel turpis flamma corripiatur: peramanter urget hoc consilium B. Nilus: *Cave ne diu ante Oculos Mulieris Species obverse tur, ne cupiditatis ignem accendat, & animæ tuæ arcam exurat*.

426. Excellentissimum ejusce rei habemus Magistrum in beato Job, qui discrimina, ex nitidiori formâ Mulieris, & Oris gratiâ oritura, ut evaderet, perpetuam legem indixit sibi, ne curiosiùs unquam Speciem sequioris sexûs arbitraretur: *pepigi fœdus cum Oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine*. Ecquis non miretur heroem, qui horrendum dæmonum aspectum leonino animo sustinuit, qui robore invicto spectra infernalia profligavit, sibi metuere ab imbecillâ fœminâ, & instar timidissimi

simi caniculi vel cervi etiam Oculos aliorsum deflectere: summamque Victoriæ in fugâ statuat? de quo S. Joh. Chrys. *Censebat nimirum in prælio contra dæmones virili & audaci animo opus, in continentiæ autem præparatione Victoriam concedi, non ex Virginum consuetudine, sed secessu.*

Nec latuit hæc maxima potentissimos sæculi Monarchas. Cyrus Persarum Rex, ut refert S. Antiochus hom. 20. de castit. quum miris encomiis celebraretur formæ venustas, qua excelleret tympanistria quædam: *ne videre quidem sustinuit:* ne impudico adspectu coinquinarentur Oculi. Carolus V. Austriacus multoties propriâ Manu fenestras occluserat, ne speciosiores Virgines, dum transirent, in Oculos incurrerent, & in corde minus castum forsan affectum excitarent. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, Regularis Canonicus, à Matronâ quapiam visitatus, tametsi benignè audiret, neutiquam tamen ne cursim Oculos in eâ figere voluit. Rutgerus, quidam discipulorum S. Francisci, eâ Oculorum modestiâ utebatur, ut *nunquam in fœminas etiam cognatas, quas alloqui necesse habebat, oculos converteret.* Quis satis deprædicet prodigiosam S. Petri de Alcantarâ continentiam Oculorum? Sæpius miscere debuit colloquia cum Dominâ quadam insigni suæ Religionis Benefactrice, nunquam tamen intueri præsumpsit, solitus per totum vitæ decursum maximè in præsentiâ fœminarum, Oculos tenere demissos & mortificatos: quam Oculorum moderationem magnâ energiâ Fratribus suis crebrò inculcabat: Porro cùm Superiorem ageret, sicut paterno affectu subditos etiam grandævos correxit, si forte hac in re suis partibus defuissent, ita nonnullis juniorum, etiam coram sæcularibus manum posuit super Oculos, quos minùs cautè circumductos notarat, unicè contestans, hac custodiâ & cautelâ cordis securitatem procurari. Cap. 10. Vit. 427.

Concludam suggerendo Prælatis omnibus consilium illud, quod Matrona non minùs prudentiâ, quàm castitate conspicua dedit Superiori Religiosorum Viro integerrimo, & recitat Cornel. à Lapid. in cap. 4. Cantic. v. 1. Is pro viribus, qua verbis & admonitionibus, quâ factis & exemplis institit, ut subditi sui Sacerdotes, confessarij & Divinorum Sacramentorum Ministri Oculos cohiberent, nec ullatenus obtutum in fœminis defigerent, vel familiaria cum iisdem colloquia instituerent, eò quod honestissima illa Matrona sanctè contestaretur, non esse Religiosum ullum eâ morum probitate ac constantiâ præditum, quem non confideret sese emollituram, perversuramque, dummodo per quadrantem horæ secum confabularetur, oculosque in se defixos teneret. Tantum 428.

inest fascinum Oculis fæminæ adversus Viri virtutem & constantiam: quapropter sollicitè cave sis, ô Religiosè, *ne respicias mulieris speciem.* Eccl. 25. v. 28. Ne pulchritudo illius lumine rationis te orbet, vel cordis medullam virulento telo adspectus transverberet, vel ignis depopulator viscera tua corripiat, sed quando etiam præter intentionem *Oculi vestri jaciantur in aliquam fæminarum, in nullam figantur.*



Ex

CAPITE VI.

Et si lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest?

Timendum esse Judicem illum, qui cernit omnia.

DISCURSUS XLIV.

429. SOl Planetarum Princeps, & scatutigo luminis aureos & nobilissimos splendores quaqua versum diffundit, & unà insolitum quendam spectantibus terrorem incutit, dum igneo vultu iram furoremque videtur spirare, & si quis irretortos Oculos præsumit in eo defigere, obruit ac propemodum occæcat. Homerus illum ad modum Briarei centum armavit brachiis, & horrendi gigantis speciem torvam affinxit. Veteres, ut in Mythologiâ l. 4. c. 10. proditur, in Manus commiserunt Arcum & Sagittas, & Cyclopes occidisse divulgârunt. Gentilitas pedibus advolvit exanimatum Pythonem: Scri-

Scriptura verò Divina testatur, Monstra maximè truculenta & rapacia sub tenebris nocturnis evagari consueta, *facta ex nox, in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.* Ps. 103. v. 20. Ad Solis verò lucidissimum adscensum quantocyus exterrita in suas se latebras accipere: *ortus est Sol, & in cubilibus suis collocabuntur.* Unde præcellens quoddam ingenium Solem statuit in Emblemmate cum Epigraphe: *Malè operantibus pavor.* Quod verò attribuitur meridiano Soli, competit altiori jure immortali DEO nostro, qui omnia perfundit lumine suæ pietatis, & universi machinam sustentat vigore justitiæ, inserendo etiam justorum cordibus suspensum timorem. Studiosè observavit Oleaster in cap. 31. Gen. Hebræo & Chaldæo consuêsse DEUM terroris nomine indigitare: & S. Hieron. pro certo affirmat in eundem locum: *etiam qui Sancti sunt præsentiam DEI absque formidine non videbunt.* Quam ingenuam reflexionem S. Augustinus proponit Religiosis suis, dum pudicitiam oculorum & omnigenam commendatam vult modestiam: unusquisque pro virili conatur errores suos obtegere & humano subtrahere adspectui ac censuræ: Verum *etsi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de superno illo desuper inspectore, quem latere nihil potest?* Quo circà si nulla celari potest DEO iniquitas, nulla penitus abscondi, in cunctis nostris cogitatibus, verbis & actibus, monente hîc Hugone Victorino: *adspectum semper judicis formidare debemus, quia in ejus judicio nihil inultum poterit remanere.*

Et optimè quidem dicitur DEUS intueri omnia, quoniam ipse totus, ut dilectus docuit discipulus. 1. Joh. 1. v. 1. *DEUS Lux est,* ipse, ut Augustinus scribit Epist. 3. *DEUS totus Oculus est,* atque tremenda sua atque miranda perspicacia penetrat abstrusissima quæque, ut neque densissimæ umbræ ac tenebræ sceleratos obvelent, sed malitia abscondita in apricum protrahatur. Unde Psalmographus Regius Deum spectans liberrimè confitetur: *tenebræ non obscurabuntur à te:* Ps. 138. v. 12. Ac si diceret ex mente S. Hieronymi, *nec Tenebræ habent tenebras apud te:* Nox ipsa quantavis caligine involuta sub Oculis DEI non minus ac lucidissima dies clarescit: *& Nox sicut Dies illuminabitur.* Unde merito Ecclesi. c. 23. v. 28. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Sed Oculus adspectabilis hujus universitatis innumeris parasangis excellitur Divinis Oculis, ubi namque maximus Planeta unicum Hemisphærium illustrat, DEUS omnem, qua latè patet, vastissimum Mundum uno ictu in puncto tem- 430.

poris peruadit, discernit & exactè contemplatur. Sol objecta duntaxat externa perfunctiorè adspicit, DEUS viscera profundissima rimatur abyssi, & usque ad centrum perlustrat omnia: Sol viam suam ad res tantum materiæ suæ concretas extendit, Oculus DEI singillatim abdita sensa cordium pervestigat, ut propterea Dominus à S. Paulo Hebr. 4. v. 21. appelletur *discretor cogitationum & intentionum Cordis.* Cui Seneca consentit dicens: *interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.* Eundem Apostolum ad Hebr. 4. v. 13. scribentem: *omnia nuda & aperta sunt Oculis ejus*: interpretatur Gregor. M. 19. Mor. 9. ubi *exteriora opera patent oculis hominum, longè incomparabiliter interiores ac subtiliores cogitationes nostræ patent Oculis DEI.*

431. Atque veritas isthæc Prophetarum oraculis prædicta, & constanti altâque voce fidelibus semper fuit denuntiata. Audiamus quid Habacuc desuper c. 3. v. 4. vaticinetur; *Splendor*, inquit, *ejus ut Lux erit, stetit, & mensus est Terram, adspexit & dissolvit gentes.* Vibravit DEUS immensum fulgorem, & Oculos, mentemque omnem advertit, ut revocaret in examen, & amussim ipsam terram, seu opera super Terram perpetrata, quæ res omnia immani terrore replevit, etenim *stetit & commota est Terra*, ut 70. traducunt, ubi Omniscius DEUS *adspexit* denuò, & formidabili obtutu suo consternavit, enervavitque nationes omnes, *adspexit & dissolvit Gentes.* Quod argumentum ita versat Tertullianus: l. de pæn. c. 3. *DEUS in omnia sufficit, nihil à conspectu ejus remotum, unde omnino delinquitur, quia non ignorat, nec omittit, quo minus judicium decernat.*

432. Quam ob rem vehementer exaggerantur, dirisque omnibus devoventur deliria & mutuæ cohortationes sceleratorum hominum, qui Servos DEI violentissimâ persecutione ac tyrannide exagitarunt, & oppresserunt: *Populum tuum Domine humiliaverunt.* Ps. 93. v. 5. justos ac insontes execrandâ barbarie afflixerunt: *hæreditatem tuam vexaverunt;* opibus & vitâ exuerunt viduas, peregrinos, & pupillos. *Viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt*: atque ut tandem aperirent scaturiginem malorum, in detestabilem hujusmodi prorupere blasphemiam, quod DEUS non videret, nec ullam suorum flagitiorum haberet notitiam: *& dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget DEUS Jacob.* Sed quæ malum! est hæc væsania? quæ improba phrenesis? Quod si totus *DEUS Lux est*, quo pacto somniare ausint, obscuris ignorantia horroribus jacere consepultum? Si omnibus solus ipse auditum impertit ac visum, quàm stolidè imaginantur sibi surdum & cæcum?

tum? *qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit Oculum non considerabit?* Nunquid ille, qui nostrum intellectum Sapientiâ imbuit, impiis scelera patrata assiduè objicit, & supplicia vindice justissimâ Manu in delinguentes exonerat, nunquid credendus est ignorantiâ laborare vel incuriâ? *Qui corripit Gentes, non arguet? qui docet hominem Scientiam?* Denique accuratè nimis internas. *Dominus scit cogitationes hominum,* igitur concludit S. Bruno: *omnia vidit, cui neque ipsæ cogitationes abscondi possunt.*

Quàm verum sit hoc effatum, innumera ostendunt exempla: tametsi Adamus inter frondosum paradisi viridarium violaret præceptum Divinum, optimè tamen id vidit DEUS, reum vocavit in judicium, & ægre confessum sententiâ condemnationis mulctavit. Tametsi Cain foras eduxerit seorsim germanum Fratrem, & crudelissimè in solitudine occiderit, DEUM minimè latuit, sed à conspectu Domini abjectus, & in exilium funestum actus fuit. Tametsi nefanda Pentapoleos crimina horrendo clamore pulsarent cælum ipsum, & ultionem peterent, DEUS antequam ultimo deleret exitio, propriis Oculis videre statuit, *descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Gen. 18. v. 21. Cùm Laban furore percitus insectaretur Jacobum, pessimis modis habiturus, vidit DEUS, & terrificâ comminatione frænavit ac cohibuit, ne quidquam mali irrogaret. Ingemuit Joseph in profundo cæci ergastuli, & vidit calamitatem DEUS: *descenditque cum illo in foveam*, ut solatio deliniret. Conjecti sunt in ardentem fornacem Babylonicam tres Pueri insontes, vidit DEUS, & pietate commotus adversus ministros iniquitatis voraces flammas intorsit. Quando castissimam Susannam perversa seniorum libido ad extremam vitæ lineam adduxit, infami mortis genere plectendam, DEUS Danielis ore & innoxiam liberavit supplicio, & saxorum grandini impios delatores subjecit. Jonas à Ceto deglutitus contabescere cœpit, at calida illius vota ex abysso percepit DEUS, ac benignissimè exaudiens præcepit pisci, *& evomuit Jonam in aridam.* Jon. 2. v. 11. In cœnâ ultimâ omnes quidem discipulos latuit enorme traditionis crimen à Judâ designatum, Filio DEI tamen perspectissimum erat: hinc apertè contestabatur: *unus vestrûm me traditurus est.* Matth. 26. v. 21. Simulque horribilem æternæ damnationis sententiam in eum vibravit: *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Usque adeo verum permanet, quod etsi flagitiosus *lateat, & à nemine hominum videatur,* certissimè tamen deprehendatur *ab illo desuper inspectore, quem latere nihil potest.* 433.

Quo-

434. Quoniam verò in Sacrum Evangelium deflex imus Sermonem, haud erit abs re perpendere amœnam dubitationem, quàm excitat ac dissolvit Gregorius M. super caput 4. Joan. Regulus quidam oriundus Capharnao devenit in Galilæam, salutem à Salvatore, vitamque Filio suo jam in mortis confinia deducto exoraturus: rogabat, ut descenderet, & sanaret Filium ejus, incipiebat enim mori. Joan. 4. v. 47. Supplices has preces Christus Dominus acerbo responso excepit: *nisi signa & prodigia videritis non creditis.* Quæso vos AA. qualis hæc connexio! quam dura increpatio afflicti parentis! quomodo petitioni piæ ac laudabili consonat hæc reprehensio? profectò nisi fidem habuisset infelix Princeps, salutem à Domino non flagitasset: *neque enim ab eo salutem quæreret, quem non crederet Salvatorem:* ait Gregorius hom. 28. in Evang. Et S. August. etiam tract. 16. in Joannem. *Qui rogabat, nonne credebat?* Qualis ergo justitiæ color prætendetur querelæ Domini: *nisi signa & prodigia videritis, non creditis?* Verùm fatendum est, fidem equidem in Regulo fuisse, sed tepidam illam ac elanguidam; quippe qui petebat, *ut descenderet & sanaret Filium ejus:* Ex corporeâ Christi præsentiâ, non verò à Divinitate sperabat consequi Filio incolumitatem: quæ fides oppido imperfecta erat ac infirma, *si enim credidisset perfectè:* subdit S. Gregorius: *procul dubio sciret, quia non esset Locus, ubi non esset Dominus:* Immensitas igitur competit DEO ubique locorum præsenti, qui Sapientia est infinita, & proin jure merito per Eccl. 24. v. 8. evulgat: *Gyrum Cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, & in omni terrâ steti. Nam Cœlum & Terram ego impleo, dicit Dominus.* Jer. 23. v. 24. Perspicaciam impedire nequeunt addensatæ tenebræ, non retundere ulla obstacula, non subterfugere minutissima rerum, non celari remotissima objecta, sed admirabili prorsus claritate *omnia nuda & aperta sunt Oculis ejus.*

435. Posteaquam Servator noster in horto Gethsemani furis instar ac latronis in vincula conjectus, captivusque rectà ad Palatium Caiphæ abreptus fuit, in Superioribus ædium à Summo Pontifice in Coronâ Judæorum interrogatus & postmodum à ministris & militum turbâ sannis, ludibriis & verberibus sævissimè affectus est, intereà Petrus morabatur in atrio inferiori & assidens foco, medius inter famulorum & scurrarum fæcem sese calefaciebat. At verò cùm esset Petrus in atrio deorsum, scribit S. Marcus c. 14. v. 66. Iterum ac tertio rogatus, num familiariter usus fuisset Christo, negavit, juravitque circumstantibus, nihil sibi commercij fuisse cum JESU Nazareno. Tremendis his perjuriis gravatum

vatum amantissimus *Dominus respexit Petrum*: Luc. 22. v. 61. Et non secus ac si adspectus ille lancea fuisset Achyllis, in temporis momenti, Cor Petri transverberavit, Oculos in lachrymarum fontes convertit, ad culpæ detestationem & animæ salutem promovit: *& egressus foras flevit amarè.* Hic subsistit S. Augustinus, & quo solet ingenij acumine disquirit, quomodo Petrus moratus *in atrio deorsum* à Christo in interioribus partibus domui examinato, ac vili penso videri potuit? *quomodo respexit Dominus Petrum faciem corporali?*

Responsum ad hoc dubium aperiet pia quædam Divi Petri Chrysologi commentatio. Prodigus ille Filius paterni jugi, & assiduæ observationis impatiens, precibus importunis tandem evicit, ut hæreditate divisâ potiretur parte se attingente, valeque parentibus ac patriæ diceret: itaque *peregrè profectus est in regionem longinquam.* Sed quantumcunque fugerit præsentiam amantissimi Patris, Oculos tamen iste nunquam à vago Filio avertit, sed perpetim sollicitè intendit, & verbis tacitis inclamans, stultitiam & perniciosos mores ob os etiam invito objecit, atque ad sinum suum revocavit: *peregrè profectus est iste*: ait Chrysol. *& in regionem longinquam fugit. Sed accusatores suos, sed testes suos Divini Patris Oculos non refugit.* 436.

His ita præsuppositis fas erit subjungere ad institutum nostrum, licet videri possit Petrus longiùs abfuisse, atque adeò Divinis se obsequiis subtraxisse, cùm perfidè negavit dulcissimum Magistrum, attamen paternis Oculis Christus perturbatum & malè sanum Filium destituere noluit; Oculis quidem humanis prosequi non licuit, quem parietes interjecti subduxerant, nihilominus adspectum Divinum clementer direxit, illuminavit, transfixit, & à miserabili casu erexit. Ita S. August. *intelligamus illam respectionem à JESU non humanis Oculis sed Divinis factam.* Consentit beatissimus Leo Papa: *Dominus JESUS, qui intra Pontificale concilium corpore tenebatur solo, trepidationem discipuli foris positi Divino vidit intuitu, & paventis animum mox ut respexit, erexit.* Verissimum est ergo, Oculos DEI Lynceis longè acutiores per montes contueri, per muros non retardari, tenebras esse pellucidas, & hominem, si delinguit, fucum facere ac imponere hominibus posse, DEO nequaquam: timeat proinde *ab illo desuper inspectore, quem latere nihil potest.* 437.

Quod S. Marcus c. 5. consignavit, teneram erga proximum ciere potest commiserationem, sed majorem in Clementiam Divinitatis fiduciam. Fæmina erat duodecim omnino annos sanguinis fluxum passa, & jam jam mortis scopulo allidenda, ita pertinacia morbi omnem Medico- 438.

dicorum eluserat opem & operam, & unà cum spe valetudinis recuperandæ rem omnem domesticam eliserat: igitur, salute inter homines desperatâ, confugere statuit ad Christum, cujus bonitatem, potentiam & largitatem plures jam expertos esse didicerat. Circum secus latera stipabant turbæ, & illa clam accessit retrò, & fide optimâ fimbriam vestimentorum vix attigit, cùm extemplo animadvertit morbum esse propulsatum, seque sanitati integræ restitutam. Sed JESUS mox interrogat: *quis me tetigit.* Marc. 5. v. 32. Noverat quippe virtutem à se dimanasse, alicui beneficam: mulier sacro horrore perculsa, & omnibus contremiscens artubus ad geniculata palam edicit seriem rei: *timens ac tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.* v. 33. Sed dicite vos, amabo, si fœmina illa genibus Christi advoluta est vivâ fide & securâ spe plenissima, quid est, quod ita timuerit & trepidaverit? Si etiam tacendo exoravit, benignissimè damnata voti, quorsum corripitur tanto pavore? *Sed allabitur Mulier,* gnara, quàm perspicaces sint Oculi Divini, qui examussim notarent omnes gestus & mores etiam à tergo exercitos; occultè voluit accidere, sed advertit minimè fuisse absconditam, sed latere cùm vellet, apertissimè fuisse conspectam: Nimirum experimento didicit, quòd Dominus *intus & extra* Oculos haberet pervigiles, & instar Cherubinorum in Apoc. c. 4. v. 6. Oculis abundaret *ante & retro.* Expendens autem tantam perspicaciam prohibere non potuit, quin maximo timore corriperetur.

439. Eant nunc propudiosi homunciones, eant scelerati, & dicant, se genio clam indulgere, in occulto esse, & perpetuo involvenda silentio, quæ flagitia designant. Et si anima ista accessitur judici, omnia perspicuè intuenti, rationem reddituta, affectuum suorum innocentiâ, fide, ac spe plenorum, & tamen consternata jacet, quid fiet Religiosis illis, quorum affectus & mores vitiis sordent, & imperfectionibus innumeris scatent? Eheu! inquiebat Augustinus c. 14. soliloq. *Domine DEUS meus terribilis & fortis timore pariter & ingenti rubore confundor; quoniam nobis magna est indita necessitas, justè rectéq; vivendi; qui cuncta facimus ante Oculos Judicis cuncta cernentis.*

440. Ea propter agite, mei Religiosi & pro actionum normâ putate vobis dictum, quod Genes. 17. v. 1. olim ad Abraham pronuntiavit Dominus DEUS: *ambula coram me & esto perfectus.* Facta, dicta, cogitata dirigat semper præsentia DEI, quæ sane regia ad perfectionis spiritualis apicem est Via. Vagabatur David in squalidis & aviis Idumææ desertis,

sertis, & tamen ita DEUM suum affatur: *in terrâ desertâ & inviâ, & inaquosâ, sic in Sancto apparui tibi.* Ps. 62. v. 3. Mi DEUS, etiam in hac horridâ solitudine, ubi nemo hominum inspicere posset quid agatur, eâ morum gravitate, compositione ac modestiâ me geram, & ad te suspiro, perinde ac si templum tuum, ipsumque sanctuarium incolerem: Haud aliter bonus Religiosus constanter ob Oculos sibi proponat Deum præsentem, ubi ubi versetur, sive in Monasterio, sive in plateis, sive in claustro & fratrum congregatione, sive seorsim in Cellâ & Cubiculo, sive cum aliis converssetur, sive solus studeat, speculetur, oret, nunquam non frænetur *ab illo desuper inspectore, quem latere nihil potest.* Ita transiget vitam inculpatam, virtutum colliget thesaurum, & dignus evadet, cui retribuatur Corona Gloriæ Sempiternæ.

Ex

CAPITE VI.

Quando simul estis in Ecclesiâ, & ubicunque fæminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite.

Pudicitiam ubique, maximè in templo custodiendam esse.

DISCURSUS XLV.

QUàm cæci ac insipientes fuêre Gentiles, Divinos honores fabulosis Diis decernendo, tam occultos & circumspectos fuisse discimus in veneratione & munditiâ templorum conservandâ. Athenis omnis ingressus sacrarum ædium severissimè interdictus fuit tùm adulteris, tùm aliis præstituti pudoris mulieribus. In 441.

ministerium fani Minervæ sacri solæ delectæ sunt Virgines, ut foverent ignem inextinguibilem, & tuerentur Palladium inibi religiosè asservatum. Penes Assyrios claruit celeberrimum Dianæ templum, cujus Sacerdotes adstringebantur cælibem vitam ducere, & procul ab omni commercio carnali perpetuam illibatamque servare virginitatem. Theat. fol. 363. 1. A. Pariter delubrum Delphicum in obsequium Apollinis respuit Ministros omnes præter fœminas ab omni spurcitie & vinculo Hymenæi immunes. Si verò humana illa cæcaque Gentilitas existimavit inviolatam pudicitiam requiri, ut dignè quis vel subeat, vel etiam commoretur ac ministret in Templis, quis miretur, quod S.P. Augustinus tantâ sollicitudine Religiosis suis inculcet, omni quidem loco, potissimum tamen, si Pietas Religiosa & Christiana jubeat in Ecclesiâ cum devotis fœminis congregari, maximam pudoris, modestiæ & castimoniæ curam habendam esse? *Quando simul estis in Ecclesiâ, & ubicunque fœminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite.* Quid enim æquius quam ut *ubi domus DEI est & porta cæli*, hinc procul omnis turpitudinis labes, & libidinis fomenta amandentur, & potius elucescat cùm in Religiosis, tùm cæteris fidelibus Angelica castitatis illabatæ virtus? Cùm autem res hæc tanti sit momenti, spero, non ingratum fore, si pluribus in præsenti dissertatione eam explanavero.

442. Aptissimum ducemus exordium à reflexione super vestimenta in lege Mosaicâ & Pontifici Summo, & nobilissimis ejus Filiis ac Successoribus præscriptâ: Et Aaroni quidem attribuit Sacer Textus *tunicam & lineam strictam*. Exodi 28. v. 4. At eodem statim capite injungitur: *porro filiis Aaron tunicas lineas parabis.* Quod rursum c. 29. v. 8. confirmatur. Non sine admiratione rogabis. Quæ causa sit, quod Sacerdotum Principi primoque Numinis Supremi Ministro & ejus *filiis* ad servitium Templi & Altaris obeundum, sacrificiaque offerenda deputatis non assignetur, nobilior, mollior & elegantior vestis è lanâ contexta, sed præcipiatur usus pauperis & humilis lini? quâ de re Philo l. 2. de Monarch. memoriæ prodidit: *Pontifex jubetur vestem lineam sumere, quando adyta subit.* Verum rationem facili negotio deprehendemus, si discrimen observemus linum inter & lanam: hæc quippe generatur ex Carne, & producitur ab Ove, cujus interiores partes naturâ suâ mucosæ ac fœtidæ sunt, ac proin Symbolum reddunt non obscurum marcidæ & lutulentæ lasciviæ: linum ex adverso omni maligno humore eximium denotat animam mortificatam, & excellentis purissimique candoris capacem. Idcirco linum præscribitur iis, qui cæteris plus habiles templo deser-

deserviunt & quodammodo sunt domestici DEI : lana verò immunditiem carnis secum trahere consueta à templo & sacris vestimentis exulat, cùm in tabernaculo DEI ne remotâ quidem carnis impuritas toleranda sit, ubi exquisita & summa puritas exigitur.

Origines, Alcuinus & Beda pensiculatiùs considerant Zelum, quo inflammatus Salvator templo ejecit Oves, Boves & Columbas, atque numularios flagello exturbavit Joh. 2. & magnum observant latere mysterium: *Mysticè autem*, scribit Alcuinus in Cat. Aur. *quotidie DEUS spiritualiter suam Ecclesiam intrat & qualiter ibi unusquisque conversatur, attendit. Caveamus ergo, ne in Ecclesiâ DEI fabulis vel risibus, vel odiis, vel cupiditatibus vacemus, ne improvisus veniens nos flagellet, & de Ecclesiâ suâ ejiciat.* Hoc ita posito, fas sit mihi ulterius allegoriam pertexere ac subdere, oves stolidas, foetentes, & in Ægypto quondam superstitiosè cultas pro Symbolo servire fœminarum turpi quæstui inhiantium, & à corrupto sæculo non minus impiè quàm stolidè adoratarum. Per boves seu potius tauros designari possunt lascivi, qui libidinis impetu abripiuntur, & in juvencas exardescunt. Columbæ denique Veneris currui junctæ, teste Pierio, insigne hieroglyphicum præbent illecebrarum carnis, & obscœni amoris; nam etiam nominis ethymon spectando, *columba* est *colens lumbos.* Quapropter Dominus arcens à foribus Templi Oves, Boves & Columbas insinuare voluit, procul à Domo DEI amandandam esse omnem impudicitiam & umbram etiam lasciviæ; & docere, ut Sanctitate stipatus sit, qui templi adyta subire cogitat: nam *Domum tuam Domine decet Sanctitudo.* Ps. 92. v. 5. Quæ anima ibi desiderat commorari, careat impurâ effrænatâque appetentiâ, & sordibus ovium, nec flammis impudicis tauri agitetur, neque Columbæ lenociniis irretiatur, sed sit, hortante Paulo 1. Corint. 7. v. 34. *Sancta & Corpore, & Spiritu.* 443.

Atque ut omnia libidinis à Sacris Templis eliminarentur irritamenta, plures novimus adhibitas fuisse industrias, & sedulo semper studio accuratum. Si Hebræi ex legis præscripto tribus vicibus in anno ad templum inviserunt ex c. 2. Lucæ, adnotat Cajetanus, unâ viâ adscendisse viros, & aliam semitam tenuisse fœminas, ne promiscua familiaritas & devotionis affectum extingueret, & turpes amores accenderet. Iidem Judæi in Synagogis, quibus templorum loco etiamdum utuntur, in planitie collocant mares, in editioribus verò locis post cancellos fœminas, ne mutuo adspectu distrahantur vel delectentur. Nec minus inter Christianos majorum laudabili more videmus tam in Græcis quàm Latinis 444.

Ecclesiis, Scamna & Sedilia ita esse disposita, ut separentur, quos sexus discriminavit: quo prohibeatur fœdæ concupiscentiæ flamma reciproco conspectu facilè suscitanda.

445. Unde ratio dilucidè patet, quare & Apostolus, scribens ad Corinthios, & S. Linus in constitutionibus Apostolicis providerint, ne fœminæ ingrederentur templum, nisi faciem modestè velârint: intrabant igitur obnuptæ, ut Academicus dicebat, ne oris gratia, pro thesauro habita, pateret insaniæ & stultæ rapinæ Væsanorum amantium: intrabant facie cöopertâ, ne nimio laudis & æstimationis humanæ appetitu contaminarentur: Intrabant obducto velo, ne pulchriores efferrentur præstantiâ formæ, invenustæ verò deformitate suâ prostitutâ affligerentur. Intrabant Oculis corporeis tegmine quodam coarctatis, ne obvia curiosius lustrarent, ut acies mentis eò liberiori obtutu rebus Divinis intenderet. Intrabant denique in templum velatæ, quod facit ad institutum præsens etiam, *propter Angelos*, inquiebat Apostolus 1. Cor. 11. hoc est, *propter Sacerdotes*, ut vertunt interpretes, ut velamen illud esset aggeris instar, & præsidij, ne corda ministrorum templi sagittis ex adspectu muliebri extortis vulnerarentur. *Debet Mulier*, ait S. Paulus, *habere potestatem*, seu velamen, *super Caput suum propter Angelos, propter Sacerdotes Divinæ Voluntatis nuntios*, ex commentario Anselmi, *ne in ejus facie irritentur ad libidinem.* Doctor Angelicus addit: *propter Angelos*, id est, *propter Sacerdotes, seu propter eorum cautelam, ne scilicet ex conspectu Mulierum non velatarum ad concupiscentiam provocentur.* Quod si igitur in omni & loco, & tempore tam mulierum quàm Religiosorum castimonia debet splendescere, nullibi tamen cautela majori conservanda est, & custodienda, quam in templo quod S.P. Augustinus anxiè deposcit: *Quando simul estis in Ecclesiâ, & ubicunque fœminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite.*

446. Verùm, quo major debetur Reverentia Sanctitati Templi, eò insolentiùs humana temeritas insurgit, eò audacius violat. Inter alia gesta, quibus Abimelech Filius Gedeonis inclaruit, memoratur obsedisse mille Sichimitas ad fanum idoli Berith probè munitum confugientes. Is erat situs loci, & arte & naturâ fortissimi, ut quod ferro consequi desperaverat, igne conaretur evincere: igitur circum secus vallavit congerie ramorum, quibus succensis: *factum est, ut Fumo & Igne mille Hominum necarentur, Viri pariter & Mulieres.* Judic. 9. v. 49. Similis eventus in annalibus Ecclesiasticis refertur. Nicomediæ namque Christi fidelibus Sacratissimum Redemptoris natalem diem solemnissimè celebranti-

brantibus,& multis millibus in templo ad incruentam Domino hostiam immolandam congregatis, Diocletianus Sacrum Locum inmani lignorum copiâ circumdari jussit,& ni actutum Jovi Sacra facerent,& thus adolerent, subjectis facibus absumi: ita omnes incendio expurgati ad beatitatem cælestem evolarunt. Martyrolog. 25. Decemb. Utinam hodie nulli sint Christianorum, qui flammis turpium cupiditatum in ambitu templorum non exurantur: utinam fumus libidinis nullos in sacris ædibus offuscet aut excæcet! Sed heu quot Venereis constat etiam in Templo concrematos fuisse incendiis infaustas victimas ignium infernalium.

Nulla ætas delebit memoriam in sacrâ paginâ consignatam filiorum Aaronis Nadab & Abiu: qui thuribulo mancipati maximâ temeritate posuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum. Levitici 10. v. 1. Sed non stetit impune: qui Sanctissimum tabernaculum igne contaminarunt profano, fulminis ictu perculsi, & igne cælesti Vindice miserandum in modum conflagrarunt. Si autem in Templo DEI non aliæ tolerantur flammæ, quàm ignitæ charitatis, pietatis ac devotionis, væ vobis impudicis, qui flocci penditis etiam in Ecclesiâ fovere Sulphureas libidinis faces, ex oculis jaculamini scintillas meram Venerem olentes, verbis, gestis, nutibus excitatis abominanda incendia procacis concupiscentiæ. S. Hieronymus certior factus Sabinianum quendam perfrictæ frontis lurconem Sacrilego & infando ausu in templo, quod sanctissimo Salvatoris præsepio condecoratum olim fuerat, ingressum fuisse, ut libidinem expleret, & sceleratissimo stupro coinquinaret, non potuit continere, quin præ Pericle fulminaret, atque hujusmodi ferè verbis inveheretur. Infelicissime mortalium, tune ausis speluncam omni veneratione dignissimam, ubi dignatus est nasci magnus & Unigenitus DEI Filius, mutare in fœtentem cloacam & propudiosum lupanar? Quid animi fuit, cum locum paradisi lilio felicem non perhorresceres infamare abominabili stupro & spurcissimis luxuriæ sordibus? An te non perculit Vagitus Divini Infantis, qui arguit te ac condemnavit? an gelidus horror omnia membra pervasit, si recordatus es Virginis intemeratæ? ô torrentes, ô flumina, ô maria tum græcæ tum eloquentiæ latinæ, ubi hæretis? Cur non exprimitis pro merito execrabilem,& plùs quàm Diabolicam malitiam, quam fateor satis nunquam mea lingua nec calamus describit! Et verò major est væsania eorum, qui non verentur Sacra Loca indignissimis ejusmodi Sacrilegiis polluere atque prostituere, quàm ut ullis verbis sat exprimi valeat. 447.

Sed

448. Sed quoniam puritati Spiritûs vestri è diametro opponuntur scandala illa, incredibilis luxuries ac dissolutio, potiùs attendant Regulares Canonici, quali Vaticinio Regius Psaltes gratuletur, quod nempe in Ecclesiis non alia sint obituri munia, quàm Sanctitatis & Divinæ laudis. *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Quando igitur conveniunt ad obsequia DEO præstanda, & forsan à Religiosis fœminis interpellantur, non miscenda sunt colloquia de rebus & negotiis domesticis, non de catenatis litibus, non de vanitatibus caducis: Non rodenda est proximi fama, defectus & errata enucleando, non terendum est tempus jocis, & scurrilibus dicteriis, vel sarcasmis; non ludendum obscœnis metaphoris: sed animum & labia Spirituali profectui & Divinæ Gloriæ impendi debent.

449. S. Cyprianus de singularitate Clericorum ita ratiocinatur: *si homines Mundo & præsentis vitæ commoditatibus addicti*, quantumvis naturâ suâ lascivi ac intemperantes stimulos libidinis retundunt & cupiditates lubricas frænant, dum exercent mercaturam & lucris inhiant; vel in acie confligunt, hostesque debellant, vel in foro & coram tribunali consistunt, litis terminum expectantes: quantò magis Religiosa anima debet excutere omnem inhonestam cogitationem inter parietes DEO consecratos inter servitium Divinum, ubi *non carnale opus humanum, sed spirituale geritur Angelorum?*

450. Audite proin Venerabiles Canonici non tam meam, quam S. P. N. Augustini commonitionem: *quando simul estis in Ecclesiâ, & ubicunque fœminæ sunt, invicem vestram pudicitiam custodite.* Præcipuam castimoniæ curam gerite, quæ sicut thesaurus est inæstimabilis pretij, ita fragilitate laborat singulari, & innumeris periculis exposita, vigili custodiâ indiget. Nemo se securum existimet, quod multis oculis, excubias in claustro perpetim agentibus, muniatur, astutia namque sensûs ipsum quoque Argum circumvenire novit. Nemo se fingat positum extra teli jactum, quod incolat locum exquisitæ Sanctitatis: quippe Lucifer in Cælo corruit, & Adam in paradiso peccavit. Nemo confidat nimium in suâ virtute, & perfectione magnâ pluribus annis stabilitâ: nam libidinis lues invasit, vicit, prostravit Viros Sapientissimos, Sanctissimos, Maximos, quos jurasses ruinæ non amplius obnoxios fore. Si loquendum cum fœminis, Oculi modestè coërceantur, & humi figantur, & lingua paucis contenta aliud proferre caveat, nisi quod concernit Virtutem, spiritualem profectum, & Gloriam Divinam. Hac diligentiâ pro vobis

bis & proximis constanter adhibitâ, *ipse DEUS*, concludit B. Humbertus cap. 88. *qui habitat in vobis, qui multis modis solet suos custodire, hoc modo custodiet vos ex vobis.*

Ex

CAPITE VI.

Invicem vestram pudicitiam custodite: DEUS enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

Omnia bona nostra ex gratiâ derivari.

DISCURSUS XLVI.

PErmagni sanè, quod nemo inficias iverit, sunt impigri coloni labores; in agris subigendis, ut proventu annonæ se familiamque sustentet, sudat, alget, occallescit, arvum subarat, iterat, tertiat, & inter lirandum proscindit sulcos, profundiùs depresso aratro, ut primo adspectu crederes, totidem quæri sepulchra, quibus grana abjecta tumulentur; Ille verò contendit præparare incunabula, unde tempore suo sata primum germinent, tum fruticescant, ac demum lætâ ubertate in multiplices & pretiosas aristas maturescant. Illud in comperto est, tantam felicitatem non obvenire agricultoribus etiam studiosissimis ac indefessis, nisi propitium cælum concurrat, calorem Solis & fertiles impertiendo pluvias: nam granum & quodvis germen ut crescat, & perfectionem assequatur, *Solem optat & imbres*. Porro, quod videmus accidere in frugibus terræ, locum etiam habet in profectu nostro Spirituali, nullus enim conatus, nulla industria in culturâ 451.

animæ optatum sortietur eventum, nisi DEUS Sol Sempiternus irradiet, nisi cælum fœcundos gratiarum imbres affundat: Hæc metaphora placuit S. Petro Damiani, ubi de quodam magno DEI famulo in Serm. de SS. Donat. & Hilario testatur: *Sulcabat terram suam vomere disciplinæ, ut illucescente gratiæ cælestis radio fertilius germinaret.* Placuit & S. Macario hom. 26. *requirit DEUS ab homine laborum fatigationem, & operationem, nisi tamen de sursum apparuerit nubes cælestis, & pluviæ gratia, nihil juvabit labor coloni.* Nec alia fuit mens S. P. Augustini: debet equidem Religiosus quicunque pro viribus adlaborare, ut puritatem internam, & fructus castitatis procuret: *invicem vestram pudicitiam custodite:* Veruntamen si labor non recidit incassum, Bonitati Divinæ in acceptis est referendum: *DEUS enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodiet ex vobis.* Quem in locum B. Humbertus cap. 88. *Quamvis faciatis, quod in vobis est, tamen non putetis hoc sufficere, nisi & ipse DEUS hoc faciat,* &c. & Hugo noster Victorinus: *Non enim sufficiens est nobis custodia nostra, nisi etiam adsit Divina: nemo enim est, qui pudicitiam possit custodire, aut in seipso, aut in alio, nisi per DEUM.* Quapropter nullus sit, qui ausit de viribus suis præsumere nimium, nam nihil prorsus, ut hic confirmabitur, absque Divinæ gratiæ auxilio possumus operari.

452. Et quidem aperta inprimis est confessio Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ Spiritui Sancto demississimè supplex *sine tuo Numine,* cantat, *nihil est in homine, nihil est innoxium.* Nimirum sine afflatu & præsidio bonitatis inexhaustæ Numinis, nihil Sanctitatis aut laudabilium morum in nobis reperiemus. Unde Apostolus 1. Cor. 4. v. 7. *Quid enim habes, quod non accepisti?* Certè si quid laude vel admiratione dignum insit homini, à liberalissimâ DEI munificentiâ proficiscitur; neque ullum est incrementum virtutum, ullus profectus Spiritualis, qui non magis originem trahat ex supremâ benignitate, quàm à fervore voluntatis nostræ: quippe *non valentis, neque currentis sed miserentis est DEI.* Rom. 9. v. 16. & rursum Philipp c. 2. v. 13. *DEUS est enim, qui operatur in vobis velle & perficere.*

453. Servator noster Joh. 15. v. 5. veritatem hanc mirè elucidat figuratâ illâ dictione. *Ego sum vitis, & vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Vitis sum ego, inquit Filius DEI, vos autem ô mei discipuli, estis palmites & surculi; quemadmodum verò colliculus nullum ex semetipso fructum producere valet, si viti non inhæreat. Unde vigorem assugit, & robur

robur depromit, ita vos steriles manebitis, & omni Sanctitatis fructu orbati, nisi DEO conjungamini per fidem, charitatem & obsequium, eâ ratione vegetandi ex radice Divinâ ad opera justitiæ. *Omnis enim fructus boni operis,* dicit Alcuinus in Cat. Aur. *ab illâ radice procedit, qui nos suo auxilio provehit, ut fructum plus afferre valeamus.* Nimirum citrà controversiam *sine me nihil potestis facere* : ubi S. August : *nisi palmes in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre.* Fallitur & spe suâ frustratur, quisquis racemos virtutum aliunde expectat, quàm à calore Divinæ gratiæ.

Gemini textus è Sacro epithalamio conjuncti non minùs jucundè, quàm solidè corroborant, quod asserimus. Vix cælestis Sponsa sub finem capitis primi magnopere optavit thalamo suo fragrantiam florum: 454.
Lectulus noster floridus. Cant. 1. v. 15. cum statim se offert Dilectus: *ego Flos campi, & Lilium convallium.* Cant. 2. v. 1. Ac si diceret, si tu fidelis Anima Lectum desideras, hoc est, Conscientiam floribus stratam, floribus Pietatis, Pacis, Mansuetudinis, Justitiæ, Obedientiæ, Spiritualis Lætitiæ, Humilitatis, &c. quæ complectitur Mellifluus Doctor his verbis : *Lectulus noster floridus redolente nimirum Conscientiâ Pietatem, Pacem, Mansuetudinem, Justitiam,* &c. Flores autem istiusmodi, quos tanti æstimas, & tam avidè concupiscis, neutiquam in te germinascunt, sed decerpendi sunt ex campo, & in te transferendi : Campus autem est ipse DEUS, ipse Viridarium, & saltus floriferus, unde petenda est omnis fragrantia, decor & suavitas : Unde derivatur, quidquid in animâ elegantiæ est ac nitoris, à Nazareo provenit. Quod S. Bernardus ser. 47. in cant. de Sponsâ disserens ita exponit. *Ne sibi flores adscriberet illos, quibus Lectulus decoratus & venustatus Thalamus videbatur, infert Sponsus se esse florem campi, nec de Thalamo sanè prodire flores, sed de campo & suo munere, & participatione fieri, quod retinet & redolet.* Quid enim ? an lectulus vester exornetur candidissimis mansuetudinis & castitatis floribus ? ita cupitis : sed Mater DEI adeunda est, ut à Filio suo impetrare nobis dignetur :

Virgo Singularis
Inter omnes mitis
Nos culpis solutos
Mitis fac & castos.

Ignescunt super Lectulum vestrum rutilantes rosæ charitatis ? ita gau-

debis, sed Spiritus Sanctus is est, qui purpurâ imbuit. *Charitas DEI diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis.* Flore fortitudinis omnes retunditis hostiles insultus! ita gratulor hominibus, sed simul adoro te Gloriose DEUS, qui triumphos mereris in servis tuis: *tu vincis inter Martyres.* Excellit Homo Sapientiâ, & celebratur ob eximiam doctrinam? Ita novimus complures, sed omnium & singulorum nomine profitetur Sapiens munus esse DEI: *invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* Sap. 7. v. 7. & iterum: *adimplebit illum Spiritu Sapientiæ & Intellectûs.* Eccles. 15. v. 5. Sæpius volvit tacitâ mente sanctiora sensa anima nostra? bene habet, sed fatendum à DEO proficisci, nam *non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* 2. Cor. 3. v. 5. Et ubi ex carne pullulat impudicitia, odium, vindictæ cupiditas, invidia, crapula, & alia id genus Gorgonea Monstra, Gratia Divina econtra & Virtus Spiritûs Sancti clementissimè nobis impertita Charitatem, Patientiam, Pacem, Castitatem, Modestiam producit, ut testatur Apostolus Gal. 5. v. 22. *Fructus Spiritûs est Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, &c. Modestia, Continentia, Castitas.*

455. Quod ipsum egregiè Sacra Sponsa expressit, quando dilectum suum invitavit ad delicias horti, & ingenuè statim confessa est tempe illa Sponsi propria esse, se verò amœnitatis nihil de suo posse offerre: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Cant. 5. v. 1. Dein exponit vota sua recreandi Sponsum cupediis quibusdam in horto collectis, iterum palam profitendi totam fructuum suavitatem & præstantiam non sibi sed dilecto arrogandam esse: *comedat fructus pomorum suorum*, ceu apertius diceret: Quamvis minimè ignorem, ô DEUS Cordis mei, quid Regius Vates promulget: *Domini est Terra & Plenitudo ejus*, quamvis negare nolim, omnia mea bono de tuo profluere bono, nec laudem competere mihi, sed tibi veræ scaturigini, me verò ex me prorsus inopem esse, nihilominus, quod accepi abs te, tibi submissè redhibeo, tibi offero, & grata invito. Hinc sicuti nescio, quis Princeps, cùm transiret per villam, & à subditis variis honoribus afficeretur, aliis fructus Arborum, aliis rara Terræ Germina, aliis Lepores, Pernices, Pisces, &c. deferentibus, singulis in genua coram se devotè provolutis reposuit: *Grates de nostro, grates de nostro*: ita planè qualecunque DEO anima pendat Tributum & Vectigal affectuum, operum, encomiorum, primo à DEO emanavit, & revertitur in Mare, unde profluxit, ita Calculo suo confirmat Philo Carpatius in Cant. cap. 5. v. 1. docens: *omnia bona nostra ex*

ex ipsius gratiâ provenire, nihilq́ boni Sponsæ inesse, quod non ab ipsius Sponsi largissimo bonorum omnium fonte emanarit.

Ponderant sacri interpretes consilium illud sapientissimi Salomonis Proverb. 5. v. 15. *bibe Aquam de Cisternâ tuâ*, diversisque rationibus accipiunt & explanant. Aquas Cisternæ Cajetanus vult esse fructus humanâ partos industriâ, & alimenta multo sudore procurata è terrâ. At Divus Hieronymus in c. 3. Malach. Chrysostomus hom. 1. in Matth. Beda, Jansen. & alij per Aquas Cisternæ opinantur designari filios, qui veluti fructus Matrimonij nascuntur in spem ac propagationem Familiæ. Sed quare hujusmodi aquæ, sive fruges agrorum, sive fructus uteri materni notent, non potiùs nominantur fontium vel fluminum quàm præcisè aquæ cisternæ? Acutè respondet Hugo Cardinalis: *Cisterna est Cor humanum, pluviam de Cælo recipiens, id est, gratiam à DEO.* Sicut igitur aquæ Cisternæ non ibi scaturiunt, sed cælitus in pluviis delapsæ colliguntur; Ita fructus arvorum & filij, flores, gaudium & corona conjugij non tam adscribi debent studio humano, vel virtuti generandi, quàm cælesti muneri & gratiæ in nostram felicitatem ac solatium effusæ: Homo etenim *quasi Cisterna est pluviam de Cælo recipiens*, id est, *gratiam à DEO.* 456.

Ingeniosa & nostro proposito perquam apta est reflexio Cassiodori, Petri Blessensis, Bernardi & aliorum super cap. 6. secundæ ad Corinth. ubi Gentium Doctor texit catalogum earum virtutum, quibus præcipuè Christianum decet esse insignitum: *Exhibeamus nosmetipsos*, inquit loci cit. v. 4. *in omni Patientiâ, in Castitate, in Scientiâ, in Longanimitate, in Suavitate, in Spiritu Sancto, in Charitate non fictâ, in Verbo Veritatis, &c.* Qua in serie medium locum tribuit assistentiæ & gratiæ Spiritus Sancti. Jam dicite quæso, interrogat Elias Cretensis, si Divinus Spiritus nos excitat, nos illuminat ac virtutum semitam præmonstrat, eccur non primam sedem occupat? cur non anteit tanquam Dux & Caput militiæ Spiritualis? cur non præsidet ipse arci & propugnaculo animæ, & reliquo virtutum sequatium choro? Certe videretur longè aptius in fronte aciei, quàm in medio collocari. Sed respondet ille eruditus author, hoc idcirco talem in modum fuisse ordinatum, ut discerent Religiosi profectûs candidati, in viâ Domini, non tam pendere progressum ab auxilio Sancti Spiritûs, quam propriâ sollicitudine ac diligentiâ, si enim servus DEI partibus suis fecerit satis, vigilando, jejunando, carnem macerando, obedientiam exercendo, æquanimiter perferendo adversa, dignum se reddet, quem Spiritus Sanctus confortet ac consoletur: 457.

Spiritus Sanctus iis demum libenter opitulatur, qui virtutem sibi consectandam proposuerunt, & quæ suarum partium sunt, præstent. in orat. 1. S. Greg. Naz. Quæ doctrina optimè S. P. Augustini consonat textui; qui primum alumnis suis mutuam commendat vigilantiam, & pudoris tutelam: *invicem vestram pudicitiam custodite,* ut postmodum muniis suis ritè adimpletis, omnique Diligentiâ pro viribus adhibitâ Divinum promereantur adjumentum, & tutissimum præsidium, *DEUS enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodiet ex vobis.* Verùm si respondendum esset ex mente Cassiodori, in medio virtutum collocatur Spiritus Sanctus ex sublimiori mysterio: ut nimirum pateferet, illum Cor esse ac animam cunctarum operationum: *Spiritum Sanctum,* inquit lib. de amicit. *ponit in medio quasi artificem totius bonæ voluntatis, ad DEUM dirigentem actionem, agentem omnia fortiter, & universa suaviter disponentem.* Ita Bonitas Divina fæcundam nubem agit, & omnes plantas fertili perfundit & animat imbre; *dives in omnes:* fons est irrigans, & crystallino humore recreans omnes flores totius horti, *omnibus affluenter.* Sol est, à quo tum sidera in Cælo perfunduntur lumine, tum objecta inferiora super terram robora assiduo donantur: *in omnibus lucet:* & jure ipsi applauditur: *ex te cuncta nitorem.*

458. In Maldivis insulis, referente Maffejo l. 7. palma reperitur multiplici utilitate, quam incolis præstat, celeberrima: una arbor omnia prorsus ad rem nauticam instrumenta & materiem præbet; è trunco enim ramisque malum, assamenta & clavos, è comis vela, è stupa funes, & è Cocco onera conficiunt. Eadem sufficit domesticis usibus: fructuum cortex in pocula figuratur, ipsa verò pomi caro pinguedine quadam & sapore non ingrato lactescens, comedenti non per se tantum amæna & salubris est; sed etiam exhausto lacte paulatim in oleum eliquatur. Totus porro racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, opimum succum destillat, qui variè coctus in mel, saccarum, vinum & acetum convertitur. Folia scribentibus pro papyro sunt, & tegularum loco domibus imposita pluvias arcent, quin imò etiam in vestium formam facili simul ac spisso contextu nectuntur, &c. Unde non abs re inscribi potest: *omnibus omnia.* Sed fateamur nos, palmam illam umbram esse Divinæ Bonitatis, quæ miris & innumeris modis suppetias fert necessitatibus nostris: quod S. P. Augustinus his verbis declarat. O Homo! *DEUS tibi totum est. Si esuris, panis tibi est: si sitis, aqua tibi est; si in Tenebris es, Lumen tibi est, si nudus es, immortalitate tibi vestis est.* Et S. Ambrosius l. 3. de Virg. *Omnia Christus est nobis: si vulnera*

nera curare desideras, Medicus est; si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est, si auxilio indiges, virtus est, &c. si cibum quæris alimentum est.

Quemadmodum verò omnia bona nostra, omnis felicitas à DEO derivatur, ità profectò destituti illius auxilio cum extremis calamitatibus conflictemur necesse est: id probè agnovit S. Greg. Naz. Orat. de seipso: *sine ipsius ope omnes nos inania ludibria sumus, & viva, ut ità dicam, cadavera, sceleribusq́ fœtida; ut enim nec avis sine aëre volat; nec Delphinus sine aquâ natat, ità nec homo sine Christi adminiculo pedem terrâ efferre potest.* Consentit S. Petrus Chrysologus, & quod non magis volucri aurâ libera ad volatum, pisci liquidum mare ad natandum sit necessarium, quàm præcipuè Religiosi qui student puritati, & ad perfectiorem vivendi rationem, quàm vulgus hominum passim terere solet, adspirant, gratiâ DEI egeant, explicat sub metaphorâ, ac nomine Agricultorum, ita DEUM alloquens: *Nos præter tuam gratiam nihil habemus, per quam stamus, vivimus, movemur & sumus, sine qua jacemus, deficimus & perimus.* 459.

Quæ si ita sint, & quidquid boni possidemus, possumus, operamur, & sumus, totum descendit ex origine Divinæ Bonitatis, incumbit profectò nobis, perpetuam rependere laudem, & gratias immortales referre. Agite, hortabatur David Ps. 80. v. 4. *buccinate in Neomenia tuba.* Ad innovationem Lunæ, hoc est, quando Sol dulces pretiososque radios dispensat, & funestas noctis tenebras dispellit, tubas inflate, & cælum lætis gratisque vocibus implete. Sensus est, quando Clementissimus DEUS Sol ille æternus ac indeficiens, novo vos suæ gratiæ illustrat lumine, vos consolatur, & beneficiis complectitur, gratiam agnoscite, & encomiis festivis, devotis obsequiis, ac mille benedictionibus afficite auctorem. *Studeamus semper*, interpretatur locum Richardus noster Victorinus lib. de erudit. int. hom. c. 13. *statim in ipso exortu revelantis gratiæ digna DEO laudum præconia referre.* Ita igitur, sive Dominus DEUS tenebras ignorantiæ ex intellectu nostro depellat, infuso Sapientiæ Lumine, sive terroribus nos eripiat instantis mortis, protelando benignè vitæ usum, sivè nebulas tentationum fuget ex animâ, impertiens tranquillitatem, & diei sanctæ serenitatem: sive aliter nos visitet, & super nos radios gratiæ ac robur cæleste expandat: 460.

Debemus statim, urgente Richardo, *in gratiarum actionem assurgere, & magnificentiæ tubâ in Divinæ Bonitatis præconia reboare.*

Ex

Ex

CAPITE VI.

Invicem vestram pudicitiam custodite, DEUS enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiat vos ex vobis

Gratiæ Divinæ cooperandum esse.

DISCURSUS XLVII.

461. INsignem animi magnitudinem ac constantiam procul dubio prodit, qui perfido maris elemento committit fabricam ex pluribus abietis tabulis compactam, & fragili ligno opes, vitamque credens vastissimum pelagus ad longinquas oras trajicit. Debacchentur pro lubitu irati & furibundi venti; minetur atris nubibus obductum cælum, intumescant decumani fluctus, & mare procellas montium instar modo elevet ad cælum, navim oppressuras, modò dehiscat, & voragines ingentes aperiat, in mediis periculis & terroribus nauclerus insistit cæptæ viæ, oculum in Stellam polarem, si quà affulget, irretortos figit, ceu ducem optatissimum, manibus verò à gubernaculo nunquam removet, sed remis contisque, ut epibatæ eluctentur, excitat, spe plenus feliciter desideratum portum subeundi. Ita describit paucis S. Basilius Seleuciensis orat. 8. *Gubernator incumbens gubernaculo, tollit in Cælum oculos, astrorum motibus aurigans, navem sursumq; per mare cælesti lumine contorquens fertur in portum.* Quod verò peritus Navarchus observat in tempestate maritimâ, prorsus etiam necessarium est iis, qui ad felicem terminum & portum omnium Christianarum operationum ac Religiosarum adspirant. Nequaquam sufficit directione frui Gratiæ Divinæ admodum polaris Stellæ prælucentis: sed opus est insuper applicare Manus, impendere sedulam diligentiam & conatum. Unde optimè discurrit S. Basilius M. Const. Monast. c. 18. *Ad perfectum virtu-*

virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque hac oportet, & humanum studium, & auxilium cœleste. Neque Divum Augustinum latuit veritas ista, qui, tractans de pudicitiâ ceu Margaritâ ineffabilis pretij, disertè docuit, ad ejus conservationem junctis viribus debere duo concurrere: Diligentiam nostram, *vestram pudicitiam custodite*, tum vigilem tutelam opitulantis DEI, *DEUS, qui habitat in vobis; isto modo vos custodiet ex vobis.* Quod ipsum sapienter versat Humbertus c. 78. inquiens: *custodite vos ipsos*: Videns enim studium humanum, *ipse DEUS, qui habitat in vobis, qui multis modis solet suos custodire, hoc modo custodiet vos ex vobis*, offerens auxilium cœleste. Argumentum hoc non minus dignitate nobile, quàm grave suo momento me allicit, ut pluribus id vobis in præsens demonstrem.

Vix Dominus DEUS formaverat è limo pinguioris terræ Protoparentem nostrum, cùm extemplò in delicias paradisi è Damascenis agris transportare placuit, ut vitam in amænissimo loco exigeret ad arbitrium, simulque pervigili studio hortum tutaretur. *Tulit ergo Dominus DEUS hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.* Gen. 2. v. 15. Non moror hìc loci opera Adami, sine fastidio & defatigatione injunctâ, & ad fugiendam desidiam mollem, otiumque ignobile, sed potiùs ad ingenuas exercitationes jucundè subeundas suscepta. Quod admirationem mihi movet, animumque suspensum tenet, est Verbum: *ut custodiret*: Si enim dissimulare nolumus, *quid oportebat*, ait B. Thomas: *custodire illum locum, cùm nullus esset violentus invasor?* Ad quid serviunt excubiæ, ubi nullæ insidiæ perversi cordis, nulla furta rapacium manuum metuenda erant? Dein fingamus fuisse, qui vim molirentur, & situm omni felicitate ac deliciis natantem invadere præsumerent, quid opus erat vigilantiâ Adami, si DEUS ipse curam gessit, ac infinitâ Providentiâ & Bonitate sepivit? Sed nolite obstupescere, respondet Angelicus Doctor, etsi enim DEUS Supremus Dominus paradisum Argi oculis observabat, ac hostiles insultus arcere volebat, nihilominus requisivit humanam operam & junctam custodiam: *licet DEUS locum illum sufficienter custodiret, decens tamen fuit, quod aliqua ejus custodia homini committeretur.* Ita solertia hominis associanda est Divino operi, ut DEUS quidem insomnes Oculos super Hortum illum selectum, ne damnum patiatur, advertat, Adam verò sopori se non dedat, sed conjungantur & *humanum studium, & auxilium cœleste.* Quod autem de paradiso diximus, applicandum pariter est Virtutibus & Theologicis, & Moralibus, quibus Anima in modum deliciosi

Oo para-

462.

paradisi exornatur: nec dubitare licet, quin Charitas, Humilitas, Patientia, Castitas, &c. in Corde nostro plantentur ab Omnipotente Manu Benignissimi DEI, tanquam in horto peramæno. Ipse quidem Dominus Auctor bonorum omnium conservat, defendit, custodit, sed licet DEUS *custodiat introitum tuum, & exitum tuum*, supremæ tamen custodiæ addenda est diligentia nostra: nobis incumbit per abstinentias, macerationes carnis, & fugam incentivorum iniquitatis, & illecebrarum Mundi concurrere ad illibatam Cordis munditiem protegendam. Ita quidem hortatur S. Augustinus: *Vestram Pudicitiam custodite, ut DEUS, qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodiat ex vobis.*

463. Si placet exemplis confirmare, quod diximus, S. Joh. Chrys. Digitum intendit: Animam S. Pauli mille virtutum floribus conspersam, præstantissimis fructibus abundantem Voluptatis hortum appellans, *nihil*, inquit, *nihil prorsus erraverit, qui paradisum Spiritualem Pauli Animam nuncupaverit.* Sed ecce, quomodo illum incoluerit & defenderit DEUS. *An experimentum quæritis*, rogat Apostolus 2. Cor. 13. v. 3. *ejus, qui in me loquitur Christus?* Hoc tamen non obstante, quod Christus Dominus inhabitaret, sanctificaret, & jugiter circumsecus custodiret, Paulus non destitit Apostolicos labores urgere ac sudore diffluere, vitæ austeritatibus se probè vallare, & mortificationem ceu sepem circumducere, ne ictibus pateret hostis infernalis: quod bene Eusebius Gallicanus homil. 1. de init. quadrag. expendens: *Ecce*, ait, *B. Paulus, jam Christi habitaculum, jam vas electionis effectus intelligit sibi non sufficere solam gratiam, nisi gratiæ adjungat sollicitudinem vigilantiæ & laboris industriam, ut spiritualibus resistere possit inimicis, continuatis studet corpus vallare jejuniis.*

464. Sed antequam paradiso egrediamur, considerandum adhuc est, quod Amantissimus DEUS advertens solitariam vitam Adamo injucundam fore ac molestam, opportunè succurrat: Agedum, inquit, quoniam *non est bonum hominem esse solum faciamus illi adjutorium simile sibi.* Gen. 2. v. 18. simulque se accinxit efformationi Evæ, quæ consorti præstaret auxilium, delicium & solatium. Quomodo verò Dominus aggreditur opus? *immisit soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & ædificavit Dominus DEUS costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* En vobis non incongruam reflexionem, quemadmodum in mercaturâ & contractu societatis aliud provenit lucrum ex collatâ summâ principali, aliud ex propriâ industriâ, ita meâ quidem opinione accidit in relato eventu: Necessarium dare Adamo constituit DEUS

adju-

adjutorium, ille de se subministravit os costæ per modum materiæ, quam DEUS Sapientissimus ille Artifex formâ selectâ illustravit: quod innuit S. Anastasius Sinaita l. 9. hexam: *qua dicitur adjutrix, eam fecit ex propriâ in ipso costâ:* Ut disceret Adæ posteritas ad consequendas virtutes, Pudicitiæ, Charitatis, Modestiæ, &c. quarum subsidio ad vitam æternam promoveatur, exigi præter liberale & potentissimum DEI auxilium etiam propriam cujusque costam, hoc est, conatum, & impensam industriam, vitiumque sedulam applicationem: quoniam neque DEUS ad salutem nos perducere vult sine nobis, neque nos possumus perfectionis terminum attingere absque contentione nostrâ & labore, favori Divino impigrè adjuncto.

Ab Evâ mulierum formosissimâ sermonem convertamus ad Rachelem, quæ pariter fuit prodigium quoddam pulchritudinis. Nuptum collocata Jacobo maximas patiebatur ærumnas, quod sterilitate afflictâ frustraretur fructu Matrimonij: unde non destitit diu noctuque pulsare Cælum precibus, votis, lachrymis, quo sterilitate depulsâ optatam prolem pareret Mater effecta. Sub initium anni decimi quarti, Ecce tibi: *Recordatus Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus.* Quo textu duo exprimuntur, quæ sunt momenti maximi, favor derivatus à DEO, qui fæcunditate eam donavit, *recordatus Dominus Rachelis*, & orationes fusæ à Rachele pro sobole obtinendâ, *exaudivit eam.* Unde clarissimè elucescit, superna charismata non defluere duntaxat ex mero beneplacito Numinis, sed etiam supponere gemitûs conatum & vota hominis, ut optimè ponderavit Cardinal Cajetanus: *Non solum ex parte DEI gratia velut recordatio, sed etiam ex parte Rachelis eadem gratia velut exauditio precum Rachelis describitur, ut utrumque perfectum esse effectum insinuetur.* 465.

Paradigmata veritatis allatæ ubique occurrunt; ex Jacobi Mansuetissimi & Rachelis ædibus promoveamus gradum in aciem copiosam, & sistit se David elegans adolescentulus, medius inter duos exercitus, & jam accinctus ad ineundum singulare certamen cum gigante Philistæo: priùs quàm congrediantur armis, linguæ aculeis se mutuò lacessunt & irritant. Goliath alto supercilio despicit prodeuntem inermem pastorculum & minatur se carnes interfecti projecturum in escam vulturum & luporum: David econtra obviat alacriter, & spem Victoriæ in virtute Omnipotentis DEI ponens fatetur palam: *Ego venio ad te in Nomine Domini exercituum, DEI agminum Israël, & dabit te Dominus in manu meâ.* 1. Reg. 17. v. 45. Quid ita mi David? lingua gloriosi 466.

 hujus

hujus athletæ ſpem victoriæ collocat in auxilio Divino, & abſque morâ opus aggreditur: *miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percuſſit Philiſtæum:* Haud ignarus ardua negotia DEO efflictim eſſe commendanda, & deinceps non diſfluendum otio, ſed manus admovendas, & jungendam operam noſtram, ut felicem eventum ſortiamur. Quod ſcitè adnotavit S. Baſilius Seleuc. Orat. 15. *lingua de fide cum incredulo diſputabat, manus autem fundam in uſum certaminis pro fide ſuſcepti aptabat.* Non ſecus geramus nos, recurramus in calamitatibus ad Divinam Clementiam, Corde & Linguâ opem imploremus, manuſque adjiciamus rei efficiendæ, quod ſignificat vetus paræmia: *cum minervâ Manus admove:* invoca DEUM, ut aſſiſtat; applica Manum ut defendat: Confide in gratiâ, & intende nervos propriarum virium, nam, ut ſupra monui, *conjuncta ſimul eſſe utraque hæc oportet; & humanum ſtudium & auxilium cæleſte.*

467. Eodem in genere mirificè claruit Clodovæus Priſcus Galliarum Rex. Moverat cum ſuis Francis adverſus Alemannos hoſtes ſuos infenſiſſimos, cumque victoriam in partem adverſam cerneret inclinare, idolorum cultui, ut qui maximè deditus, Jovi enixè ſupplicavit, ut ne deſertum ſe vellet in periculo extremo, ſed potenter aſſiſteret. Verùm irrita ceciderunt vota, in ventum abierunt preces, validius inſtare hoſtis, acies Clodovæi fluctuare, turbari, tergum vertere; quo rerum articulo comprehenſus voto ſe obſtrinxit unà cum toto exercitu ſe adoraturum eſſe Numen, quod Clothildis Religioſiſſima ſua conjux veneratur, & Chriſtianis ſacris ſe nomen daturum, ſi Victor ex atroci hoc prælio reverteretur. Quo facto Spiritum reſumpſit, & inſtar fulminis in hoſtem irruit, ordinem disjecit, feroces leones in timidos cervos convertit, & ipſis Victoribus jam cæſis, vel fugatis victoriam è manibus extorſit. Tantum valuit auxilio cæleſti addidiſſe heroicam dexteram.

468. Si diſplicet armorum ſtrepitus, adeamus tabulas gratiæ, circumſtantias in Evangelio S. Marci c. 7. v. 32. notatas conſideremus: *Adducunt Chriſto ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Novimus Dominum ſanaſſe complures, quamvis non coram ſiſterentur. Ita Centurio Matth. 8. *Domine, Puer meus jacet in domo Paralyticus:* & Mulier Chananæa Matth 15. ſupplex accidit: *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Et Regulus Joh. 4. v. 47. *rogabat eum, ut deſcenderet & ſanaret Filium ejus.* Eccur non pariter iſte tot incommodis conflictatus permittitur hærere domi, ſed in conſpectum adducitur, quò ſanitati reſtituatur? Nonne ponitur ob oculos, & ærumnæ ſic expoſitæ effica-

efficaciùs ad misericordiam permoveant Salvatorem? Esto hæc aliqua sit ratio, sed altius reconditum latere arbitror incitamentum. Multos benignissimus Dominus sanavit, etiam procul remotos, quod infirmitatibus oppressi vel diris cruciatibus confecti loco moveri commodè non possent. Verùm is, quo de agimus in præsens, & Spiritu, & viribus pollebat, ut Medicum Divinum haud gravatè accedere posset: hinc rationi consentaneum erat, gratiæ Salvatoris adjungere diligentiam propriam, cùm Voluntas DEI manifestè ab omnibus deposcat, ut se disponant, & quantum in se est, conferant ad cæleste solatium recipiendum. Consonat S. Joh. Chrysost. hom. 53. in Genes. *Quando quod à nobis est, offerimus, largiter Divinam operationem consequimur: nam ne desides & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre, quo sic sua declaret, & non totum sit superni auxilij, sed oporteat etiam nos aliquid simul offerre.*

Petrus, capto Magistro suo Divino atrium ingreditur Principis Sacerdotum; at continuò, cervo & sepiâ timidior, pernegavit nosse se, minùs familiariter usum fuisse illo, quem non ita pridem elatâ voce Filium DEI evulgaret, & vitâ, sanguineque defensurum spoponderat. 469.
Post gravissimum hunc lapsum, testante S. Luca 22. v. 61. *conversus Dominus respexit Petrum.* Christus salutis humanæ cupidissimus oculos infinitæ Pietatis in Petrum conjecit, cor transfixit eo obtutu, & fontes lacrymarum elicuit: *egressus foràs Petrus, flevit amarè.* Hunc salutarem intuitum S. Augustinus Leo Papa, & Hugo Card. admirantur etiam inde, quod Petrus moraretur in inferiore atrio Palatij, Christus verò teneretur in Superioribus, & colligunt, *illam respectionem à JESU non humanis oculis, sed Divinitus factam fuisse.* Hoc supposito, movet dubium Drogo Ostiensis de Sacramentis Dominic. Pass. ecquid ain hagiographe? *Dominus respexit Petrum? nunquid non etiam priùs respiciebat?* Nunquid dulcissimus JESUS oculos à dilecto discipulo avertit? non certè; sed perpetim in eo defigebat: licet verò Dominus intueretur Petrum, *Petrus tamen respicientem se Christum non respiciebat.* Christus igitur jam tum adspiciebat Petrum, cum primâ vice negare cæpit, perrexit tamen iste iterum, & tertiùm pernegare, imo etiam pejerare: tam incassus fuit obtutus Christi, donec vicissim respiceret Petrus, & nutu saltem pietati Divinæ responderet, quo fuit emollitus, & in lacrymas eliquatus, quibus culpam deleret, maculas delicti expungeret, & rigaret implantatum mox florem charitatis in DEUM & propriæ munditiæ. Flatibus cælestis gratiæ accessit palpitatio afflicti cordis, & ecce navim exstructam *velis remisq;* appellere ad portum salutis. Expansa tela calidis Solis radiis, &

 affusio-

affusione lachrymarum plangentis cordis ad mirum candorem promovetur: *albescit utroque.* Punicea rosa odorem spargit sanctioris exempli, postquam calor Divinus & fletus amarus ad maturitatem perduxit: *& radio, & fluvio.* Fixum ergo maneat, *ad perfectum virtutis vinculum conjuncta simul esse utraque hac oportet, & humanum studium, & auxilium cæleste.*

470. Utinam eodem affectûs calore, quo flagravit S. Ambros. l. 10. in Lucam, eodemque Spiritu non minùs, quàm verbis ingemiscamus: *Respice Domine JESU, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum!* Converte ô bone JESU Oculos tuæ Pietatis ad Cor meum, & durius sit licet, quàm fuerit Petri, quàm sit petra & cautes marpesia, dissiliat medium in pectore, præ teneritudine: deflecte ô JESU intuitum & calorem tuum, qui dissolvat glaciem viscerum meorum, & animæ medullas pervadat! Vide Domine calamitates meas, & facies, ut scaturiant rivi, resonent planctus, & Anima contaminata emundetur. Vos quoque Oculi reflectite vos in Salvatorem, & simul associare satagite *humanum studium & auxilium cæleste,* ita omni felicitate fruemini.

471. S. Joann. Chrys. profundiùs discurit textum Evangelij Joh. 1. v. 11. *dedit eis potestatem filios DEI fieri*, & disquirit, *cur non dixit fecit nos Filios DEI fieri?* Aut quare non immediatè declaravit nos Filios Altissimi, sed solummodo viam ostendit, & facultatem suffecit assequendo adeo sublimem filiationem? *ut ostenderet multâ nobis opus esse diligentiâ, ut adoptionis nobis per baptisma impressam imaginem puram servemus atque intactam.* Ita ad eminentem hanc dignitatem adscenditur partim per dona gratiæ sublevantis & habilitatem conferentis, partim perfrequentationem virtutum, quæ illuc promovent, & possessionem tradunt. Apponatur Divinæ Gratiæ paupertas Apostolica, & nostrum erit regnum cælorum: uniatur gratiæ puritas casti cordis, & delectabit nos infinita Pulchritudo DEI Gloriosi. Adjungatur gratiæ heroica perpessio adversitatum, & tribuatur nobis Corona triumphalis beatorum.
Associetur gratiæ tranquillitas pacis etiam inter turbulentos adversariorum insultus, & *beati pacifici, quoniam Filij DEI vocabuntur.*
Matth. 5. v. 9.

Ex

Ex

CAPITE VI.

Invicem vestram pudicitiam custodite.

Laboranti proximo spiritualem opem ferendam esse.

DISCURSUS XLVIII.

NÆ ille deliraret nimiùm, qui crederet hominem sibi soli natum esse. Mirâ Providentiâ disposuit natura ex sententiâ Platonis, ut homines essent *animalia civilia*, viverent in amicabili Societate, ac mutuas in necessitatibus ferrent suppetias. Quod haud inscitè exposuit Menander: 472.

Vir enim virum, & Civitas salvat civitatem.
Manus manum lavat, & digitus digitum.

Non minus ingeniosè allusit, qui emblema effinxit robusti cæci, cujus humeris nitebatur claudus, sed acuto visu præditus cum epigraphe: *mutuum auxilium*: junctis viribus conficiendum erat idem ambobus iter, alterius oculis viam monstrantibus, alterius robore pedum corpora promovente: quod Alciatus emblem. 162. ita expressit:

Loripedem sublatum humeris fert lumine captus
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

Porro tanta non est mutui subsidij necessitas in Politicis commerciis, quanta in vitâ Religiosâ, quia enim Divina Providentia plures DEI famulos in ambitu Monasterij unius collegit, aliud non spectavit, quàm

sincerè spectant, perfectâ rectitudine excellant : Ita S. Gregorius Pap. hom. 7. in Ezechiel. hac eleganti scripturarum collatione docuit: *quod apud Ezechielem penna, hoc apud Petrum Apostolum accepta gratia dicitur : & quod ille ait recta penna alterius ad alterum, hoc Ecclesiæ Pastor dicit, unusquisque prout accepit gratiam in alterutrum illam administrantes; pennæ enim nostra recta non sunt, si adutilitatem nostram solummodo reflectuntur, sed tunc recta fiunt cum ad utilitatem proximi dirigimus quod habemus.* Quapropter studeamus sedulo, ô mei Canonici, proximis communicare charismata pudicitiæ, humilitatis, charitatis, Zeli, &c. quibus per DEI gratiam præstamus, ut hac ratione pennas teneamus rectas, & evolemus usque ad lumen firmamenti, usque ad Thronum gloriosi DEI Domini Nostri.

476. Idem Sanctissimus Pontifex in allegatum primum caput Ezechielis aliud movet dubium, dissolvitque. Statim atque Propheta de suis stupendis animalibus dixit : *nec revertebantur cum ambularent*, quasi oblitus sui subjungit : *& animalia ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Quis isthæc satis combinabit? valde inquit Greg. hom. 5. ibidem, *si hæc videntur contraria, quia ibant, & non revertebantur, & ibant & revertebantur.* Si magno rapiebantur impetu ad obsequendum & perfruendum DEO, & nihil erat, quod retardaret, vel retraheret, quomodo ergo paulò post subditur, *ibant & revertebantur?* Dubium hoc complanare possunt Apostolorum acta, ubi memoriæ proditur, discipulos irretortis oculis suspexisse in Cælum, & quia licuit prosecutos esse beatissimum triumphum Divini Magistri ad empyreum sublevati: cum ecce duo se Angeli adspectabiles præbent sanctis & anxiis ac admiratione jubiloque suspensis Apostolis, & ajunt : *Quid statis adspicientes in Cælum? hic JESUS, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet*, &c. quo dicto evanuerunt. Galfridus factum hoc profundiùs considerans plurimum demiratur, quod è multis Angelorum millibus Domini gloriosam adscensionem stipantibus, duo duntaxat apparuerint B. Apostolis, & qui venerant consolatum afflictos orphanos, quatuor verbis rem tota confecta dederint: & hanc tandem suspicatur rationem subesse: *tam pauci venêre, ne tam festis deessent solenniis, & qui venêre, regressu celeri novisse gaudiis sociarunt.* E comitatu triumphantis JESU duo solummodo discesserunt, ut mœrorem & desiderium lenirent Apostolorum, affectusque turbatos cælesti affatu temperarent: at unicâ periodo negotium expediunt & actutum prosequuntur agmina comilitonum in Pompam & magnificentiam Christi collectorum, ut nimirum nec latum unguem

guem recederent ab oraculo Ezechielis: *ibant & revertebantur, iterumque nec revertebantur, cum ambularent.*

Videtis, opinor, in hoc facto velut in speculo delineatos mores servorum DEI, qui lampadum instar contendunt sursum, & eluctantur ad summum Bonum, primam veritatem contemplantes, ut nunquam amplius ab hoc infinito objecto divelli se sinant, nihilominus ad modum fulguris simul oculos circumducunt, auxiliumque præsentaneum offerunt, proximis, ut pertrahant ad agnitionem, amoremque DEI. Unde Gregorius: *Sancti Viri cum ad superna contemplanda evolant, tum bona cælestia, quæ saltem per speculum contemplari meminerunt, fratribus denuntiant, eorumque animos in amorem intimæ charitatis accendunt.* Nempe qui coruscant lumine, alios illustrare ambiunt, qui sanctissimo & suavissimo igne conflagrant, cupiunt scintillas spargere, aliosque pariter accendere: qui felici volatu feruntur ad cælum, avent allicere alios ad sequelam, ut *quod quisque non potest per seipsum, possit per alium.* 477.

Revertamur ad Ezechielem Prophetam, & aliud suggeret nobile documentum. Animalia prorsus stupenda, quorum c. 3. meminit, pennata quum sint singula, sonoram vocem edunt non gulâ vel faucibus more cæterorum, sed collisione alarum. *Et audivi, ait, vocem alarum, animalium, percutientium alteram ad alteram:* quasi diceret: ala unius Cherubini agilitate mirâ percutit & excitat, atque ad volatum alterius alam provocat, quò indicetur, Sanctos mutuo Zelo animari & magnis passibus in perfectionis tramite promoveri, cum enim charismata DEI variè dispensentur, plus uni, alteri minus, huic sublimitatem hujus virtutis, alii alterius, singuli ad majus sanctitatis incrementum stimulant proximos, exemplum præferendo, quod imitentur: id quod paucis insinuavit Hugo Cardinal. hic: *Una ala animalis alam alterius animalis percutit, quia omnes sancti se invicem suis virtutibus tangunt, & sese ad profectum excitant ex consideratione virtutis alienæ.* Ita dicemus nos, alâ leonis percutiente alam vituli, hunc ad heroïcam fortitudinem animari: ala vituli percutiens leonem, patientiam docet, ala hominis affricat actus benignitatis aquilæ, quæ vicissim homini confert affectus extaticos contemplationis. Desideratis verba confirmari exemplis, suppetunt plura: Milites Davidis cædem spirabant ac sanguinem, ferro & igne deleturi obvia, David mitigavit furorem verbis, & *confregit viros suos sermonibus* clementiam instillans. 1. Reg. 24. v. 8. Elias discipulum suum perquam morigerum, duplici quem flagitârat Spiritu, ditavit. Monica 478.

suavi suâ mansuetudine cor Patritij conjugis emollivit, ut furibundus leo in placidum verteretur agnum. Alipius castissimus Juvenis candore pudicitiæ Augustino vitam cælibem persuasit & puritatem animi corporisque eò usque juxtà habitum reddidit pretiosam. Mellifluus Bernardus præivit, verboque & exemplo Fratres Germanos ad amorem Religionis allexit,& plumbum amoris mundani in charitatis Divinæ commutavit aurum, eâque conditione *omnes Sancti se invicem suis virtutibus tangunt, & sese ad profectum excitant ex consideratione virtutis alienæ.*

479. Quapropter minimè potest in dubium vocari, quin Servi DEI, sicuti lapidis & Chalybis conflictu atque tritu elicitur ignis, *mutuis officiis* pretiosas & salutares suscitent flammas: ipsi admodum ardentium facularum *ope lucent mutuâ*, & alter alterius internum fovet fervorem: ipsi ad instar cervorum invicem se suffulciunt, atque *dant animos vices:* turbida trajiciunt flumina *per mutua nixi.* Ipsi veluti cultri acuuntur auxilio *alter alterius*, quod voluit docere Hugo à S. Victore cum commentatus est: *ad hoc in unum habitamus ut nos invicem custodiamus, invicem corrigamus, invicem erudiamus,* &c.

480. In amœnâ parabolâ de talentis unà elucent, & generosa liberalitas Domini, & fidelis opera servorum in multiplicandis iis adhibita: *Domine quinque talenta tradidisti mihi*, industriâ meâ non mediocriter occvêre: *ecce alia quinque super lucratus sum.* Matth. 25. v. 20. *Euge serve bone!* indefessis tuis laboribus requies debetur, frons tua natans sudore gemmis meretur, & lumine gloriæ coronari: *intra in gaudium Domini tui.* Jam verò quæ & qualia putatis vos fuisse hæc talenta, rogat S. Paschasius, quæ supremus Dominus distribuit inter famulos suos? Virtutes fuerunt, quas multi fariam divisit Servis suis Clementissimus Dominus, & justus sedulò insistens operi præscripto in se proximisque mirificè adauxit: *hoc est de quinque talentis alia quinque lucrari*, inquit Beatus Pater ser. 11. in Matth. *cùm in iisdem nosmetipsos exercentes, & alios instruentes ad majorum virtutum culmina erigamur.* Porro cùm gratia DEI tam *in nobis quàm in proximis* fuerit duplicata, merces laboris perennabit, & conatum brevem interminabilis felicitas excipiet, atque ut S. Paschasius concludit, *de temporalibus æterna, & de caducis semper manentia acquiremus.*

Ex

Ex

CAPITE VII.

Si oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, statim admonete, ne malè cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur.

Correctioni fraternæ suavitatem quandam miscendam esse.

DISCURSUS XLIX.

MYsterio non vacant verba, quibus DEI Filius exposuit officium Spiritui Sancto attributum: *cùm venerit ille, arguet Mundum de peccato, & de justitiâ & de judicio.* Joan. 16. v. 8. Quod si æternus Pater Majestate Judicis tremendus apparuit Danieli: *antiquus dierum sedit - Judicium sedit, & libri aperti sunt.* Dan. 7. v. 9. Si auctoritas judicandi puniendique competit Unigenito DEI Filio: nam *omne judicium dedit Pater Filio.* Joh. 5. v. 22. eccur igitur à Patre, cujus propria est potentia, à Filio, cui omnis sapientia inhabitat, ad Spiritum Sanctum dignitas & eminentia transfertur Judicis? *cùm venerit ille, arguet Mundum de peccato?* Fallor, an demonstrare voluit hinc DEUS, cum genuinus Character Spiritûs Sancti & forma, sub qua visendum se singillatim præbuit, sit blanda & amabilis columba, illi provinciam reprehendendi corrigendique delinquentes conferri, qui ostendit viscera pietatis, felle vacua quasi columba rostro olivæ ramum pacificum præseferens, ut eo paradigmate instructus Mundus, discat defectus & imperfectiones proximi omni benignitate ac dulcedinis affectu castigare, ac quæsitam emendationem eo pacto consequi. Hinc quando S. Augustin. jubet Religiosos suos medelam afferre notatis in fratre morbis animæ: *Si oculi petulantiam in* 481.

aliquo vestrûm adverteritis, statim admonete, ne mala capta progrediantur, sed de proximo corrigantur : caveant, interpretatur Hugo Victorinus, *ut neminem cum irâ & dignatione, sed potiùs cum dulcedine & charitate redarguant.* Fieri namque consuevit, ut furiosa increpatio peccatorem exacerbat, atque surdum obstinatumque in erroribus suis efficiat : lenis econtra monitio suaviter ad virtutis semitam traducat, quod quidem præsenti discursu pluribus & apertè monstrabitur.

482. S. Paulus exquisitis pretiosisque doctrinæ suæ margaritis fundamentum constabiliet ratiocinationis : *si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis.* Gal. 6. 1. q. d. Si contingat proximum tentationi succumbere, inescari propositis illecebris, vel fisco dæmonis irretire : Vos perfectione Christianâ jam provectiores, & eximiis Spiritus Sancti gratiis dotati corrigetis, atque ad frugem reducetis meliorem ; cavebitis autem, ne fulgura & tonitrua spiretis, ne austero Aquilone invehamini, ut omnia perstrepant calumniis & fragore injuriarum ; potius ostendetis Zephyrum & vernam amœnitatem, ut glacies cordis indurati eliquetur, & terra torrida calore & ardore charitatis recreata reflorescat, & uberes fruges progerminet. Quem in locum S. Joannes Chrysostomus : *non dixit in mansuetudine, sed in spiritu mansuetudinis ; nam qui Divino Spiritu perfunduntur acerbos ac rigidos esse nequaquam decet. Ipse namque Spiritus amor est, & amantes animos occupat : quis igitur acerbitati in eo potest esse locus, quem tanta vis amoris possidet ?*

483. Eodem collimat, quæ idem Gentium Doctor nuntiat Corinthiis 2. Ep. c. 13. Videlicet magnâ equidem se potestate donatum esse in DEO, sed eâ duntaxat ordinatâ in emolumentum aliorum : *potestatem,* inquit, *quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem,* &c. Quia correctio fraterna, quam eo loco significari vult glossa, unicè spectare debet utilitatem & salutem proximi, non verò damnum vel interitum. Quemadmodum enim pluvia guttatim ac placidè delapsa terrám suaviter pervadit, rigat, & fœcundat, cum eadem instar torrentis præcipitata sementem disturbet, herbas evellat, & segetes vastet. *Pluvia,* scribit S. Hieronym. Ep. ad Ferriam, *illa optima est, quæ sensim decidit in terram, subditus ac nimius imber in præceps arva subvertit :* Ita sane correctio vel potiùs invectio furiosa perniciem affert proximo, tranquillitatem tollit & rancore, amaritudine ac impatientiâ replet : quando verò peragitur *cum dulcedine & charitate optima est,* mirandosque & excellentes fructus producit. Quin dicam etiam, quod sicuti flamma in

Rubo

Rubo apparens Moysi, arbustum illustravit, quin accenderet, vel decineraret: Unde lemma: *innoxia splendet*; ita lingua corrigentis, lingua Apostolica, lingua flammis coruscans, *non comburens sed illuminans* conferre debeat felicitatem, claritudinem & quietem conscientiæ: minimè verò molestias facessere alteri, etsi spinis hispido, & vitiorum ceu monstrorum & serpentium cubili horrendo, quò serviat *in ædificationem non in destructionem*.

Porro quam Paulus maximam ipse observavit, docuit quoque Timotheum & de corrigendo proximo tractans præcepit: *argue, obsecro, increpa in omni patientiâ & doctrinâ*, reprehensioni misce obtestationem & justæ asperitati lenitudinem adjunge patientiæ ac doctrinæ: ita nimirum ex luce benignitatis & umbrâ severitatis temperata & laudabilis prodibit effigies fraternæ correctionis. Cum Samaritanus Evangelicus accingeretur medicationi plagarum, impedit teneritudinem olei, & amaritiem vini: effudit admodum mali punici succum medicinalem austeritate simul ac dulcedine insignem. Ut in amorem virtutis pelliciantur & attrahantur animæ, opus est funiculo versicolore: qui nempe proferat & rubedinem rigoris & flavedinem amoris & virorem tolerantiæ & candorem doctrinæ: quamvis plus efficiat suavitas, quàm feritas, & corda humana facilius inclinentur, amicâ quadam comitate quàm durâ ac indiscretâ violentiâ. Ita monitum Pauli minutim expendit S. Prosper l. 2. de vit. contempl. c. 5. inquiens: *argue cöæquales, obsecra seniores, increpa juniores in omni patientiâ & doctrinâ, quia leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimia increpationis offensus nec increpationem accipit, nec salutem.* 484.

Haud vulgare est emblemma illud Argonavis, quæ vi remorum promota è puppi Orpheum refert lyrâ ludentem, ac suaviter dirigentem, quod innuit epigraphe: *carmine docet ire*: quasi Symphonia poneret modum remorum agitationi, & ita proveheretur navis prosperè, vocibus musicis propellentibus, ut omni semoto periculo portum læta subiret. Quod fingitur de Orpheo, de opportuno ac prudente correctore verum tenet: si patientiâ & doctrinâ ille polleat, navim familiæ periculorum nesciam traducet inter scopulos & brevia, inter Scyllam & Charybdim vitiosorum excessuum, atque hoc ipsum est, & in votis Hugoni nostro: *cum dulcedine & charitate redarguant.* 485.

Sed revertamur ad magnum Apostolum, qui accurate dedit operi, quod theoricè docuerat; antequam Corinthios, quod nescio quas lites 486.

tes ac rixas foverent, corriperet, acervum præmisit pretiosissimorum florum dicens: *divites facti in omni verbo, & in omni scientiâ, ita ut nihil vobis desit in ullâ gratiâ.* 1. Cor. 1. v. 7. subinde velut amantissimis fratribus. *Obsecro autem vos fratres.* Tandem culpat: *quia contentiones sunt inter vos.* v. 11. ut præviâ humanitate ac mansuetudine illecti promptius glutirent pilulas amaræ correptionis. *Fratres vocat,* commentatur Catharinus, *ut dulciter & in Spiritûs Bonitate admoniti faciliùs correctionis medelam sumant.* Confirmat S. Gregorius appositè aliâ similitudine l. 1. in Ezech. hom. 11. *Peritus Medicus vulnus secundum videns, sed ægrum timidum esse conspiciens diu palpavit, & subito percussit: priùs blande manu laudes posuit, & postmodum ferrum increpationis fixit.*

487. Prudentem hanc corrigendi dexteritatem mirifice fuisse adhibitam Episcopo Ephesino testatur Sacra Apocalypsis: corallam ei encomiorum texit Filij DEI; quem lateant tua merita, dignitas virtutum, ac prærogativæ? *Scio opera tua & laborem, & patientiam, & quia non potes sustinere malos.* Apoc. 2. v. 2. postmodum vituperat, quod fervorem primæ charitatis deseruerit, & ni temporiùs emendet, atque ad frugem redeat, graviora minitatur supplicia: denique rursum laudibus coronat: *sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Itaque benignissimus JESUS sub exordium & finem benignè recreat, ut amarities correptionis efficaciùs applicetur, ut Rupertus Abbas l. 2. in Apocal. ponderavit: *reprehensionis amaritudinem, ne nimis offenderet, atque exterreret, collaudationis dulcedine circumlinivit.* O si fideles hæc exempla imitarentur, & fratrum defectibus occurrerent, atque pectori humano stimulos subderent, sed unâ dextrâ melle præconiorum, & suavitate delinirent, ne purâ reprehensione irritentur, sed alacri cohortatione in viâ virtutis animentur, ut revertantur, & impigre progrediantur: Consulit ergo Rupertus debere nos *corripere, quidem ea, quæ emendatione indigent, sed inter corripiendum & prius, & posterius collaudare, si qua bene dicta sunt, & quatenus teneatur benevolus correctus & non refugiat.* Ita se gerat corrector, ut ipsi perinde applaudi queat, ac Sponso cælesti: *ubera tua sicut botri vineæ.* Cant. 7. v. 8. quæ post acrimoniam correctionis fundant lac consolationis & dulcedinis: & sicut Salomon pro templi ornatu etiam *inter coronulas & plectas leones & boves.* 3. Reg. 7. v. 27. collocavit, haud secus correctionis rigor præseferens, nescio quam ferociam & terrorem leonis, temperandus est frondosis lætisque benignæ humanitatis coronis.

Conclu-

Concludamus cùm Senecâ, quod hactenus ex sententiâ Hugonis nostri probare nitebamur: prudentes correctores *cum dulcedine & charitate redarguant.* Addit Stoicus, experientiâ certâ nixus, *naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens, sequiturq; faciliùs quàm ducitur.* Ea est hominis indoles, ut reluctetur, si quis violenter opprimere vel domare quærat, & submittat se sponte, si placidè mansuetéque invitatur: utatur igitur amore & benignitate cujus est, errata corrigere, & corda inveniet morigera feliciterque triumphabit. 488.

De Thynno nobili marino pisce referunt arcanorum naturæ indagatores, reti implicatum maximâ ferociâ ac rabie agitari: si verò prudens piscator poppysmis circa collum demulceat, impetum continuò & omnem furorem ex vere ac planè mansuescere: hinc nonnemo inscripsit: *poppysmate mitis.* 489.

Idem observare licet, ait Seneca, in generosis equis, qui assiduis flagelli ictibus imprudenter impactis efferati recalcitrare solent ac obniti, econtra ope fræni accommodè sive, ut dici solet, filo serico diriguntur, quà voles: *ut generosi & nobiles equi meliùs facili fræno reguntur*, ita suavitate & amicâ tractatione ab ingenuis animis extorquetur, quod optari potest: estque certissimum experimento quotidiano, ubi benignitas præcedit, & regendi dexteritas, subditos à recto tramite non facilè deflectere: nimirum verba sunt Stoici: 490.

Clementiam voluntaria innocentia impetu suo sequitur.



Ex

CAPITE VII.

Si oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis, sanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire, &c.

Delicta proximi ad Prælatum esse deferenda.

DISCURSUS L.

491. SAnctus Benedictus, gloriosissimus Monarchorum Patriarcha, ut ut virtutum & sanctimoniæ lumina diffunderet, ac ubique celebraretur, nactus tamen est nonnullos degeneres filios, quorum insidiis propè fuisset interemptus; saluberrimis ipse documentis mensam instruxit vitæ aviternæ, illi lethale propinantes poculum violentam mortem sunt machinati; Sed Spiritu Prophetico illustratus Sanctus Pater agnovit malitiam impiorum in calice vitæ venenum mortiferum porrigentium, atque è monasterio, quod eo pacto in cubile viperarum migraverat, se contulit in abstrusam solitudinem, securius salutem operaturus. Quem eventum Lucarinus emblemmate pavonis repræsentavit: cujus proprietatem esse fuerunt, ubicunque vas pestilenti liquore infectum repererit, quantociùs evertere ac destruere, adjecto lemmate: *venenum detegit & perdit.*

492. Præcellentem hanc industriam detegendi virulentam infectionem, & tempestivis remediis occurrendi optat S. P. Augustinus exerceri in suis alumnis, quibus injungit: *Si oculi petulantiam in aliquo vestrum adverteritis - sanandum prodat, quicunque hoc potuerit invenire, - sed prius Præposito debet ostendi:* Quem textum ita exponit Hugo de S. Victore:

ctore: *Culpa cum occultè committitur ab aliis fratribus secretè debet corrigi, quos se neglexerit audire, Patri Monasterij debet indicari.* Suadet namque pietatis affectus, & Zelus promovendi salutem proximi, ut Medico Spirituali aperiatur Apostema, quod occultatum afferret mortem, manifestatum verò polleretur ac incolumitati consuleretur, quod bonâ cum veniâ vestrâ inpræsens confirmandum suscepi.

Et verò plurimum interest Religiosæ cujusvis familiæ, superioribus innotescere nævos & graviora subditorum delicta. In monumentis S. Basilij reperitur: *si quis noverit fratrem clam secedere de monasterio volentem, & non significaverit Archimandritæ, aut præfecto excommunicetur.* S. Ignatius Lojola regulâ 20. inter communes expressim præcipit: *qui gravem tentationem alicujus noverit, superiorem admoneat.* Clerici Regulares S. Pauli arbitrantur gravissimam esse culpam illius, qui *sciens aliquem de fugâ aut abitione cogitare Superiori non dixerit.* Pariter Filij S. Matris Theresiæ non minùs, quam discalceati Patres Augustiniani utrique sublimioris Religiosæ perfectionis avidi in hebdomades singulas quosdam constituunt, ut vocant, Zelatores, quorum officium est in vigilare, attenteque defectus domesticos confratrum observatos in publico capitulo propalare, ut discreta Prælati prudentia correctionis adhibeat remedium, quod opportunum in Domino judicaverit. 493.

Sed mutuemur, si placet, momenta hujus veritatis è sacris scripturis. Meticulosa & anxia fuit sollicitudo agricultorum, de quibus S. Matthæus. Obseruerant campum opimo frumento, & tamen lolia cernunt pullulare ubique & Zizania; quid consilij? *Accedentes servi* Patrisfamilias dixerunt ei, *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet Zizania?* Sed obsecro, quorsum hæc supervacanea cura? si enim nullius sibi conscij sunt culpæ, sed omnem operam navarunt, quam debebant, cur ita percelluntur sinistro hoc successu? dicam ego, quod res est, respondet S. Petrus Chrysol. serm. 97. *Expavescunt, hoc metuentes, ne Zizaniorum germina ad illorum redirent offensam, quorum conscientia præter jactum boni seminis nihil habebat. Hinc est quod auditum sui Domini prævenerunt, ne securi de innocentiâ, reatum de silentio sustinerent.* Itaque servi non magis fidelitate aut vigilantiâ, quam prudentiâ conspicui, esto nulla eos redarguat culpa desidiæ, vel malitiæ circa agriculturam admissæ, sedulò tamen communefaciunt Dominum, haud ignari suarum esse partium, nonsolùm muniis commissis indefesso studio satisfacere, sed etiam hero detegere, si qua culpa irrepserit aliorum invidiâ, *ne securi de innocentiâ, reatum de silen-*

tio sustinerent. Atque hoc ipsum est, quod Hugo noster docuit, quod excessus fratrum, ne impunè transeant *Patri Monasterij debeant indicari.*

495. Pergamus porro in Matthæo. Vixdum Evangelicus ille Rex perfido cuidam Ministro magnificentiâ plusquàm regali grande decies mille talentorum debitum ex integro condonavit, remisitque, improbus iste socienus offendit in alterum servum, nomine centum denariorum sibi obstrictum, & ocius manus violentas injecit, & diabolicâ barbarie strangulatum, *redde quod debes* in cæcum compegit carcerem. Quæ res pessimè habuit cæteros familiares, qui *contristati sunt valde; venerunt & narraverunt Domino suo omnia, quæ facta fuerunt.* Matth. 18. v. 32. Scio equidem, opinione Origenis, servos exposuisse Regi atrocitatem Lavernionis, ut miserationem cierent erga mancipatum ergastulo, sed non ambigo, quin non tantum fuerit studium flectendi Regem ad clementiam in miserum, quam ad extorquendam vindicis justitiam in sceleratum flagrionem, cui Rex jure succenseret, & pœnas exigeret promeritas; exemplumque statueret crudelitatis luentis; unde discamus omnes inter primas felicis regiminis esse conditiones, quodquilibet peccata & scandala subditorum ad Prælatum deferat, ne prævaleat ambitio, superbia, nec minores injustè opprimantur: itaque more laudati, ac intrepidi Molossi sonoro latratu prodat feram, ut justo rigore compescatur, retundatur, transfigatur.

496. Refertur in Sacrâ Genesi, Sarai cùm deprehenderet sterilitatem suam, & conjugium fructu optatissimæ prolis destitutum esse, summâ suâ voluntate Abrahamum induxisse, ut Agar ancillam suam altero sibi matrimonio jungeret. Dictum, factum, sed eventus non satis respondit desiderio. Agar fœcundam se conspiciens extolli cœpit, ac Dominæ insultare arrogantiâ intolerabili: *concepisse se videns despexit Dominam suam.* Genesis 16. v. 4. Quid hoc portenti AA? Ergone serva status pristini immemor illudat, & impunitatem assequatur? ergone injuria matronæ tantæ irrogata non vindicetur? fastus tam exoticus non deprimatur? minimè gentium; Sarai Patriarcham adit, & heus, inquit, Domine mi, æquúmne tibi videtur, quod serva mei dominetur? quin tyrannicè imperet? Ego bona nimis thalamum cessi, illa in vicem rependat injurias & vilipensionem? *Ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns, quod concepit, despectui me habet, judicet Dominus inter me & te.* Abraham hoc præcepto nihil cunctatus remedium applicuit tanto malo, ne amplius serperet. O si Religiosæ animæ in tantum imita-

imitarentur Saram, ut quemadmodum ista Domino suo patefecit temeritatem, & audaciam famulæ, ut confusioni maturè occurreretur, & pax domestica, exterminatâ Agaris contumaciâ, servaretur illæsa, ita ipsæ *publi*cam zelarent felicitatem & concordiam, etsi quando lites vel contentiones excitarent malè feriata, & fastu turgida & inquieta capita, familiamque turbarent, illico sincerè Patrifamilias, Pastori Gregis & Prælato aperienti *Patri Monasterij debent indicare* : quo authoritatem suam interponente delinquens *debet emendatoriam subire vindictam.*

Firmari potest propositum gestis à S. Matth. cap. 8. & à S. Marco cap. 4. consignatis. Naviculam Petri ingressus est Dominus unà cum reliquis discipulis,& in puppi recumbens vix oculos in dulcem somnum declinavit, cum sæva repentè tempestas insurgit, undique furiosi venti debacchantur, procellæ montium instar efferuntur, & navicula jam in proximo est,ut fluctibus cooperiatur. Discipuli,arte nihil proficiente, & furori maris paulatim succumbentes ad Dominum cæli refugiunt, probè gnari, *quod si mirabiles elationes maris.* Psalm. 92. v. 4. magis tamen sit *mirabilis in altis Dominus.* Ah bone JESU! aperi oculos immensæ pietatis tuæ & videns extremam calamitatem nostram succurre miseris : *suscitaverunt eum, dicentes; Domine salva nos perimus.* Matth. 8. v. 25. Et ecce tibi metamorphosin cunctis retro sæculis nunquam visam vel auditam : surgit de strato Christus, & solo nutu furiosum elementum subigit, in momento mera apparet malacia : *imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Sivè, ut S. Marcus recitat cap. 4. v. 39. *Comminatus est vento, & dixit mari tace, obmutesce, & cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna.* 497.

Si forsan aliquando (quod clementissimus avertat DEUS) adversus Canonias nostras ceu parvulas naves insurgerent *Spiritus procellarum.* Ps. 148. v. 8. Si homines turbulenti, libertini, arrogantes, & sicut *fluctus feri maris despumantes suas confusiones.* Jud. 13. Angustiis replerent ac periculis, omnes sanè officij sui partes explebit, & operam verè Apostolicam præstabit, qui maturè recurret ad Prælatum, vice DEI præpositum, & cum Davide alloquatur : *exurge, quare obdormis Domine, exurge & adjuva nos.* Ps. 43. v. 23. Ille enimverò excitatus è dulci quietoque contemplationis somno, auctoritate, qua pollet, imperiis, minis, promissis frænabit insolentiam ventorum, placabit tumultus undarum, & procellas disjiciet : *Comminabitur vento, imperabit mari. Tace & obmutesce & cessabit ventus, & fiet tranquillitas magna.* 498.

499. In laudem Josephi commemorat Sacra Genesis, insignem parvulum sufferre æquanimiter non potuisse enorme quoddam & abominabile flagitium à fratribus designatum, sed offensum scelere ac remedij perquam cupidum ad Patrem confugisse: itaque *accusavit fratres suos apud Patrem crimine pessimo.* Genes. 37. v. 2. Statimque subdit Moyses: *Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos.* Nitebat Joseph internâ puritate, flagrabatque sanctiori Zelo abstrahendi fratres à vitiis, & alliciendi ad virtutes, dignus inde speciali affectu evasit, quo afficeretur à Patre. Tametsi verò Scriptura videatur singularem Jacobi erga Joseph propensionem derivare inde, quod in ultimâ senectute illum genuisset: Nihilominus pro certo affirmant interpretes, Jacobum, utpote virum sanctissimum, etiam permotum fuisse ad teneriorem *Josephi* amorem, quod adverteret odio illum prosequi scelera, & studiosè incumbere, quo procul omnis iniquitas è nobilissimâ illâ familiâ exularet. Referebat Joseph naturam Achatis, cujus energiâ, ut Physici ferunt, venenum reprimitur, unde inscriptionem tulit: *mors pretiosa veneni.* Exprimebat Joseph nobile coralium, quod nativâ suâ proprietate & vi occultâ *detegit venena.* Fidus & generosus canis est *feris tantum infestus*; & Luna totis viribus caliginem mortis expugnat, *tenebras & ipsa tollit.* Hinc Joseph si sua virtuti merces non denegetur, omnino promeruit, ut à prudentissimo parente suo præ cæteris fratribus amaretur ac æstimaretur, ut enim rectè disseruit Guilielmus Hamerus, eximium decus ac lumen familiæ Dominicanæ: *Magnum hoc præclaræ indolis in Joseph signum erat, quod fratrum suorum vitia odio habebat, & ad communem Patrem deferebat, quo quidem studio facile sibi patrem demeruit.*

500. Quam velim ego generosam illam in Josepho tantis præconiis celebratam indolem aversandi fratrum suorum vitia, & detegendi optimo parenti, idque non per invidiam, odium, aut malevolentiam, sed charitatem & studium promovendi puritatem, DEI gloriam & animarum salutem inesse nobis omnibus! Vices supplebit DEI in terris, quisquis sollicite profectum fratris quærit, operamque dat, ut plagis in tempore exhibeantur media salutis: quidni dicendus sit Salvator, qui talia confert subsidia? Non tractatur hic loci de accusandis proximis coram Judice, qui ferrum ignemque intentet, & ultimo afficiat reos supplicio, sed monstratur

ſtratur cura & benignitas paſtoris, qui reducem & ſauciam oviculam ambobus brachiis ſtringat peramanter, ad fontem eluat labes, & ægram refocillet. Ad Patrem deferantur quæ diſciplinam ordinis evertunt vel turbant, ille amplectetur diſcolum, ſi ad frugem redeat, in viſceribus charitatis, & vices medullitus dolebit, ſi miſerias & ærumnas filij reſcierit, nec deſiſtet, donec ſalus integrè reſtituatur, ſi crudelis & barbarus cenſetur, qui vulnus lethale, quo gravatur proximus, celat, *multò magis crudelis eſt*, ait Hugo noſter, *qui peccati vulnus in animâ fratris non indicat, & reus mortis eſt, quem tacendo perire permittit.* Quocirca manifeſtet quivis Religioſus graviores fratrum culpas, ad exemplum Joſephi, & florida illos miſericordia coronabit: & ſicut Joſeph eo facto affectum intimum Patris temporalis lucratus eſt, ita, ſpondente Hugone, qui ſimiliter ſe geret, *magna illi merces debetur ab Omnipotente.*




CON-





CONTINATIO

MAXIMARUM SACRARUM RELIGIONUM.



Ex

CAPITE VII.

Ne mala cæpta progrediantur, de proximo corrigantur.

Proximum quoad fieri potest occultissime corrigendum esse.

DISCURSUS LI.

PRodigiosus ille Dux Israelitarum Moyses non sine gemitu & cordolio vidit commissum sibi populum pluribus, iisque gravissimis sceleribus esse contaminatum: & suis ne partibus deesset, omnes nervos intendit, ut, flagitiis expiatis, ad virtutem revocarentur, sanctúmque Divini Numinis timorem conciperent. At quam viam ingressus est? Quod medium adhibuit? Certè non illicò securim ad radicem posuit funditus eversurus pestiferam arborem; non ligone adacto infelicia lolia, spinas & tribulos, unà cum totâ semente eradicavit; non omnia susque deque vertit, ac terroribus, minis, fulminibus implevit: sed solerter iis usus est documentis, consiliis, monitis, quæ instar placidæ cuiusdam pluviæ illaberentur, vel ad modum crystallini roris penetrarent, simúlque labes abominandas eluerent, seu fœda criminum extinguerent incendia: ita precatur Deut. 32. v. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum; quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Qua quidem metaphorâ tum pluviæ, germinibus quietè affusæ, tum roris sine strepitu prata recreantis, egregiè docuit, correctionem fraternam secretò ab aliis, tacitéque peragendam esse, quo proximus non magis exacerbatus obdurescat in malo: sed svavi illâ dexteritate ac charitate emollitus, aurem præbeat sanioribus consiliis, errata emendet ac proficiat in bono. S. Augustinus providè, ne culpæ suorum Religiosorum forsan commissæ in dies sumerent incrementum, quantocius Virgulam censoriam iubet opponi: *Ne male cæpta progrediantur, de proximo corrigantur.* At Hu- 501.

go Victorinus ibi observat: correctionem debere occultam fieri, nec propalari crimina: *Qui deliquit frater, secretè debet corrigi, quatenus culpa, quæ adhuc latens est, si fortè secretiùs corrigi potuerit, non omnibus innotescat.* Hac igitur cautione corripiat suorum errores superior, ut pallio charitatis vulnera contegat, & ægrotus sanitati reddatur, non verò per importunam revelationem publicâ notetur ignominiâ & pudore confundatur, quod argumentum esto præsentis sermonis.

502. Et quidem sacrarum literarum oracula adire si libet, amplissimum huic proposito dicent testimonium: an non clarissimè id docuit Salvator, cum disertè Matth. 18.15 præcepit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum*: sive, ut alii legunt, *solus cum solo.* Rationem paucis subiungit Divus Ambrosius in c. 17. Lucæ, *Plus proficit amica correptio, quam accusatio turbulenta: illa pudorem excutit, hæc indignationem movet.* Solus solum corrigat, & faciet satis obligationi correctionis fraternæ, & abunde prospiciet famæ & charitati: *Studens correctioni.* Auctore S. Augustino serm. 16. de Verb. Dom. *parcens pudori.* Parum abludit reflexio Alberti Magni, nempe correctionem peragendam *inter te & ipsum solum ne forte publicatus humanam amittat Verecundiam, & tunc non curet corrigi.*

503. Quod verò Filius DEI docuit verbis, in maius veritatis adductæ firmamentum corroboravit exemplis. Refert S. Marcus, transiisse Salvatorem Tyro & Sydone ad mare Gallilææ, & oblatum fuisse hominem linguæ & aurium usu orbatum, & quidem nonnullos Domino supplices accessisse, ut flecterent ad pietatem, & sanitatem impetrarent. Bene habet; fons pietatis non renuit affluenter solari, ubi cum fiduciâ exponuntur miseriæ; communicare vult gratias ex thesauro infinito & voti damnare: quapropter *apprehendens eum de turbâ seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, &c.* Marcus 7. 33. Sed quare abducit eum Dominus? si Divinitatis gloriam luculentiùs potest manifestare in copioso hominum cætu, geminum edendo miraculum, quid quæso latere avet, locúmque separatum eligit? fortassis innuere cupit, in præstantissimis quibusque operationibus declinandos applausus hominum, & perniciosam ambitionem? ita S. Joan. Chrysost. Fortassis immisti erant multitudini tantæ infideles aliquot, propterea indigni, quia tanta prodigia usurpent oculis? ita Euthimius. Fortassis turba illa infirmum ambiens scatebat hominibus nefariis, hostibus virtutis, DEO adversariis, à quorum abstrahendus erat consortio, ut capax fieret obtinendæ salutis? Ita exponunt S. Hieronymus, Beda, Haymo, Eusebius Gallicanus & alii. Sed

Sed nobis exquisitè favet Dionysius Carthusianus, testatum relinquens, avocatum esse miserum *de turbâ seorsum, ad designandum, quod spiritualiter surdi & muti secretò admonendi sunt, atque docendi, ne ex humano rubore retrahantur ab advertentiâ, & pœnitentiâ.* Cùm enim surdus & mutus expressa sit imago hominis peccatorum pondere oppressi, qui percipere nequit cælestem vocem, consiliis sanis non paret: & cæteroquin more iumentorum in laudes Divinas nunquam resolvit linguam, idcirco vocatur in locum à turbis nonnihil remotum, ut discamus, eiusmodi hominem privatim conveniendum esse, ne pudore affectûs ab emendatione abhorreat: sed benignum monitorem avidè sequatur, & incolumitatem recuperet.

Magnum hæc explanatio robur tribuit assertioni nostræ; ut verò manifestiùs eluceat, ad ultimam vos cænam Domini nostri invitare, non vereor, spe fretus, non defore intellectui suas cupedias: assidet suis stipatus discipulis supremus Magister, saporémque dapum temperans felle & aceto impendentis passionis in amaram hanc querimoniam prorupit: ah charissimi, qui me circumdatis, & hactenus vocantem auscultastis, *unus vestrûm me traditurus est.* Matth. 26. 23. Quo facto unà ostendit se DEUM futurorum præscium, & hominem omnium virtutum prototypon: ita sigillatim tetigit ream traditoris conscientiam, quin tamen acriùs eum accuset, vel improperet, quin manifestet, vel confundat proclamando inauditum nefas: tantummodo monet tacitè, ut colligere se, detestari scelus, & pœnitudine valeat expiare. At Judas, quem tanta dulcedo & patientia Redemptoris ad pœnitentiam & saniora revocare debebat, ut vidit immane crimen celari, æstro sordidæ avaritiæ percitus, executionem maturavit, & præceps ruit in barathrum impietatis. Quem sacrilegum transfugam ita insectatur S. Leo Pontifex Ser. 7. de pass. *Cur infelix Juda tantâ benignitate non uteris? ecce parcit auribus tuis Dominus, & nulli te nisi tibi indicat Christus, nec nomen tuum, nec persona detegitur, sed veritatis & misericordiæ. Verba cordis tantum tui arcana tanguntur.* Et vide sis, ô Religiose, quò processerit benignitas, tolerantia & providentia in Assertore unico salutis nostræ! Palam omnibus traditionis crimen aperit, non verò traditorem: delictum exaggerat, delinquentem latere sinit, & causa est, ut, ubi cæteri Apostoli de innocentiâ quisque suâ securi obstupescerent, & attoniti hærerent: solus Judas summæ iniquitatis Auctor dignâ reflexione horrorem peccati capesseret, atque seriò reverteretur: quid luculentiùs afferri queat ad ostendendum, quod, *qui deliquit frater, secretè*

te debeat corripi : bonúsque correptor, ut Augustinus dixit, teneatur *studere correptioni & parcere pudori.*

505. Inter complura alia toto Orbe celebrata prodigia, quæ Israëlitas Ægypto egressos comitabantur, postremum non est, quod mare in profundo sinu straverit viam lutosis voraginibus in momento exsiccatis, & ita arentibus, ut Hebræi pulverulendo pede alterum littus & maritimam attigerint. Quod Psaltes indubitatè virtuti vocis Divinæ admetitur Ps. 108. 9. accinens: *& increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.* Hic subsistit S. P. Augustinus, & rimatur aliquam Divinam vocem, nec tamen reperit in toto Exodi volumine ullam mentionem, quod DEUS vel præciperet aquis, vel reprehenderet: *Non legimus*, ait, *ullam, qua increparetur mare, emissam cælitus vocem.* Admiramur opus immensæ potentiæ, sed imperium vel Alloquia maris non deprehendimus, quo igitur pacto increpuit mare? admodum doctè, ut assolet, Augustinus, acutéque respondet: *nisi forte quis dicat latenter increpitum.* Frænum videlicet injiciendum erat impetuosis & superbis fluctibus: limus profundi arefieri debebat, latibula piscium, & voragines complanandæ populóque curioso sub oculos ponendæ, illac transituro, idcirco præcepit DEUS voce suâ validâ, sed ita demissâ lenique, ut quamvis non perstreperet in aëre, perciperetur tamen, executioníque sine morâ mandaretur à fluxo elemento, quod indicat Augustinus, dicens: *latenter increpitum.* Sed ecce hîc vobis absolutam ideam, quam intueantur Prælati, si fructu correctionis frustrari nolint, sed ita disponere subditorum corda, ut virtutum vestigia placidè in se recipiant. Quis negaverit, vitiosum animum haut absimilem esse Oceano? Oraculum Divinum Is. 57. 20. enuntiat: *cor impii quasi mare fervens*, mare tumidum superbis præsumptionibus, mare turbulentum iracundis fragoribus, mare impurum, variisque commodorum proprii status & voluptatum fæcibus inquinatum, & spumans, &c. huic confusioni in ordinem redigendæ, his cloacis exsiccandis. huic mari sedando non serviunt imperiosæ ferocésque correctiones, & aculenta dicteria, sed oportet *latenter increpare, studendo correptioni, & parcendo pudori.*

506. Princeps Jairus, charissimâ filiâ immaturo fato functâ, cùm gravissimo mœrore conficeretur, nec aliam dolori medelam sciret, accessit verbum Divinum, humanâ carne vestitum, & resperit cumprimis propitium, gratiámque optatam exoravit. Cæterum nobis duæ notatu digniores proponuntur circumstantiæ in resuscitatione mortuæ: primùm

mùm è palatio Principis Salvator ejecit tibicines & turbas omnia tumultu & clamoribus miscentes, quæ scilicet viciniæ luctuosum statum domûs planctibus evulgarunt, & familiæ suo strepitu gravem crearunt molestiam. Dein avocavit Christus mœstos parentes defunctæ intrà, & apprehendens manum filiæ, dixit: *puella surge* Marc. 5. 41. &, resumpto spiritu, *confestim surrexit puella*. Ubi rursum observare est accuratissimam rationem procurandi desideratam salutem proximi: si miser per malitiam suam orbatur vitâ gratiæ, destinandus horribili sepulchro inferni, ut revocari queat ad virtutem, disponíque ad instaurandum charitatis ardorem, ad mortis vincula exuenda separare necesse est à frequentiâ turbarum, obloquentium, murmurantium, impedientium & seorsim compellare, sive vocibus Apostolicis: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Christus*. Ephes 5. 14. sive ipsis verbis Salvatoris, *puella surge*: nec enim convenit, distentam in Sandapilâ interire, quam creavit DEUS in cœlorum civem; oculi vitiorum lethargo oppressi aperiantur iam claritati supernæ, & viscera mortis frigore rigentia novo calore animentur charitatis: ita excluso strepitu mundano, adhibitis benignis correctionis vocibus *puella resurget*.

Verum, ni molestum est, à filiâ Principis vitæ restitutâ, convertamus nos ad servum Centurionis, pristinâ sanitate divinitus donatum. 507.
Quem favorem ut celebris ille Dux assequeretur, paucas has preces apud Redemptorem interposuit: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur*. Matth. 8. 6. quæri potest, cum alii paralytici valetudinis adipiscendæ causa remotis tegulis sint è tectis demissi ante pedes & oculos Servatoris, cur non etiam Centurio, cui suppetit copia famulorum, militúmque, ad nutum paratorum, ægrum deferri iussit ad Medicum cælestem? cur languentem prohibet ædibus, imo & strato dolorum efferri, sperátque sine minimâ molestiâ perfectam procurare corporis sanitatem. Verùm si attendamus flammas charitatis afflicto servulo exhibitæ, si profundam sui demissionem spectemus, quâ indignum se proclamavit, cuius ædes ingrediatur DEI Filius, si excellentissimam intueamur fidem, quam ipsum etiam Verbum Patris admirabatur, perspicuè patebit, Virtutum meritis tam eximiis etiam præmium competens non fuisse denegandum. Quid de prudentiâ eius non vulgari dicemus, quod retinere voluerit domi, qui absque rubore comparere non poterat in publico? nimirum infirmitas proximi pro virili sublevanda est remediis opportunis, sed aliis non propalanda: itaque prudens ille Centurio exemplum præbet Prælatis, quærendi salutem Subditis,

tis,

tis, & defectus aliis non aperiendi in ægrorum verecundiam, & tristitiam non modicam. Unde S. Petrus Chrysol. Ser. 15, *Jacet in domo, ne familiaris infirmitas publicè & dolori sit & pudori.*

508. Quam certe corrigendi normam exactè observarunt Jonathas 1. Reg. 19. 4. cùm Saule parente suo secedens in sylvam, & filiali quadam fiduciâ ac reverentiâ insinuans, quod plane insontem David persequeretur iniustè: Christus Dominus, qui cunctis discipulis, in urbem sub prætextu victum comparandi ablegatis, solus solam mulierem Samaritanam scandalis notatam & infamiâ vitæ, ad frugem reduxit penes puteum Jacob: Jo. 4. 8. Elisæus, qui defunctum viduæ filium, ut revocaret in vitam, ostium cubiculi occlusit, ne cadaver aliorum oculis subjiceretur. 4. Reg. 4. 33. Idem & nobis dictum sit, ubicunque Medicinâ spirituali & admonitione opus est, *secretò corrigantur, ut delictum feliciter emendetur, & non omnibus innotescat.*

Ex

CAPITE VII.

Ne malè cœpta progrediantur, de proximo corrigantur, & convictus debet emendatoriam subire vindictam.

Qui proximum punire negligit, eiusdem culpæ particeps efficitur.

DISCURSUS LII.

509. ÆGyptus, cùm bis in anno certis diebus magno auctu exundat Nilus, totúmque quà latè patet, limosis fœcundisque aquis irrigat regnum, complura, eáque planè exotica progignit monstra, maximè tamen infestam sentit vicinam Arabiam, unde integra serpentium pennatorum examina immittuntur, quæ præsenti veneno, morsúque devastarent obvia, nisi natura provida parens suppetias ferret adversus eum hostem, dum in ipso introitu Ægypti ab avibus, quos Ibidas appellant, excel-

excelsas illas, cruribus rigidis, corneo proceróque rostro, adverso agmine excipiuntur ac retunduntur, sive enim sublimi volatu invehantur, sive humili tortuosóque corpore per terram serpant, ab ibide invaduntur, conficiuntur, dilacerantur ac devorantur. Unde lemma illi adjectum: *venenosa propulsant.*

Generosas illas volucres iure dixeris ideam nonsolum cordati bonique iudicis, qui sceleratis intrepidè resistit, liberè arguit, & vitiorum toxicum è patriæ confiniis eliminat, sed etiam Prælati, aliorúmque servorum DEI, qui totis viribus incumbunt, ut ne culpæ, dissolutio disciplinæ & confusio, in claustra irrepant. Sicut igitur David de se ipso attestatur: *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Ita S. Augustinus cautum voluit, ut si qui deprehendantur violare leges, & vitam impiam in domo DEI, sacrísque monasteriis ducere, solerter à proximis *corrigantur* ac Præsides certiores fiant, quo rei *emendatoriam subire vindictam, & competenti severitate coërceri* valeant. Neque connivendum eâ in re, quia culpa, si non corrigatur à proximo, nec puniatur à Prælatis, utrisque imputatur, & gravissimam pœnam conflabit. Apposite Hugo Victorinus: *Summâ diligentiâ investiganda & corrigenda est culpa: nam si eam non emendamus in hoc sæculo, damnabimur in futuro.* Et iterum: *Reus mortis illius existit, quem tacendo perire permittit.* 510.

Septem illæ Epistolæ, quas DEI Filius dictavit, & Apocalypticus Joannes excepit, consignavítque septem Asiæ Episcopis, procul dubio abundant omnes præclarissimis documentis & mysteriis, tertia tamen in ordine, nostro proposito mirificè conducit: *Angelo Pergami scribe, scio ubi habitas, ubi sedes est Sathanæ, & times nomen meum, & non negasti fidem meam.* Apoc. 2. 11. Haud quaquam me fugiunt abominationes, quibus aurium tenus inundat civitas tibi commissa, sed neque me latent opera tua virtutis plena, nivibus montis Æthnæ haud absimilia, ita in mediâ fuligine, tetróque fumo illibatum conservas candorem innocentiæ. Solis instar oberras fulgentissimis radiis cloacas & sordes, quin labem aliquam contrahas. Inter dæmones ac monstra infernalia habitas, & tamen te geris ut Angelus Paradisi. Unum est, quod doleo, nec possum dissimulare: subsunt ditioni tuæ quidam Nicolaitæ, amplexantes dogmata Baalami, & crapulis carnisque illecebris immane quantum addicti: *habeo adversum te pauca, quia illic habes tenentes doctrinam Baalam, qui docebat edere & fornicari.* Mirus correctionis ordo! novit intimè, qui scrutatur omnia DEUS, Pergami plures versari Sardanapalos, 511.

napalos, Promachos, & eius generis mancipia ventris: eccur igitur non directè illis infliguntur supplicia? cur non è vestigio absumuntur iratis cœli flammis, ut incolæ Pentapoleos? cur non cum Epulone sepeliuntur in inferno? quid, iis præteritis, increpatur Episcopus Vir probatæ fidei & insontis vitæ? *habeo adversum te pauca, quia illic habes tenentes doctrinam Baalam.* Sed fateamur ingenuè: licet bonus Episcopus mereretur non vulgarem laudem, quod inter infideles fidei puritatem integram servaret, atque in mediis vitiorum umbris lumine sanctitatis effulgeret, dignus tamen erat acri reprehensione, quod agnosceret errata gravissima subditorum, & tamen, cùm corrigere & castigare deberet zelo efficaci, illa emendare & punire negligeret, idcirco flagellis Divinæ vindictæ subiacebat, quia peccata subditorum Prælatos aggravant, quando præ tepiditate aut inani timore malorum conatus non retundunt, & sceleribus iustâ severitate non resistunt: quæ fuit expositio Richardi nostri de S. Victore. *Iste quamvis laudabilis in semetipso extiterit, in eo tamen, quod malè viventes viriliter non redarguebat, reprehensibilis fuit, &c.*

512. Sed quæso vos observate peculiarem corripiendi comminandíque modum, quo usus est DEUS ad Episcopum Pergamensem longè diverso ab aliis scribendi rationibus: nam Epistolæ ad Episcopum Ephesinum ita sonat exordium: *Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dexterâ suâ:* Apoc. 2. 1. Ad Smyrnensem ita inchoatur: hæc dicit primus & novissimus. v. 8. Ad Præsulem Ecclesiæ Thyatiræ: *hæc dicit Filius DEI, qui habet oculos, tanquam flammam ignis*, v. 18. Angelo Ecclesiæ sardis scribitur: *hæc dicit, qui habet septem spiritus & septem stellas.* c. 3. v. 1. Philadelphensi: *hæc dicit, qui habet clavem David.* v 7. Meri tituli & prærogativæ nobilissimæ, ac magnificæ: At soli Episcopo Pergamensi DEUS gladium monstrat ancipitem in signum duplicis pœnæ impendentis: nimirum & subditis Epicureis, in omne genus flagitiorum effusis, & ipsi Prælato, qui adstringebatur ex officio remoram injicere sceleratorum audaciæ & impudentiæ, & omisit, propterea dignus, qui reprehenderetur coram Divino tribunali, quod subiectos reos non reprehendisset, & quia delinquentes non castigavit, rompbæâ utrinque acutâ supremi Judicis acerbè castigari meruit.

513. O quàm benè Pergamensi Episcopo confertur summus Hebræorum Sacerdos! Descendens Moyses de monte, vidit non sine gravissimo suo scandalo & mœrore animi electum populum; pessum datâ verâ religione, cultum Divinum exhibere vitulo, & fortè animadvertens Aaronem

ronem penes profanum altare otiosum assistere, primùm instar fulminis irruit in simulacrum illud, funditus evertit, in flammas conjecit, malleis contudit, atque in minutum redegit pulverem: tum verò tonante voce aggressus Aaronem: quid hoc portenti? quæ væsania? *quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?* Exodi 32. 21. Quo casu advertetis velim, quod etsi populus fuit, qui minis, furioso fremitu & diabolicâ vi compulit Aaronem, ad fundendum formandúmque simulacrum istud, qui gentilium ritu venerabundus idolum circuivit saltando, qui variis Symphoniis & stultissimis honoravit iubilis, Moyses nihilominus non væcordem populum, sed Aaronem, summum Sacerdotem increpuerit, esto non vacaverit chordis, vel concentibus, nec carnes victimarum attigerit, sed solùm præsens adstiterit: illum tamen acerrimè vituperat, insectatur, solique omnem execrabilis sacrilegii culpam admetitur; quia ipsius erat muneris, tanto sceleri occurrere, ac impedire, & extremo etiam vitæ periculo patrocinari sanctæ Religioni, infandis ausibus proculcatæ: nec ullo pacto permittere, Domino Maiestatis iniuriam adeò abominabilem irrogari. Qua de re perspicuè Ludovicus Lipomannus: *Sacerdoti impingitur populi prævaricatio in DEUM, qui animam suam prodere magis debuisset, & elegisse mortem citiùs, quàm tantum admisisse sacrilegium, &c.*

Quam sententiam Moyses in propium fratrem tulit: eandem prius contra Abraham dilectissimum suum conjugem formaverat Sarai: Mirabilis hæc matrona ab omni zelotypiâ quàm longissimè remota sponte consensit, ut reciperetur in thalamum Patriarchæ Agar, famula sua, familiæ datura prolem, quam sterilis ex se ipsâ sperare non poterat. Verùm, postquam hæc fœcundam se cernens intumescere, heræ insultare, ac opprobriis onerare cœpit temeritate intolerabili, Sara non potuit non iniquo perferre animo, & maritum querelis amarissimis aggressa: quid hoc rei? itáne me negligis, & flocci pendis? Judicio Divino committo, quæ mihi irrogatur contumelia: *iniquè agis contra me:* sive ut alia habet lectio: *iniuriâ à te afficior: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns, quod conceperit, despectui me habet: iudicet DEUS inter me & te.* Genes. 16. 5. Parciùs ista! quid ain Sara? Ancilla te aspernatur & offendit; At tu querelis Abrahamum obruis; adversus illum lamentaris? cur pœnam non exigis à delinquente? rectissimè agit, respondet S. Joannes Chrysostomus. Paterfamilias namque audaciam effrontem teneretur reprimere, & insolentem compescere pervicaciam: quia igitur Abraham tacuit, dissimulavit, supportavit, non 514.

castigavit, parem incurrit reatum. *Videns eius temeritatem, debebas cohibere mentem eius tam petulantem*, hom. 37. in Gen.

515. Optandum admodum esset, ne reprehensio illi Patriarchæ facta, non etiam hodie in multos Præsides religiosarum familiarum caderet: si enim contingat unum aliquem inter fratres paulatim erigi, & moribus asperis contra obvios insurgere, maioribus omnem denegare reverentiam, convitiis lacessere, vel certe in faciem probrosè resistere, vestrarum partium erit, ô Prælati, coërcere, ac in ordinem redigere protervam famulam: alioquin verbis Saræ tota conqueretur Canonia, de incuriâ vestrâ; *iniquè agitis contra me*, quod pedo & auctoritate vestrâ non percutiatis, & oculi ejiciatis vitiosos, & perniciosos lupos, non effugietis notam & infamiam iniqui mercenarii; Damna plurima subditis afferetis, minimè veró pastoris vigilis ac soliciti officium *implebitis*.

516. Pergamus porrò cum Abraham: Ingresso hoc Patriarchâ Ægyptum, Proceres Argo quovis oculatiores, quâvis aquilâ perspicaciores, deprehenderunt illicò in Sarâ miraculum venustatis, & absque morâ Pharaoni Regi denuntiarunt: qui prædæ tam raræ, & exquisitæ avidus in palatium iussit adduci. At quo eventu? nempe quam speraverat centrum deliciarum, & unicam metam desideria amplissima exsatiaturam, reperit invenisse iliadem malorum, & cruciatuum sævissimorum: quippe *flagellavit Dominus Pharaonem plagis magnis, & domum eius propter Sarai uxorem Abraham.* Gen. 12. 17. Quid dicamus AA? Quod justitia Divina severiùs animadvertat in Regem lascivum, adulterum, & scandalis suis populos subvertentem; recte habet: sed quare pœnas exigit ab Aulicis, regiisque Clientibus, totóque palatio? *flagellavit Pharaonem & Domum eius.* Æquissimum esse judicium, tuetur Philo Judæus, cùm enim Proceres illi familiares & domestici Regis, qui poterant ac tenebantur dextrè avertere occasionem, & delictum impedire, certè dissuadere, adulando, vel etiam laudando oris gratiam, de gravitate criminis tacuerint, ipso silentio complices evaserunt culpæ, & supplicio pari multati fuere. *Regis pœnam sensit & tota regia*, ait eruditissimus Philo lib. de Abraham, *propterea quod nemo se tanta iniquitati opposuerat, sed omnes Regis libidini assensi & obsecuti sunt.* Judicium est luculentum, Prælatos & alios DEI servos tanto subdendos olim vindictæ, quanta fuerunt delicta, quæ potuissent disciplinæ vel correctionis fræno impedire, & neglexerunt.

517. Cœna, rectiùs dixissem, carnificina, quam die Natali suo celebravit Herodes, inter tripudia commensalium audit gemitus Joannis Bapti-

Baptistæ violentâ morte sublati: feritas Regis truculenti, affluentiâ dapum non contenta, sitivit sanguinem, & inter epulas eo delectari voluit. Impudica fœmina petiit caput Joannis, & barbarus Rex non abnuit, sed actutum *misit & decollavit Joannem, & allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ.* Matth. 14. 10. Ad spectaculum tam horrendum exclamat S.P. Augustinus: *O discus rosis conspersus sanguineis, sed convivantibus valde exitialis, quia in tanto convivio nemo fuit, qui prohiberet audaciam Regi, quo facto omnes sceleris sui facit esse consortes.* Infertur mensæ argentea pelvis, sanguinis tincta purpurâ, sed aspectu funestissimo convivis minitabunda: cunctis intentat minas, quia nemo omnium vel verbulo Herodis crudelitati sese opposuit. Omnes rei sunt mortis iniustissimæ, quod possent svavi ratione Regis animum mitigare, & maluerunt taciturnitate suâ immanem cædem promovere: hinc quivis assidentium iure posset arrogare sibi suspiria S. Bernardi lib. de an. c. 11. Eheu! quoniam *aliorum transgressiones reprehendere timui, ideo mortis auctor extiti, quia virus, quod clamando expellere potui, & non expuli.* Quod sanè verum obtinet in quovis Prælato, qui graviora subditorum delicta oscitanter dissimilans, coram DEO criminum & pœnarum efficitur particeps, ac veneno ipse corripitur, quod igne iustissimi zeli præstinguere oportuisset: illa verò humano respectu, vel vano timore fovit.

Quapropter audi, ô bone Prælate, audi famule DEI, non me sed magnum Patrem nostrum S. Augustinum, qui serm. 16. de verb Dom. tractans de proximo delinquente sic intonat: *Corripe eum inter te & ipsum solum: si neglexeris, peior es. Ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo gravi seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis, peior es tacendo, quàm ille conviciando.* 518.



Ex

CAPITE VII.

Emendatoriam Vindictam, si forte recusaverit, de vestrâ societate projiciatur, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.

Scelera vicinitate affricari aliis.

DISCURSUS LIII.

519. ROchus, sanctitate & miraculis clarissimus, *illustravit* suis natalibus regnum Franciæ, operosis peregrinationibus Italiæ provincias condecoravit, plurimas Orbis partes peragrans, morbis oppressos sublevavit, innumeris ipse calamitatibus obnoxius, nec prodigiis patratis, quàm adversitatibus heroicè exantlatis illustrior. Contigit ut civitatem quandam, nobilissimam Romanorum coloniam, obambularet, cùm rumore vulgato, quod pestilente sagittâ coxam traiectus esset, tumultuoso populi concursu & fremitu ac indignatione omnium extra suburbia proturbatur: at verò, qui tractatur ab hominibus, ut canis, in nemore canem expertus adiutorem fidelissimum, qui & annonam in dies singulos panem unum providè subministravit, & contra insidias fortiter defendit. Porro civitas illa pestem impendentem in tempore accersura eiecit infirmum & pauperem Rochum, tacitè insinuans, ad præservandas animas à contagio & lue iniquitatum opus esse, ut homines perversi & corrupti pro virili domibus nostris expellantur. Unde S. P. Augustinus & suadet & præcipit, ut vitiosus quicunque & scandalosus *de nostrâ societate projiciatur*; sanctè contestans, non esse id opus barbaræ crudelitatis, sed cautæ pietatis: *non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Agite proin, efficacibus ostendamus argumentis, iustos ex commercio impiorum, velut è contagioso morbo infici ac depravari.

Atque

Atque maiores nostri id imprimis trito docuerunt adagio illo: *claudo vel uni si propinquus fias, disces & ipse claudicare protinus.* Ita pronum est ex conversatione defectus, & vitia unius in alterum transfundi. Consonat Plato lib. 5. de legibus. *Qui se improbis immiscet, necesse est eadem pati & agere, & loqui inter se didicerunt.* Eandem contagionis vim agnovit Seneca de tranquill. cap. 6. *Serpunt vitia, & in proximum quemque transiliunt & contracta nocent.* Pro cautione verò subiungit: *Ut in pestilentiâ cavendum est, ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatúque ipso allaborabimus, ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus.* Quod S. Basilius hom. 9. ex variis confirmat his verbis: *Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporis morbum injicit, sic itidem in pravâ consuetudine & conversatione maxima nobis mala hauriuntur.* 520.

Gravius momentum addit Jeremias, ubi, de Nazaræis loquens, 521. qui singulari puritate vitæ, morúmque sanctitate famulabantur Creatori, in hasce prorumpit acerbas quiritationes. *Candidiores Nazaræi eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores: denigrata est super carbones facies eorum, &c.* Thren. 4. 7. Quid adeo excelluêre munditiâ, ut invidiam movere possent nivibus lacti & ebori, ut lumina cœli prævertèrent splendore, & saphiros obscurarent; eheu! qrantum à primævâ perfectione desciverunt, in nigros carbones transmutati! prodeundum erat, & amplius *non sunt cogniti in plateis.* Hinc meritò suspirat Gilbertus Abbas in allegoriis Tilman. *Misera commutatio:* candor purissimus, lux longè latéque effulgens, *carbonis obducitur nigredine!* quæ mali origo? mora, quam traxere in plateis: Nempe qui abditi in claustris Angelicâ nituerunt puritate, in publicis detenti compitis, quæ theatra, sunt vanitatis mundanæ, in officinis & tabernis, ubi fraudes, astus, periuria clavum tenent, inter laicos, qui ut plurimùm pensi non habent Christianam pietatem, idcirco eorum flavescit Religio, candor infuscatur, & qui censebantur vegetis viribus, & moribus sanctis, velut virulentâ contagione infecti contabescunt, & carbonum atrore contaminantur: *denigrata est super carbones facies eorum.* Ut enim Gilbertus concludit, *Frequentia platearum decolaret Nazaræos, & peregrinam speciem inducit:* nec licet impune conversari pestiferis, sicut ex mente Epicteti apud Lips. *Fieri non potest, quia qui versetur & adhæreat fuligine tincto, & ipse fuliginem ab eo participet.*

522. O quàm admirabilis fuit Nazaræus Moyses, qui sortitus animam nive nitidiorem, eâ mansuetudine claruit, ut appellaretur *Virorum Mansuetissimus*: labiis meram spirabat dulcedinem & suavitatem, ut dici posset: *mel & lac sub linguâ eius.* Ut ebur antiquum *candidus & rubicundus*: qui ad modum cælestis saphiri eos vibrabat fulgores, ut aspectum sustinere non valerent Israelitæ: Verùm ah! luridâ obtenebratur repente fuligine, & ab ipso Supremo Numine convincitur fœdæ incredulitatis ac diffidentiæ: *quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel.* Vitâ insuper exuitur, & terrâ promissâ ceu indignus excluditur. Quis jam non dico obstupescat: sed exhorrescat? an igitur Moyses familiaris DEI, & amicè ac oretenus colloquia miscens, arguatur fidem non adhibuisse primæ Veritati? qui virtute propemodum Divinâ dotatus cælum involvit tenebris, Nilum sanguine tinxit, mare Erithræum bifariam divisit, jam aquas à rupe iussus elicere, fiduciam amiserit, ac Divinæ manûs potentiam contempsisse, vel neglexisse deprehendatur? Quid dicamus ad hæc? ego conabor dubio satisfacere, ex unâ parte me super Isaiam reflectendo, ex alterâ spectando Apostolos. Isaias, Angelicus ille vates, miserè lamentatur ob labra sua putrida, contaminata, corrupta: *Væ mihi, quia vir pollutis labiis ego sum.* Is. 6. 5. Mox tamen fatetur, Originem corruptionis duci ex vicinâ populi eo contagioso malo laborantis: *& in medio populi polluta labia habentis ego habito*: adeoque, ut S. Hieronymus bene adnotavit: *peccavit non suo vitio sed societate populi habentis polluta labia.* Cæterùm Apostoli quoque, tametsi potestate gauderent expellendi dæmones & iam huic operi accingerentur, oleum tamen & operam perdidêre, omnisque conatus elusus est, quod Domino suprà montem Divinis contemplationibus occupato illi ad montis radicem turbis se miscerent, quarum familiaritate intepuit fides, & ideo fuerunt indigni, qui furias infernales subigerent, & prodigia patrarent: ita observat S. Hilarius in c. 12. Matth. *Domino in monte demorante, & ipsis cum turbis residentibus quidam torpor eorum fidem retardaverat.* Et ecce vobis iconem vivam infelicitatis, quæ Moysi obtigit: stipatus erat gente refractariâ, DEO rebelli & incredulâ, quo titulo ipse increpat eam: *audite rebelles & increduli.* Num. 20. 10. & inde contraxit similem morbum animæ, ut fidei candor obfuscaretur, & miserando casu testaretur, quod supra ex Epicteto adduximus: *Fieri non potest, quin qui versatur & adhæret, fuligine tincto, & ipse fuliginem ab eo participet.*

Moxsi

Moysi Ductori Israëlitarum finite adiungam Petrum Apostolorum Principem. Christo Domino in captivitatem abstracto, amor addidit Petro alas, ut Magistrum penè usque ad palatium summi Pontificis sequeretur: ubi frigore externo aëris ambientis, & interno trepidantis metu pectoris totus occupatus, cum iniquis illis Sacerdotum ministris igni adstitit, quo tamen calore mox in glaciem obriguit, & flammis hisce reverberantibus ipse tetram incurrit nigredinem mentis: carbonibus penitus fuit deturbatus, & ille, qui cum medius incederet cum Apostolis, Divinitatem Magistri suâ illâ & intrepidâ voce propalavit, jam satellitibus & improbis servis associatus horrendo periurio testatur, se nullam prorsus notitiam habere: *capit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem.* Hinc præclarè Seneca: *harebit tibi avaritia, quamdiu avaro, sordidóque convixeris; harebit tumor, quamdiu cum superbo conversaberis, nunquam savitiam in tortoris contubernariis ponet: intendent libidines tuas adulterorum sodalitia.* Quod perspicuè in Petro elucet, qui titubavit in fide, agens cum infidelibus, & splendens carbunculus in vilissimum carbonem migravit, & columna Ecclesiæ firmissima in arundinem levi vento agitandam conversa est; qua de re S. Ambrosius l. 10. in Luc. *Malus fomes, qui quandam etiam Sanctorum mentibus fuliginem erroris spargit.* Et S. Præsul Hipponensis noster, apud Hugon. Card. in Luc. 22. exclamat: *quàm noxia sunt pravorum colloquia, qua cogunt Petrum negare DEUM vel hominem se non nosse, quem inter condiscipulos confessus fuerat esse Filium DEI.* 523.

Quemadmodum Hebræi ovium compellatione antehac digni censebantur: *non sum missus nisi ad oves Israël.* Matth. 15. 24. postmodum declarantur lupi rapaces & sanguinarii, *mitto vos sicut agnos inter lupos,* quod ideo factum, quia sub Romanorum ditione vitam exigebant, & contagioso eorum consortio feritatem similem induebant, hac ratione ut S. Petrus Chrysologus Ser. 100. ait, effecti *oves luporum contagione rabida:* ita S. Petrus sacrilegæ militiæ adhærens ex ove fideli transiisse videtur in efferum lupum, & impiæ negationis voce ullulasse: *non novi hominem, & nescio quid dicis.* Adeo verum est, *qui se improbis immiscet, necesse est eadem agere, &c.* 524.

Digna est Ambrosio reflexio illa super Castigationem Sacrilegorum Dathan & Abirom, quòd tellus tantæ iniquitatis ponderi ferendo impar, in immanem voraginem dehiscens vivos deglutiverit, atque in abyssum tartari sepelierit. *Disrupta est terra* Num. 16. 26. *sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, descenderuntque vivi in infernum.* 525.

fernum. Quo in supplicio mirabiliter elucet Divina Providentia, quæ impia capita in momento exterminavit, ne malitiâ suâ pestilenti cuncta elementa inficerent ac coinquinarent: ita Magnus ille Archiepiscopus Ep. 82. ad Eccles. Vercell. *Immugiens terra in medio plebis scinditur; aperitur in profundum sinus, abripiuntur impii, & ita ab omnibus Mundi huius ablegantur elementis, ut nec aërem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Tam nocua est peccatoris conditio, tam virulenta conversatio!

526. Quòd certè mirabili S. Joannes Evangelista corroborat textu: quamprimum è supremâ illâ cænâ surrexit, & abiit sceleratus proditor Judas, amantissimus Magister discipulos blandè intuitus, *nunc*, ait, *clarificatus est Filius hominis*, Joann. 13. 31. Sed obsecro, quid Dominus significare vult per voculam *nunc*; cum neminem nostrûm lateat, longè ante immenso gloriæ radios sparsisse in Orbem? Certè Salvatori in lucem edito applauserunt Angeli, & Reges liberalibus tributis venerati sunt Majestatem. In Nuptiis Canæ Dominus elementorum mutans inanem aquam in generosissimum vinum, *manifestavit gloriam suam*: in monte Thaboræo splendoribus prodigiosis Soli præripuit palmam, quonam igitur pacto in postremâ primum cænâ dicit, *nunc*, in hoc præcisè momento, *clarificatus est Filius hominis*?

527. Idem ipse Joannes velut insolitum quoddam portentum commemorat in Apocalypsi, quod puteus abyssi reseratus tantam fumi eructaverit copiam, ut facies Solis obtenebraretur: *Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol.* Apoc. 9. 2. Denotare voluit, interprete S. P. Augustino, quod homines flagitiosi tam fœculentam exhalent fuliginem, ut inquinentur ac obfuscentur inde etiam iusti, qui velut totidem Soles claritate suâ Ecclesiam illustrant: *Obscuratum*, inquit S. D. apud Sylvest. hîc n. 27. *dixit Solem, peccata enim malorum, & superborum obscurant Solem, id est, Ecclesiam & Sanctis & iustis faciunt obscuritatem.* Hoc animadverso facile patebit, quod quamdiu malignus ille & sacrilegus traditor, è pectore suo, tanquam abysso putei, fumum & atrorem fœdissimum spirans etiam Filio DEI, Soli iustitiæ & sanctitatis infestum accubuit mensæ, claritas nondum adducta fuerit ad perfectionis apicem, ut primum verò perditus Avernio discessit, potuit pro indubitato affirmari: *nunc clarificatus est Filius hominis*: quæ mens fuit Hugonis Cardinal: *clarificatur quis, quando macula aufertur ab eo; ideo ergo dicit se clarificatum, quia Judas maculatus labe peccati ab eo erat separatus.*

Si

Si Verbum Unigenitum æterni Patris, ita Sanctitate Divinâ ornatum, ut ne umbra peccati surripere posset eminus, per præsentiam impii quodammodo videtur obscurari, quis Religiosorum, quantumvis spiritu ferveat & munditiæ interiori totis præcordiorum affectibus inhiet, sibi non metuat, ne diu multúmque cum sceleratis vivens induat eadem vitia, & vestigiis inhæreat eorum, quibus familiariter utitur? Enimverò, *qui se improbis immiscet, necesse est eadem agere & pati quæ tales agere didicerunt.* 528.

Quapropter sicut Divina Bonitas jam inde à primordiis Mundi tenebras separavit à luce, ita totis viribus allaboremus, conscientias criminum cauteriis notatas, tenebris obsessas, mortísque apprime fidas amicas eliminare; statim atque cernimus, tenebrarum principem cum tartareâ phalange ingruere, & luci Sanctitatis, quæ triumphat in Religiosis, ecclipsin machinari, obsistamus; & viriliter depellamus. Purgetur terra sancta à zizaniis diabolicis, ne pretiosam messem suffocent, & ardenti zelo insurgatur contra disciplinæ hostes, & è monasterio expellatur, quisquis perversis moribus præfractè dignoscitur contaminatus, *ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* 529.

Ex

CAPITE VII.

Si emendatoriam Vindictam subire recusaverit, de vestrâ societate projiciatur, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.

Incorrigibiles è monasteriis ejiciendos esse.

DISCURSUS LIV.

JUstitia bilancem sustinere fingitur, & gladium, quod hominum delicta ponderet, meritásque pœnas expetat: quosdam vitâ omnino exuit, alios duro mulctat exilio, cælúmque vertere cogit, quæ censetur esse mors civilis: cùm magna procul dubio calami- 530.

tas sit, urbe, domo, penatibus, foro, congressu civium & amicorum extorrem vivere. Ita protoplastus noster exulatum abire compulsus est à paradiso terrestri. Absalon ex Judæâ relegatus; Joannes pro fide amantissimi sui JESU in Jerusalem Patmon ejectus; Ovidius Naso in Ponto miserabilem vitam ducere coactus; S. Joannes Chrysostomus Constantinopoli. S. Clemens Pontifex Maximus Româ in oras exteras ablegati, cesserunt malitiæ hostium. Quàm porro exilium iniquis grave est ac perniciosum, tam salubre commodúmque venit Reipublicæ, dum enim hac viâ exterminantur carcinomata & pestes civitatis, homines tumultuosi, pacisque & disciplinæ eversores, virtus, tranquillitas & viridis observantia legum inter cives perseverat: hinc sapienter Hugo Victorinus noster: *melius est pro multorum salvatione condemnetur unus: quàm per unius exemplum plurima periclitentur.* Et S. Augustinus: qui callum obduxere in vitiis, & semel iterúmque correcti, durâ tamen cervice obluctantur, jubet à Religionis corpore abscindi: *Si emendatoriam vindictam subire recusaverit, de vestrâ societate projiciatur.* Idque non sine saluberrimo consilio: *ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Quod mirâ facundiâ S. Hieronymus ad Galat. 5. 12. confirmat: *Fermentum à massâ vicinâ semovendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat.* Res magni est momenti, & uberiori consideratione, ni fallor, dignissima.

531. Tam nocuam Religiosæ vitæ familiaritatem vel unius viri vitiis irretiti crediderunt semper Patres spirituales, ut congregationem servaturi indemnem, opinarentur consultissimum, si monstrum ejusmodi & lues exilio mulctaretur. Ita unanimiter decernunt concilium Aquisgranense cap. 134. Regula D. Benedicti c. 28. Constitutiones Ordinis Dominicani dist. 1. c. 19. Statuta Eremitarum impressa Salamancæ Anno 1591. p. 6. c. 22. Ordinationes Patrum S. Mariæ de Mercede distinct. 1. c. 19. Regula S. Francisci c. 13. Pariter & constitutiones nostræ 1. p. c. 48. Si quis incorrigibilis fuerit declaratus ob mores perversos: *Ablato illi habitu professionis, aut perpetuo carceri aut triremibus deputetur, ne contagione pestiferâ alios inficere possit.*

532. Nec dubium mihi est, quin omnes documentum hoc è Sacrâ paginâ hauserint, ubi pluries proponitur, & inculcatur. O quàm patheticè id docet parabola Matth. 13. relata! *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti.* Mirabilis vocatio, qua Bonitas Divina è Mundi Oceano extrahit, & in quietum Religionis

ligionis portum subducit omnis generis mortales; reti assimilatur, cui apposité inscribat: *congregat ex omnibus*: quoniam Religiosæ vitæ auctorantur opulenti & egeni, nobiles & plebeij, juvenes & adulti. Quid verò? nunquid omnes, quotquot vocati sunt, continuò approbantur? minimè gentium: Præsidum est periculum facere, ac prudenti disquisitione examinare laudabilem statum, & virtutes quorundam, ut reponantur in vasis honorum, conferendo laureolas doctorum, cathedras & alias dignitates & officia: ex adverso, quos reperiunt contaminatos vitiis, & indignos, qui Sanctuarium incolant, & tabernaculum DEI, sine morâ eliminant & è Religiosâ familiâ expellunt, quod innuitur iis verbis: *elegerunt bonos in vasa*, id est, *in vasa honoris*, *malos autem foràs miserunt*, tanquam purgamenta collegii plena immunditiæ ac iniquitatis, vasa contumeliæ, opprobrii & ignominiæ. Itaque Domino DEO nequaquam satis est, si habitum gestes exteriorem S. Benedicti, Dominici, Francisci & Augustini, sed exigit prætereà internam sanctitatem, & virtutes tuæ professioni consentaneas, alioquin lata est sententia adversus te: *de vestrâ societate projiciatur, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Nec abludit dictum illud Themistii orat. 17. *neque chlamyde & zonâ tenus quis miles habetur, sed aut rem præstare debet ordini, ad quem seipsum aggregavit, aut ab illo arcetur*: quilibet non minus in Ecclesiasticâ, quàm sæculari militiâ debet aut officio satis facere, aut ignominiosè deponi & exauctorari.

Quod Salvator sub piscationis expressit metaphorâ, S. Joannes Baptista sub agriculturæ typo insinuavit. Qui attentiùs considerat opera & exercitia Filii DEI, quousque cum hominibus vixit, iurabit, eum in manu tenere ventilabrum subiactando frumento accommodatum, ut paleas secernat, & quidquid recrementi inhæret, granáque electa cælesti exinde horreo invehantur, paleæ verò & cætera detrimenta vel spargantur in aërem, vel igni tradantur: *cuius ventilabrum in manu eius & purgabit aream suam.* Luc. 3, 17. Si verò hæc area denotat Ecclesiam DEI vel Religiosorum domicilia, væ vobis steriles & otiosæ stipulæ, & noxiæ festucæ: ubi enim grana succo & fructu referta sedulo in cælum colligentur, Paterfamilias per fidos & solertes ministros suos Præpositos vestros, *paleas comburet igni inextinguibili*: quod S. Remigius docet in cat. aur. *hanc autem aream, id est, Ecclesiam Dominus mundat in hac vitâ, cùm per iudicium sacerdotum mali de Ecclesiâ tolluntur.* 533.

In primo volumine Machabæorum doctrina traditur, non parùm illustrans, quod asseruimus. Postquam heroicum Judæ robur Græco- 534.

538. Plenus mysteriis est versiculus Psalmi, quo sub Personâ Salomonis quivis Prælatus incitatur ad laudabilem subditorum gubernationem ; *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*. Psal. 44. Quamvis assumpti sitis pro sacris collegiis in principes pacis, quamvis virtus Prælatorum propria, sit vigilantia, sapientia, & pietas, nihilominus opus est, & invicto robore, ensis gestandus non lateri accingendus vel ex baltheo suspendendus, sed *super femur tuum* pendeat, ut modus impudicitiæ rescindat ac comprimat, in Prælato namque, ceu Angelo DEI, supra quam credi potest, abominabilis obscænitas carnis : sed super femur etiam sit gladius, ut subditi, licet sanguine fortassis juncti, licet fratres, nepotes aut filii essent, si tamen virtuti bellum movere dignoscantur, & obstinati sint in scandalis & damnatis moribus, è sacris ædibus excludantur, & resecentur, *ne dum excludendum non punit, plures faciat dignos, quos excludat ab Ecclesiâ.*

539. Sed quorsum aliunde argumenta conquirimus huic veritati roborandæ, quam Verbum Patris fallere fallique nescium apertè docuit ? *Si manus tua*, inquit, *vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te, si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te*. Matth. 18. 8. Quo loco, Hilario t-stante, Christus noluit de corporalibus membris intelligi, *sed de coniunctissimis nobis, ac maximè necessariis*, ac si diceret, tametsi Religiosus quispiam tam acceptus tibi foret, ac pupilla oculi, tam commodus ac dextera manus, si tamen ruinam adferret animabus, & disciplinam dissolutis moribus everteret, noménque & laudatam monasterii fam m pe ssum daret, nec monitus resipisceret, abigendus esset, dirisque devovendus : *erue eum, abscinde eum, & projice abs te.* Tametsi amicus aut familiaris vester homo esset omnium horarum, & quovis loco paratus, maturus judicio, perspicax ingenio, solers in negotiis : si tamen cæteris Religiosis pernicioso exemplo esset, *de corpore*, id est, *de societate est abscindendus*, scribit Hugo Victorinus in hunc locum : *melius est enim unius solatium perdere, quàm per unum, totum corpus perire* Ita Cain nefarius fratricida & impius laternio ædibus Adami ejectus fuit, ne pravâ licentiâ vivendi posteros Protoparentis in radice corrumperet. Lamentatur ille adversus DEUM : *ecce ejicis me hodie à facie terræ*. Gen. 4. 11. Quoniam, interprete D. Ambrosio, l. 2. de Cain c. 10. *Repulit eum à facie suâ, & à parentibus abdicatum, separatæ habitationis quodam relegavit exilio, eò quòd ab humanâ mansuetudine transiisset ad sævitiam bestiarum.* Ita in præceptis datum fuit Abrahamo : *ejice ancillam & filium ejus* : & actutum expu-

lit

lit Agar Sponsam equidem suam, sed oppido pervicacem, & Ismael filium proprium, sed sceleribus addictum. Ita Jacob in domo paternâ ob dulces & tractabiles mores benignè habitus fuit, Esau econtra vir asper, ferox in solitudinem ablegatus. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Ita* severo edicto cavit lex Mosaica, ut leprosi tanquam Symbolum iniquorum, *extra castra*, remoti habitarent, ne consortio eorum residuus quoque populus lue inficeretur. Ita Regius Psaltes & sancto quodam odio abominabatur transgressores legum: *Facientes prævaricationes odivi*, & circumspectè viciniam eorum vitabat: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Quid plura? ipse Divinus Magister, cùm sacrilego Judâ, illi orci non hominis excremento diceret: *quod facis fac citiùs*: multorum sententia maturum solicitavit discessum, ne innocentia reliquorum simul periclitaretur: ne quid dicam de Lucifero, qui præceps de cœlo eiectus, è nobilissimo spiritu malignus & abominabilis Draco factus est cum maximâ strage Angelorum.

Concludat præsentem discursum Apostolus ad Gal. 5. 12. perscribens: *abscindantur, qui vos conturbant*: si Religiosi immorigeri, quorum erat vitam agere columbæ deargentatæ, contabescant sordibus, tetrúmque fœtorem instar cadaveris exhalent: *ad corvos projiciantur*, inquit S. Gregor. Nazian. orat. ad Monach. hypocr. dilacerandi ac devorandi: si ad modum virulenti cibi discruciant, & tormina creant corpori monasterii, evomantur, ait Plutarch. lib. de amicit. esto dolor aliquis & molesta nausea sufferenda sit: etsi, velut alter Jonas, sævam excitent tempestatem, in mare proturbentur; *neque enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* 540.



Ex

CAPITE VII.

Convictus debet emendatoriam subire Vindictam, quam si forte recusaverit, de vestrâ societate projiciatur.

Benignitate correctionis, si nihil proficit, succedat rigor Justitiæ.

DISCURSUS LV.

541. MAximis Sapientissimus Rex Salomon eminuit prærogativis, uti calamus coronati Regis Vatis, *dirigente SpirituSancto*, miris & prodigiosis encomiis Psal. 44. condecoravit: admiranda oris gratia, qua dicitur, *Speciosus formâ præ filiis hominum*, imperio declaravit dignissimum: labra natabant exquisitâ suavitate: *diffusa est gratia in labiis tuis*: ad corda vinculo amoris jucundissimo attrahenda, qui longè prævertit privilegium in S. Ambrosio & magno Platone celebratum, quorum etiamdum infantium osculis examen apum insedisse, ac mellis favum confecisse perhibent. Porro tametsi Princeps pacis proclamaretur Salomon, arma tamen nequaquam penitus abiecit, cui dictum: *accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, ut idem amaretur unà, ac timeretur, præseferens *mansuetudinem ac iustitiam*, dotes præcipuas, quibus Majestas *regis* exornetur. Salomonis apparatum, meâ quidem opinione, Prælatis *inesse* optavit S. P. Augustinus, ut Angelico vultu dispellant larvas & monstra vitiorum, dulcedine & energiâ persuadendi *in spiritu lenitatis* aberrantes reducant ad tramitem virtutis, modo separatim, modo aliis præsentibus reprehendant, obtestentur, obiurgent, obsecrent sceleribus illaqueatos cum omni patientiâ & doctrinâ, adhibendo mansuetudinem, quæ si eludatur, adiungendo severam iustitiam. Si enim salutares pœnitentiæ suo fine frustrentur, & contumacia mediis amicis expugnari nequeat, ferro & igne opus est, à Religionis corpore separentur & recidantur: *de vestrâ societate projiciatur*. Quod præclarè docuit Hugo Card: apud

apud Sylvet. T. 5. l. 2. c. 8. n. 28. *Debet Prælatus habere maternam pietatem, & paternam feritatem, ne vel nimis austerus sit, vel nimis remissus*; sed subditos ita tractet, ut rigorem patris materna temperet benignitas, exercendo simul *mansuetudinem & justitiam*, de quo argumento pluribus disserere constitui.

Sed unde convenientiùs exordiar, quàm à mixturâ clementiæ ac severitatis, jam anteà in Salomone propositæ? notatur *gratia in labiis* & postmodùm *gladius super femur*, primò reperimus *mansuetudinem*, tum verò *justitiam*. Quare ut dies primordia sumit à nitidâ aurorâ, & in tetricam noctis caliginem desinit, ut annus inchoatur à floribus Veris, & in æstatis immodicum fervorem transit, ut lenem malaciam excipiunt fremitus ventorum, & tempestatum procellæ, attestante Psalmistâ: *tuus est dies & tua est nox*; & ubi vulgata habet: *æstatem & ver tu plasmasti ea.* Divus Hieronymus vertit: *æstatem & hyemem tu plasmasti*: Ita subditorum gubernationem instituat providus Prælatus, tractare incipiat comiter & mansuete, monendo, suadendo, consilia leniora suggerendo: si nihil istis proficiat, tum enimverò asperiùs agendum, & rigor iustitiæ ostendendus est, instruente sic magno Gregorio 20. Moral. c. 6. *Miscenda est lenitas cum severitate, faciendúmque quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur.* 542.

Salomon, posteaquam applicuit animum famosissimo suo templo extruendo, ne quid magnificentiæ deforet, nihil antiquius habuit, quàm ut rarissimis pretiosissimisque vestiret ornamentis: præter alia curavit quàm artificiosissimè sculpi, *leones & boves & Cherubim.* 3. Reg. 7. 29. Sed quid agis sapientissime Monarcha? Lex Mosaica expressè vetuit, ne sculptile quodcunque efformaretur, quomodo ergo prædictæ imagines permittuntur, & tolerantur in templo DEI, omnium, quæ Orbis spectavit, Augustissimo? Taceo Cherubinos, quos Divinæ Maiestatis obsequio suapte naturâ mancipatos novimus, quo pacto leones antrorum Lybiæ inquilini inducuntur in templum omni sanctitate ac splendore conspicuum? qua ratione congruunt fœtida latibula cum loco fragrantiâ thuris & thymiamatis undecunque consperso? Quid bobus ruri colendo, & præsepio assuetis cum basilicâ gloriosâ? Verùm sentiat quisque in hoc facto, quod lubet, mihi summopere arridet interpretamentum Venerabilis Bedæ, asseverantis, leones & boves assumi in pompam & ornatum templi, ut Sacerdotes atque Pontifices iis hieroglyphicis doceantur, & mansuetudinem per boves designatam, & ferociam in leonibus no- 543.

notatam, cum utriusque necessitas in regimine occurrat pro temporis diversitate: *Sanctorum mentes*, verba sunt Venerabilis Doctoris, *habent cum leonibus boves, quando invectionem correctionis cum spiritu mansuetudinis exhibent.* Quin etiam addere licet aliud mysterium: nempe coniungi *boves, leones & Cherubinos*, ut Prælatus abundè super moribus subditorum informatus (Cherubim quippe plenitudo scientiæ exponitur) auctoritatem suam interponat, & modò lenitatem, modò adhibeat severitatem, prout re maturè consideratâ in Domino meliùs visum fuerit.

544. Doctrinam hanc, Symbolicè in ornamentis domûs DEI expressam, non parum elucidat apparitio Apoc. 4. 3. descripta, *qui sedebat, similis erat adspectui lapidis Jaspidis & Sardinis.* Ecce imago Divinitatis non ex candidis margaritis, uti statua Pompeii, sed ex pretiosis lapidibus Jaspidis & Sardinis concinnata erat! Quid ita? ad denotandum, quod quemadmodum Jaspis ostendit amabilem & oculis gratissimum virorem, Sardius verò præsefert colorem igneum, & pavore quodam percellentem, ita DEUS Optimus Maximus & benignissimè consoletur, & terribiliter castiget, cuius adeò exemplum imitati Præsides, erga subiectos viriditatem Jaspidis monstrent, suavi benevolentiâ complectendo: si verò bonitatem videant contemni, nec quidquam effici, contra contumaces cum Sardio flammas evibrent, & meritas pœnas sumant. Idem gloriosus DEUS etiam apud Ezechielem sese visendum præbuit, & *à lumbis eius & sursum quasi adspectus splendoris ut visio electri.* Ezech. 8. 2. quod propter auri argentique mixturam eleganter irradiat, & abundantiam Divinæ Bonitatis ac gratiarum commonstrat: ex adverso *ab adspectu lumborum eius, & deorsum ignis*, ut indicetur, gravibus in reos animadverti suppliciis. Pariter observavit Daniel in amictu DEI nivium candorem, quæ fœcunditatem afferunt terræ, & refrigerium præstant adversus æstivos ardores: præterea in capillis notavit teneritudinem lanæ, ideam admirabilis benignitatis: *Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.* Dan. 7. v. 9. At solium, cui sedebat, undique stipatum erat flammis: *Thronus eius flamma ignis*, indubitatum signum, qui rigor & cruciatus maneat delinquentes. Quapropter etiam Salomon gratiam in labiis & gladium super femur gessit, ut simul manifestaret *mansuetudinem & iustitiam.*

545. Porro quem supra cæteros mortales beneficiis cumulavit DEUS, encomiis quoque præstantissimis in sacro codice extulit Salomonem, & quidem eius amplitudinem his deliniavit verbis, Psl. 88. v. 26. *ponam in mari*

mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius. Obsecro, qualis hæc prærogativa? hinc inde brachia diducere: & manus ad aquas fluminum & maris protendere? Dicetis explicari vastissimum illius dominatum, ex unâ parte mediterraneo, ut vocamus, mari terminatum, ex alterâ usque ad Nili fauces, & Euphratis oras excurrentem. Responsum ad litteram accuratum: si tamen sensa mea moraliter aperire ausim, existimo, *in fluminibus dexteram* poni Salomonis, quorum undæ fertilitate, dulcedine ac svavi refrigero excellunt, quod Rex ille pacificus benignitate affectuum & clementiâ singulari commodis, atque prosperitati subditarum sibi gentium studuerit; cæterùm etiam *in mari manum* collocari, procellis amarissimis & salsedine infami, quoniam exigente loco & tempore pœnis rigidissimis sceleratos affecit, miscens, uti ex Gregorio meminimus, *quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multâ asperitate exulcerarentur subditi, neque nimiâ benignitate solverentur.*

Antiquus jam inde à primis sæculis usque ad nostram ætatem mos obtinuit in florentissimo Galliarum regno, ut Reges creandi per manus Sacerdotum sanctificarentur, ungerentúrque, quemadmodum olim Saul & David à Samuele oleo sacro fuere delibuti; & de Salomone proditum invenimus: *unxerunt Salomonem Sadoc Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Sion.* Nec immeritò inungebantur, qui ad regale solium evehendi erant; patefiebat enim eâ ratione, quod sicut *oleum liquoribus aliis superfertur*, ut Beatus loquitur Gregorius l. 4. c. 4. in lib. 1. Reg. ita Rex cunctos subditos dignitate atque auctoritate transcendat. Quod verò maioris est momenti, subdit Sanctissimus Pontifex, ut *oleum ignem fovet, oleum vulnera curare consuevit*; ita Reges & Prælati quoque, quibus aliorum concredita est gubernatio, olei dotes exprimere tenentur, medendo plagis spiritualibus, quibus animæ subiectæ forsan confligantur, & quàm maximâ benignitate ac mansuetudine munditiem internam procurando, & salutem, simúlque alendo ignem necessarii zeli & iustitiæ rigorem contra iniquos palam exercendo, probè memores, quod propria quidem principium Virtus sit clementia, nihilominus *honor Regis judicium diligit.* 546.

Reminiscor, occasione aliâ dixisse me, quod Aaronis virga luculentum Symbolum sit Prælati numeris omnibus absoluti, illa namque ingenti prodigio nunc flores fructúsque producit, nunc terrificos serpentes & dracones monstrosos deglutivit, egregiè docens, Prælatum quemlibet, quod oporteat modò gemmas agere, & flores benignitatis & 547.

Medicinæ, qua conſcientiæ vitiorum morbis infectæ ad integritatem priſtinam promoveantur modò ſubigere virulentos angues, & exturbare è monaſterio, ſicut ſerpens antiquus, infernalis laverniо cum Angelis rebellibus & Apoſtatis è cœlis in exilium olim eiectus fuit. Et verò ſi memoratam Aaronis Virgam penſiculatiùs expendamus, nonſolùm deprehendimus ideam perfecti Præſulis quoad flores & fructus quomodocunque, ſed etiam inde, quod ea non progenuerit poma Perſica vel punica, naturaliter mirâ pulchritudine prædita, ſed præcisè amygdala, quorum indoles partim adſpera eſt,dura & oſſea, partim verò delicata, dulcis & cumprimis ſapida. Videlicet boni Prælati exigit provincia, ad ſubditorum profectum modò comitatem, amorem & dulcedinem *exhibere*, modò verò aſperiùs invehi, & duritiem obtendere, ſi *malitia non cedit* niſi vi compreſſa. Cuiusmodi praxin firmant probatiſſima quæque exempla. S. Nicolaus Myrenſis, cum Conſtantinus *Imperator iniuſtæ* morti adiudicaſſet Viros ſtatûs quidem, meritorúmque conditione ſublimes, ſed inſidiis hoſtium oppreſſos, *viſendum ſe præbuit*, iuſsítque ſententiam revocari, & tribunos inſontes abſolvi, ubi verò amicâ ſuaſione nihil effecit, graviores minas intentare cæpit, & duritiem expugnavit: *ad miſericordiam per viſum monitis deflexit & minis*. Martyrol. 6. Decemb. S. Ambroſius videns Maximum Gratiani Cæſaris interfectorem ad pœnitudinem tam nefandi criminis nullis rationibus induci poſſe, pro graviſſimâ pœnâ excluſit illum gratiâ ſuâ & amicitiâ. Breviar. Rom. 17. Decemb. Idem ter inclytus Mediolanenſium Antiſtes Theodoſium poſt cædem Theſſalonicenſem publicè & acerrimè reprehendit, & apprehenſo flagello interdixit ingreſſu Sacrarum ædium, *donec* confeſſus culpam, pœnitentis animi ſignis expiâſſet.

548. Sanctis Apoſtolis,tanquam Piſcatoribus,præſcribit Divinus Magiſter modo ſagenam: *laxate retia veſtra in capturam*. Modò conſuetum uncum: *Vade ad mare & mitte hamum*: Matth. 17. 16. Rete dilatatum aperit vaſtum ſinum, & clam piſcium copiam, etiam fundo lutoſo inhærentium citra violentiam aut dolorem complectitur, atque in littus vel vivarium educit, hamus autem fauces trajiciens pungit, ſauciat, affligit & libertate ſimul ac vitâ exuit: unde imbuuntur viri Apoſtolici & Prælati, duplicem viam ineundam eſſe, quo ſubditis auxilium feratur, ut evadant perniciem, & amarum peccatorum pelagus: præmittendum eſſe leniorem ac diſcretum amoréque plenum agendi modum, nec tamen omittendum eſſe uſum hami & acriorem caſtigationem, ſi fortaſſis *in limo profundi* ſepeliantur.

Nimiùm

Nimiùm quantum ab allatâ corrigendi normâ & methodo descivit infelix ille Veteris Testamenti Sacerdos Heli: Filios habebat in omne flagitiorum genus usque adeò effusos, ut universo populo essent scandalo, & opprobrio: non latuit parentem deperdita & flagitiosissima filiorum vita, & aliquando etiam rationem exegit, improbavit, increpuit: & tamen ipse cum filiis & totâ familiâ, iusto Vindice DEO, gravissimas pœnas dedit. Eccur ita? quia solâ usus est benignitate, & putrido apostemati svavia duntaxat applicuit medicamenta, quæ lenirent, & mulcerent & nihil penitus proficerent. Heu mihi! acutis & inveteratis morbis, fortioribus occurrendum est pharmacis; ad hydram eiusmodi pestilentem ferro & flammâ opus est: erant miseri contagiosâ infecti leprâ libidinis, erant claudi in legibus, supernis executioni mandandis, erant cæci, & videre non poterant deformitatem propriam, vel lumen cœli, proturbandi proin erant ex tabernaculo & templo, removendi procul ab altari: *Horum iniquitas*, ait Theodoretus q. 10. in 1. Reg. *non egebat levibus medicamentis, sed acerrimis & asperrimis. Oportebat ergo cum post primam & secundam admonitionem perseverassent in nequitiâ, eos à templi ambitu expellere.*

Avertat Clementissimum Numen, ô Prælati, ne conniventia Heli 550.
in vobis reperiat locum, subditi, si graviùs exorbitarint, vivo à vobis zelo corripiantur; si remedia mitiora eludantur, & prorsus incassum abeant, urgeantur rigidis & austeris suppliciis, ut affectus misericordiæ habeant individuum comitem Virgam censoriam iustitiæ. Satagite, ut instar areæ testamenti Vas mannæ asseruetis, non tamen desit duritia Virgæ, instar Evangelici Samaritani vulnera curetis affuso pietatis oleo, & applicato, si discretio postulat, austeritatis vino, instar Salomonis gratiam stillent labia, femur tamen obarmetur gladio; usurpando *mansuetudinem & iustitiam.* Ita manus Omnipotentis consilia vestra secundabit & ad optatum exitum perducet.



Ex

CAPITE VII.

Emendatoriam Vindictam, si ferre recusaverit - de vestrâ Societate projiciatur.

Prælatus sit tardus ad puniendum.

DISCURSUS LVI.

551. Cæca gentilitas simulacra sua è metallis, *lignis*, *lapidibúsque* efformata, honore Divino stolidissimè prosecuta, primas detulit Jovi, quem titulo Optimi Maximi condecoravit, & fulmen trisulcum in dexterâ, ceu proprium Maiestatis characterem, reposuit. Fabulabantur insuper, quòd si Jupiter miseris mortalibus opem voluisset ferre, authoritate id plenissimâ exequi potuerit, si verò pœna exigenda fuisset à sceleratis, & fulmine animadvertendum, cæteros Deos in consilium vocare debuerit, quorum consensu demum, ait Seneca, rei percellebantur: quo commento docebantur Principes pro lubitu quidem benefacere quibusvis, & gratias liberaliter dispensare, at supplicia non infligere, nisi consultis sapientioribus, & omnibus rebus maturè discussis. *Discant hoc*, verba sunt magni illius morum Præceptoris l. 2. nat quæst. c. 43. *quicunque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio, nec fulmen quidem à Jove mitti, advocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, ubi aliquid percuti debet, nec Jovi quidem suum satis esse consilium:*

552. Quod verò Cordubensis sub fabulæ velamento prodidit, reipsâ observari voluit S. P. Augustinus in vindicandis subditorum delictis, jubens adversus incorrigibiles lentis passibus procedi, quapropter, antequam ad ultimum deveniatur supplicium, & fulmen vibretur, præcipit errata Fratrum denuntiari Præposito, si fortè secretò in charitate correcti resipiscant: si nihil hac viâ efficiatur, mandat, ut coram pluribus peccata eiusmodi manifestentur, quo publicè convicti erubescant, & ad fru-

frugem revertantur. Quodsi etiam hoc consilium cadat irritum, & adeò perfrictæ frontis quispiam reperiatur, ut nullis salutaribus monitis & correctionibus acquiescat, sed in culpis suis contumax persistat, fulmine percussus, *de vestrâ societate projiciatur.* Ita nimirum bonus Prælatus tardo & plumbeo, ut dici solet, pede in coërcendis subditorum excessibus procedat, priusquam adhibito ferro è contubernio Justorum resecetur. Eò collineat illud Cassiodori Var. 12. Ep. 16. *Benigni Principis est, non tam delicta velle punire, quàm tollere,* ut innotescat, vel etiam ex ipsâ tarditate non tam propensum esse, ad feriendos impios, quàm totis viribus incumbere ad eorum emendationem & utilitatem.

Unde in ratione Symbolicâ ideam discreti Principis & Prælati benigni delineare oporteret, dicerem, imitandum esse ætate confectum bovem, cui nonnemo inscripsit: *lento gradu*: quod maturum in agendo pondus, & prudentia exigatur. In examinandis librandísque delictis præcipitandam non esse sententiam, sed progrediendum cum testudine *pedetentim*: gladium Astrææ in serram commutandum, quæ secando marmori applicata epigraphen recipiat: *tarda sed recta.* Rursus, quemadmodum falcem frumento iam maturo succidendo accommodatam quidam notavit lemmate: *flaventia metit*, ita circumspectus iudex decidere non debet, nisi causâ, plurimo Sole & frequenti consultatione, perspectâ. Quid quod etiam Imperatores Valens, Valentius & Gratianus l. 2. C. de sentent. ex pericul. recit. ita decernant: *Hac lege perpetuo credimus ordinandum, ut Judices, quos cognoscendi necessitas tenet, non subitas sed deliberatione habitâ post negotium sententias ponderatas sibi ante forment.* 553.

Si lubet adire Divinorum librorum monumenta, textum proposito nostro perquàm opportunum exhibet Jeremias, qui nomine Hebræi populi ob scelera sua meritis afflicti castigationibus ita Thren. 3. 13. ingemiscit: *misit in renibus meis filias pharetra sua.* DEUS, iustissimus Vindex transverberavit renes nostros sagittis ex utero pharetræ suæ procreatis. Exodicus videri possit modus loquendi, & tela, supplicii mortísque instrumenta comparandi infantibus, ex utero materno in lucem, aurámque vitalem emmissis; sed iustiori causâ mœstissimus hic Vates nuncupavit sagittas pharetræ filias, quàm Lyricus canens: *venenatis gravida sagittis pharetra*, &c. Uterque tamen denotare voluit, quod, sicut infantes in ventre concepti, antequam inde prodeant, novem, decem, & aliquando plurium mensium intervallo debitis inibi organis instruuntur, paulatum grandescunt, firmantur, atque suam ad matu- 554.

ritatem perducuntur, tum demum non absque ingenti matris dolore parturiuntur, & in lucem eduntur, ita post longas moras, variásque disquisitiones ex pharetrâ DEI, hoc est, è sinu Divinæ iustitiæ non sine dolore infinitæ Bonitatis mittantur sagittæ Ultionis, quâ scelerati confliguntur. Quo sensu loquitur DEUS Isaiæ 12. 14. *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo & absorbebo simul.*

555. Cæterùm quod Jeremias ingeniosâ suâ Metaphorâ indicavit, dilucidè in sententiâ adversus impium Regem Balthasarum in pariete Regalis triclinii Divinâ manu exaratâ declarat Daniel. c. 5. v. 25. *Hæc est scriptura, quæ digesta est, Mane, Thecel, Phares.* Quo loco advertatis velim, sententiam condemnationis appellari *digestam* non modò, quantùm ad seriem litterarum, & significationem vocum, sed etiam, quod maioris est ponderis, quantum ad protractam examinis institutionem & librationem momentorum; quod ipsa vocabula innuunt apertè: *Mane, DEUS numeravit regnum, Thecel, appensus est in staterâ, Phares, divisit DEUS regnum.* Quis non videt Divinam Justitiam, *hic in numero, pondere & mensurâ*, discussisse crimina illius Principis, antequam regno exueret, & vitâ, iudicium usque adeò ferendum est æquum, ut quilibet Judex condiscat, non esse pronuntiandum contra delinquentes, nisi solertissimè considerata sint omnia, quæ reo vel favent, vel infestant, & circumspectum consilium fuerit prius institutum. Consonat opinio Valerii Maximi, qui lib. 1. cap. 2. ait: *Lento gradu ad vindictam sui Divina procedit ira.* Quod idem Daniel firmat: ponens ob oculos, pœnam superbo Nabuchodonosori irrogandam. Visa est Regi secundum quietem arbor procera, simúlque horribilis vox cælitus allapsa est, asseverans, securim ad radicem jam esse positam, & rigorem Divinæ iustitiæ impendêre. Quid ageret zelosus Propheta? suadet se præmunire liberali eleemosinarum elargitione, & securitatem in misericordiâ quærere: sed irrito conatu; Rex, sive pravæ consuetudini nimium agglutinatus, sive præ stupiditate animi consilium aspernatus, perversæ vivendi licentiæ imperterritus insistit, & somnii minas susque deque habet, tantâ tamen, quod miremur, pervicaciâ non illico succendit furorem Domini, non extorsit fulmen paratæ Vindictæ, falx supremo destinata supplicio non extemplo evellit truncum, sed primùm *post finem mensium duodecim* obstinata illa durities decretâ pœnâ fuit castigata. Quo eventu obstupefactus Richardus noster Victorinus lib. 2. de erudit. homil. cap. 39. abundantiam Divinæ bonitatis adorat, atque in huiusmodi affectus prorumpit. *Quis quæso Divi-*

na

na pietatis viscera digne pensare sufficit, qui contemptum suum non statim vindicat, sed correptionis nostræ satisfactionem expectat, & propitiationis suæ tempora prolongat.

Sed quid moramur Nabuchodonosorem? Tametsi Cain Abelem Fratrem barbarâ crudelitate interemerit, séque ipsum stimulis conscientiæ agitatus ultro reum violentæ mortis edixerit: *Omnis, qui invenerit me, occidet me*, Gen. 4. 14. Nihilominus indulsit DEUS prolixum spatium, integra sæcula, tantum ideò, ait D. Ambrosius: *Ut magnanimitatem & patientiam doceret Judices, ne quis præproperè raperetur studio vindictæ.* Licet Dominus optimè videret abominanda flagitia, quibus Mundus aurium tenus immersus contabuit, apertéque contestaretur: *finis universæ carnis venit coram me.* Gen. 6. 13. & sancto Noëmo indignationem suam patefaceret, antequam tamen cataclysmo perditum iret peccatores, centum omnino annos interposuit, quibus arca fabricaretur, & illi perniciem genuinâ pœnitudine à se avertere possent, imò eo etiam temporis spatio elapso, septem adhuc dies prorogavit supplicium; *adhuc enim & post dies septem ego pluam*, Gen. 7. 4. Quo, teste Ambrosio, *spatium dedit ad pœnitentiam, Dominus magis volens ignoscere, quàm punire.* Maximopere displicuit DEO, quod Heli nefaria filiorum facinora dissimularet, quapropter per sacrum quendam ministrum intentat extremam familiæ cladem: quamvis autem Heli nihil inde proficeret, nec errata corrigeret, dilata tamen fuit ultio in serius tempus, & denuo rursum per Samuelem denuntiata. 1. Reg. 2. 27. Ninivitarum peccata in tantum accumulabantur, ut clamorem in cœlum usque attollerent, nec erat difficile DEO, in momento, dehiscente terrâ funditus, urbem delere, sed quadraginta dierum inducias præfixit, ut correcti effugerent interitum Jonæ c. 1. Episcopo Ephesino acriter tepiditas exosa objicitur, nec tamen extemplo meritis in eum suppliciis animadvertitur; satis est DEO, perterruisse minis, & saniora consilia suggessisse. *Memento unde excideris, & age pœnitentiam*: alioquin *movebo candelabrum tuum de loco suo*, Apoc. 2. 5. Ita nimirum *lento gradu ad Vindictam sui Divina procedit ira.* 556.

Altiori consideratione digna est parabola Matth 13. relata. Observarunt agricolæ non sine cordolio, sementem factam in agro è granis optimis, permixtam esse undique zizaniis, & mox indefessâ operâ purgaturi patremfamilias accesserunt. *Domine vis, imus & colligimus ea?* sed abnuit ille peritus & *ait, non, finite utraque crescere usque ad messem.* Ut suo tempore separetur triticum selectum. At nunquid periculosa 557.

erit mora illa & diutina permixtio? certè Apostolus maturâ deliberatione habitâ voluit exscindi germina maligna & pestifera. *Auferte malum ex vobis ipsis.* 1. Cor. 5. 14. quibus verbis interprete S. Augustino indicat, vitiosos homines è consortio iustorum esse removendos: *ut homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per Ecclesiasticam disciplinam.* Cui igitur providus ille paterfamilias strictè prohibet eradicari lolia, usque ad aliud tempus? sperabat, si patienter perferrentur, & vicinia iustorum diutius gauderent, commutanda esse in probum frumentum, triticúmque perfectum: unde S. P. Augustinus Serm. 46. de divers. *In agro sunt zizania, & fieri potest, ut qui hodie sunt zizania, cras sint frumentum.* Consonat S. Petrus Chrysolog. Serm. 97. *Sic hodie habetur hæreticus, qui crastinâ fit fidelis, & qui ad præsens peccator cernitur, ad futurum iustus assistit.* Quamobrem merito prudens, zelosus & salutis sibi creditorum avidus Prælatus adversus delinquentes non præcipitanter, sed lento gradu procedit, ut *cor criminibus implicatum* in libertatem asseratur filiorum DEI, ut leo ferociens in mansuetum agnum commigrare, & nigèrrimus corvus pennas columbæ deargentatæ assumere queat, pretiúmque radiantis carbunculi induat, qui carbo obscurus & mortuus videbatur.

558. Plutarchus in suis problematibus, & Cassiodorus l. 6. variarum c. 1. produnt memoriæ, Romanorum Consulum insignia fuisse fasces virgarum & securium, quos in signum supremæ Auctoritatis, & verendæ potentiæ duodecim lictores illis prætulerunt, ut sontes apprehenderent, & virgis aut securibus plecterent: sed quare utraque hæc suppliciorum instrumenta in fasces colligata, & ministrorum humeris imposita erant? innuebatur, iram magistratûs non cæco furore debere in rigorem & sanguinariam erumpere vindictam: idcirco in fascem colligantur virgæ ac secures, ut mora traheretur in dissolvendis illis, atque in supplicium expediendis, simulque tarditate illâ rigor iustitiæ temperaretur, *causa* melius discuteretur, & rei non præproperâ quadam violentiâ opprimerentur. Quæ etiam causa est, cur Theodosius magnus, teste Eusebio lib. 11. hist. c. 17. edicto publico caveret, ne latæ capitales sententiæ ante trigesimum diem executioni mandarentur, ut interea temporis locus esset tum Principis clementiæ, tum profundiori disquisitioni causarum, tum denique saluti eius, qui morti jam addictus est.

559. Quam, optarem ego, reflexionem hanc perpetim ob oculos vestros versari, ô Prælati, reposita est in manibus vestris virga iurisdictionis spiri-

ſpiritualis & auctoritatis præcipiendi, quod æquum fuerit viſum, nec ſecures deſunt reſecandis à myſtico Religionis corpore membris infectis & contagioſis. At verò procedendum perinde, ac ſi manus eſſent conſtrictæ, maturâ lentâque ratione: ſi aperitur ſtatus morbidus ſubditorum, ante omnia invigiletur, quo pacto ſanitati reſtituantur: ſi oleum & opera perdantur, & incorrigibiles dignoſcantur, à contubernio cæterorum extorres fient. Quamprimum igitur aliqua notitia habetur iniquitatis, & pravi exempli à quopiam editi, ne venenum ſerpat, & dulcia media eludantur, acriores correptiones ſunt adhibendæ, duobus tribúsve viris ſpectatæ virtutis præſentibus increpentur, & ad ſaniora extimulentur, flagello & calcari ſalutaris pœnitentiæ percutiantur, frœno diſciplinæ cohibeantur, ut ita tramitem virtutis & perfectionis Religioſæ alacriter percurrant. Quod ſi phreneticorum more omnia remedia pervicaciter repellant, ne peſtiferâ contagione alios inficiant, *de veſtrâ ſocietate projiciantur.* Exturbetur è navi Collegii Regularis delinquens Jonas, & in profundo maris demergatur, atque Religioſi cæteri quietiſſimâ fruantur malaciâ: ubi è cœnobio velut cœnaculo excluſus fuerit Judas, & Chriſto ſanctius præſtabitur miniſterium, & ſervi DEI plena felicitate & benedictione cœleſti perfundentur.



Ex

CAPITE VII.

In prohibendis, indicandis, convincendis, iudicandisque peccatis totum peragatur, cum dilectione hominum & odio vitiorum.

In plectendis reis uniatur amor hominum odio vitiorum.

DISCURSUS LVII.

560. INnumeris pæne, úsque adeò exoticis rationibus humanorum corporum temperies & valetudo vitiatur, & corrumpitur, ut omnis Medicorum industria & solertia vel fatiscat, vel media ipsis propemodum morbis duriora applicare cogatur: vires aliunde jam satis attritas protracta inedia frangit, cruditates & noxias materias amarissimis catapotiis expugnare nititur, venas incidit, cauteriis carnem inurit, & aliis exquisitis subdit ægrotum cruciatibus, ut optatæ restituat sanitati, nempe juxta Hyppocratis Aphorismum: *quod non curat inedia, curat pharmacum, quod non curat pharmacum, curat ferrum, quod non curat ferrum, curat ignis.* His catapultis aggreditur miserandum ægrum prudens Medicus, & excitat ad invicto robore perferendum, quidquid à se præscriptum fuerit: ita in argenteo poculo præbet potionem amaritie & fœtore refertam, ita armatus novaculâ, serráque vivas carnes dilaniat, ustulátque, ut corpus eiusmodi in funestam carnificinam vertatur, & meritò quis addubitet, maioríne amore feratur Medicus in infirmum, quàm odio in infirmitatem, quæ ad instar hydræ *ferro & igne* invaditur & domatur. Quod verò in adversâ corporis valetudine pellendâ usuvenit, in animarum curâ pariter observandum est: quando hæ languere incipiunt, & entheo calore paulatim destitutæ periclitantur, necesse est, amaras deglutiant correctionis Medicinas, exprobrationes & increpationes æquanimiter ferant, cruciatibus pœnitentiæ subdantur, & à Prælato, ceu Archiatro peritissimo, eiusque zelosis

zelotis ministris affligantur, quæ tamen omnia fiant, ut S. exigit Augustinus, *cum dilectione hominum & odio vitiorum*, *ita ut*, subiungit Hugo Victorinus, *amor servetur in corde erga hominem, & odium adversus vitium, quia districtio debetur vitiis, compassio verò naturæ.* Agamus igitur, & sicut Achillis lancea sauciavit unà & sanavit, ita proximis nostris criminum convictis, eâ cautione applicemus medicamenta, ut reorum naturam prosequamur amore, in culpam verò condignè animadvertamus, quod regula nostra postulat iis verbis, *cum dilectione hominum, & odio vitiorum.*

Religiosam hanc politiam mirè stabiliunt duæ regii Vatis propositiones; ex unâ quidem parte syncere confitetur, perquam adverso se animo esse à sceleratis: *iniquos odio habui*, Psal. 118. illud tamen odium ab omni vitio quàm longissimè abesse declarat ex alterâ parte, dilucidè contestans: *Perfecto odio oderam illos*, Psal. 138. 22. Ideò autem immune erat omni nævo, quòd præcisè persequeretur iniquitatem & culpas, humanitatem verò & naturam foveret, quod egregiè S. P. Augustinus in Psal. 118. explanat: *Hoc est, perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Et iterum: *Hoc in eis oderis, quod iniqui sunt, hoc diligas quod homines sunt.* Itaque sicut, luce fungo crassiori obscuratâ, mucus lucernæ ita aufertur, ut tollatur defectus, non autem lumen extinguatur penitùs, eodem modo si proximus forfice reprehensionis est purgandus, recidere oportet deformitatem, & pravas consuetudines, non sine solicitâ charitate, ne deleatur splendor integræ famæ, aliàve inde scandala & fœtores nascantur. Monet Humbertus c. 102. *Sic discretè emungat, ne lumen extinguat, & fœtorem inducat.* 561.

Si apertius videre lubet permixtionem amoris hominum cum odio vitiorum, mecum in Apocalypsin concedite, & textus, intricatus, dicam, an omnino ænigmaticus? clarissimè illam subjiciet oculis. Cap. 5. consultatur super volumine quodam reserando, & vox cælitus allabitur, provinciam hanc generoso cuidam leoni demandatam esse: Verùm postea in conspectum venit agnus aliquis septenis oculis totidémque cornibus instructus, qui operam promissam accuratè præstitit. Nullum est dubium: quin istiusmodi figuris designetur Filius DEI: sed obsecro, cur idem apparet modò ut terribilis leo, modò ut agnus mansuetissimus? dein quorsum prodigiosus ille septem oculorum; & cornuum apparatus? Mysterio certe non vacant: Filius DEI, supremus universorum Judex, præditus est fortitudine leonis juxta ac mansuetudine 562.

dine

dine agni, ambabus sanè virtutibus summo Monarchâ dignissimis: septem oculi denotant acutissimam perspicaciam, vigilantiamque circa subditorum calamitates, ut solatium & auxilium feratur; cornua verò Symbolum sunt roboris ad perstringendam, subigendamque ferociam, & obstinatam sceleratorum perversitatem. Apposité Richardus à S. Victor. l. 2. in Apoc. c. 3. *Redemptor est leo, per potentiam Majestatis, agnus per mansuetudinem, leo fortitudine, agnus pietate, leo malos puniendo, agnus bonos redimendo.*

563. Et ecce vobis, quam monita S. P. Augustini respiciant metam: Prælati, qui Christi Domini vices obeunt in Monasteriis, dum libros subditorum aperiunt, & cuiusque debita, meritaque revocant ad trutinam, *in iudicandis, convincendis, iudicandisque peccatis* debent se leones exhibere *otio vitiorum*, & agnos *dilectione hominum*, vires assumere, & præseferre inflexibilem quendam rigorem *in vitiosis monstris* expugnandis, econtra omnem benignitatem *Religiosis morigeris* & discretis demonstrare: debent oculos septem tenere, qui explorent miserias & indigentias pauperum, ut commiseratione moti subveniant, *dilectione hominum*: neutiquam verò destitui septem cornibus ad pervicaciam rebellium compescendam, & retundendam, provocati ab *odio vitiorum*, quia, ut supra memini, *districtio debetur vitiis, compassio verò naturæ.*

564. Michæas Propheta oraculo planè manifesto locum, quo Verbum Patris humanâ vestitum carne gloriosè nasceretur, prædixit cap. 2. v. 2. hac apostrophe præclare utens. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.* Omni quidem exceptione maius est testimonium isthoc, quantum ad natalem locum Domini: duo tamen vocabula involvit, quæ pugnant invicem è diametro: *Bethleem* & *Ephrata*. Illud significat *domum panis*, hoc *videns furorem*: Amabo vos, quomodo hæc duo in eundem conceptum quadrant? nunquid furoris erit domus, quæ mensam sternit, & panem cælis delapsum apponit, *omne delectamentum in se habentem?* An furore turbari potest mensa, & vitali simul natare iucunditate? sed altior latet causa, quare domus panis appelletur domus furoris, quia videlicet idem DEUS *cum dilectione hominum* providet, pascit & consolatur, etiam *odio vitiorum* iustæ Vindictæ & furori subjicit refractarios. S. Ambrosius Ep. 18. Quapropter amemus benefactorem, & Clementissimum Patrem, qui sublevat miserias, ut timeamus iustum vindicem, qui acriter castigat, ubi vitiorum odio irritatur.

Sed

Sed videamus inter homines quoque non absonum huius amoris & odii exemplum: præbent id nautæ, quorum mento latior habetur in vaticinio Jonæ. Non modica illos admiratio cœpit, ubi observarunt alias naves, secundo placidissimóque vento provehi, & iter institutum legere, se verò diris conflictari tempestatibus, & professos experiri hostes ventos, procellas, cœlum & mare: quid si Divina Nemesis à quopiam nostrum pœnas posceret; mittamus sortem & exploremus, cuiusnam culpâ hoc accidat infortunium. Et verò deprehendunt, incentorem malorum esse Jonam, quem unum peteret ventorum rabies, & fremitus fluctuum, nec ipse tot proditus indiciis dissimulavit culpam, quin etiam capitis se damnavit, latâ submersionis sententiâ: *tollite me, & mittite in mare*, Jon. 1.12. Illi maluerunt prius tentare omnia, quam occiderent Jonam; intenderunt nervos omnes, quò appellerent ad littus: nihil agunt. Preces ingeminant & ardentibus vocis cœlum pulsant, ut infelicis misereatur: frustra est: profitebantur palam, se participes non esse reatûs, nec auctores supplicii à cœlo destinati, & ita tandem summâ reverentiâ habitâ paulatim attollunt in navi, & non projiciunt, non exturbant, non præcipitant, sed tenero pietatis affectu in aquas demittunt: *tulerunt Jonam & miserunt in mare*, ubi S. Hieronymus: *non*, ait, *invaserunt, sed tulerunt quasi cum obsequio & honore portantes miserunt in mare.* Ex quo apparet, operatos quidem fuisse *cum dilectione hominum*, propter reverentiam, & pietatis affectum, quo Jonam affecêre, sed simul etiam submergentes, & delictum ita vindicantes egisse *cum odio vitiorum.* 565.

Verùm mittamus barbaros hos magistros, idem documentum maiori emphasi tradit amicus DEI vivi, & veri prorsus singularis, & quasi domesticus Moyses, qui cernens Justitiam DEI fulmina intentare ac perniciem Hebræo populo, fœdissimo sacrilegio contaminato, dum aureo vitulo supplex accidit; quid ageret? quid omitteret? hinc pietas flectebat, inde indignitas facti exasperabat, prævaluit supra montem Sinai benignitas, & Maiestati Divinæ advolutus se offert in expiationem: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Exodi 32. v. 32. at postquam in planitiem descendit, iratâ voce ceu tubâ bellicâ proximos quosque incitavit ad cædem idololatrarum, quos mobare læsæ Maiestati Divinæ fixum erat. *Occidat unusquisque fratrem & amicum & proximum suum.* Intus conflagrabat DEI amore, foris eiaculabatur, quaqua versum scintillas severissimæ Ultionis: pro incolumitate populi maximopere amati ultro se, ac intrepide consecravit 566.

hosti .m, mortem paratus oppetere: At propter honorem Divini Numinis idem strinxit gladium, & reos, quos offenderat, interemit: coram tribunali supremo patrocinium suscepit peccatorum, in acie causam DEI propugnavit armatus, *odium vitiorum*, quibus Israel inundabat sacrilegus, impulit ad sanguinariam laniena m; *dilectio hominum* permovit, ut scuto orationis totis viribus infelices protegeret, *eâ namque perfectione*, ait S. Augustinus in Ps. 118. *sic oderat iniquitatem, quam puniebat, ne diligeret humanitatem, pro qua orabat.*

567. Nolim diutius vos detinere cum Moyse Duce populi, cùm JESUS ipse Salvator Mundi, utpote absolutissimum virtutum omnium exemplar, ad se nos invitet. Applaudunt confertæ turbæ, triumphantémque Jerosolymis excipiunt festivis hisce vocibus: *Osanna, benedictus, qui venit in Nomine Domini.* Marci 11. 9. At ille, videns civitatem, flevit super illam: quasi diceret: heu misera civitas! quantum mihi cordolium creat devastatio, capiti tuo impendens! video te, nec tamen te video; tu Judæorum gloria Romanæ potentiæ succumbes, & ultimâ internecione deleberis: pondere armorum in minutos redigeris pulveres, & quamquam renitescis columba pennis argenteis aureisque decorata, cedes in prædam Aquilæ Imperiali, quæ unguibus te discerpet! hæc talia cùm adspiciam, lachrymas & planctum cohibere nequeo. Nimirum, ut Theophilactus notat: *Ostendit Dominus viscera Misericordiæ per fletum.* Verùm si pietas Divina tam teneriter commota est luctuoso adspectu, eccur non avertit interitum? cur cladem non prohibuit & excidium lamentabile? quare Dominus exercituum non repressit impetum Romanorum? Profectò qui flatu unico in mari sepelivit numerosum Pharaonis exercitum: *Flavit Spiritus tuus, & operuit eos mare.* Exodi 19. 10. qui regnante Asâ integrum millionem Æthiopum nutu perterruit, & in fugam conjecit 2. Paral. 14. qui diram passionem aggressurus duobus duntaxat his verbis: *Ego sum*: in horto Gethsemani ferocientem illam militum cohortem humi afflixit, Joan. 18. 6. facili negotio potuit tueri Jerusalem adversus Romanos. Quid igitur plangit, quam funditus vult eversam? aliud reponere non possum, nisi quod Amator gentis Hebrææ pro *dilectione hominum* lugeat, & lachrymarum geminos torrentes deducat; quoniam verò, iustitiâ flagitante, scelera punienda erant & vindicanda, ex *odio vitiorum* permisit meritis subiacere suppliciis. Excellenter Rupertus Abbas in cap. 1. Nahum. *Flevit super illam & tamen non liberavit eam - - -*

im-

impossibile namque est, cum iniuste aliquid agere, iniuste misereri vel parcere.'

Quid nobilius vobis, ô Venerabiles Prælati, quid perfectius proponatur exemplo Christi, quod examussim æmulemini? quocirca gerite in subditos affectum maternæ pietatis, sortem illorum miseram dolete medullitus: si tamen culparum gravitas poscit, locum etiam cedite iustitiæ; si moveamini ad teneritudinem *dilectione hominum*, obfirmet vos æquus zelus *otio vitiorum* excitatus. Scio equidem Doctorem Tharsensem persuadere vobis pietatis sensum svavissimâ hac exhortatione: *Induite vos sicut electi DEI Sancti, & dilecti viscera misericordiæ.* Coloss. 3. 12. Sed latere eiusdem Martia non potest excitatio Ephesiis c. 6. consignata: *estote succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ.* Statui solet pro exactâ ideâ Prælati ardens lucerna; bene habet: quemadmodum illa per oleum illuminat, & consolatur, per flammam verò cruciat, ita vos svavitate misceatis severitatem, nunquam non memores, non debere ministrum DEI, *iniustè aliquid agere, iniustè misereri vel parcere.* 568.

Haud illepida est narratio Senecæ, quod nescio quis Chirurgus ad sanandam Regis cuiusdam filiam adscitus fuerit: quæ gravi apostemate sub pectore discruciabatur. Ille probè gnarus, pertinacius esse malum, quàm ut lenibus cederet pharmacis, aciem ferri exigi: ideo solerter sub tenerâ spóngiâ scalpellum abdit, svaviter ulcus explorat, & impresso præter opinionem salutari ictu putredini viam aperit, & felicissimè suo fungitur officio. *Medicum aiunt*, verba sunt Senecæ 3. de ira c. 39. *cùm Regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fovet, scalpellum spongiâ tectum induxisse.* Nec dissimili ratione in sacris literis usus est Nathan Propheta delectus à DEO, qui mederetur Davidi, horrendo ulcere correpto. Blandè hunc aggreditur, spongiam curiosi Apologi prætendit, comiter iudicium Regis exquirit, & repente cum omnia alia animo versaret David, vulnus infligit: *tu es ille vir.* 2. Reg. 12. 7. Ita benigne fovet partim *cum dilectione hominum*, partim acrius transverberat *odio vitiorum*, ut salus optata eveniat. 569.

Porro quam tenuit curandi methodum chirurgus Senecæ cum Regiâ Virgine, & Nathan cum Davide adultero & homicidâ, observanda est nobis omnibus, si spirituali proximorum infirmitati subvenire cupimus: ut expresſè docuit Gregorius Magnus in c. 7. Luc. *Oportet ut sollicitè discernamus, quia districtionem debemus vitiis, compassionem naturæ, sic* 570.

 enim

enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus, &c. Ut autem complectamur verbo, quæ regula præscribit circa peccatores cicurandos & corrigendos, sive jam disquisitio sedula instituenda, ne malum serpat, & contagione reliquos inficiat: *in cæteris inveniendis*: sive laudabili conatu obviandum impiis consiliis, & cursus exitialis retardandus, *prohibendis*, sive examen diligens formandum *judicandis*, sive productione testium & irrefragabilium argumentorum *convincendis*, *judicandisque* laboretur, nunquam debet benignitas erga reos in tantum prædominari, ut nimiâ nostrâ conniventiâ illi audaciores & procliviores ad peccata evadant: neque tamen ex alterâ parte adeo rigide sæviendum in delinquentes, ut Regularis disciplina furiam induat crudelis carnificinæ, *sed faciendum ex utraque temperamentum* concludit S. Gregorius 2. p. pastoral. c. 11. *ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur.*

Ex

CAPITE VIII.

Quicunque in tantum progressus fuerit malum ut occultè litteras, vel quodlibet munus acceperit - si deprehenditur & convincitur, secundum arbitrium Presbyteri vel Præpositi gravius emendetur:

Munera non esse Recipienda.

DISCURSUS LVIII.

571. EXimiis Thebana civitas jam inde à priscis sæculis condecoratur encomiis, non minus ob fortitudinem, fidelitatémque civium, quorum res præclare gestas Græcia mirabatur, quàm integritatem prorsus incorruptam Magistratûs. Auctor est Plutarchus, in laudem immortalem ejusmodi judicum effigiatas fuisse statuas, quæ viros referrent authoritate conspicuos, pro tribunali sedentes, sed brachiis orbatos: quò designarent præcipuam veri judicis dotem

dotem esse, carere manibus ad recipienda munera, quibus administratio iustitiæ labefactari assolet, illúmque demum iudicem esse numeris omnibus absolutum, qui palam se mancum esse, & à munusculis abhorrentem ostendit, quod Alciatus his versibus scitè expressit Emblem. 145.

Effigies manibus truncæ hic resident
Signa potestatis summæ, sanctique senatûs
Thebanis fuerant ista reperta viris,
Cur sine sunt manibus? capiantne Xenia, nec se
Pollicitis flecti, muneribúsve sinant.

Laudatissimam hanc prærogativam Thebanorum Judicum S.P. Augustinus obnixè studet arrogare Religiosis suis, quos remotissimos cupit ab acceptandis munusculis, quibus animi emolliuntur, & ianua diversis aperitur criminibus: hinc ita decernit: *quicunque in tantum progressus fuerit malum, ut occultè litteras, vel quodlibet munus acceperit, si deprehenditur atque convincitur secundum arbitrium Presbyteri vel Præpositi gravius emendetur.* Quocirca prudens Religiosus munerum abominatur corruptelam, quibus & mens perspicacissima tenebris obducitur atque hebescit, & lingua suggerendis sanis consiliis muta obmutescit vel refrænatur. 572.

Et quidem refutanda esse donativa nonsolum est aperta S. Augustini sententia, sed reliqui etiam vitæ spiritualis Magistri uno id ore affirmant. S. Ignatius Loyola, nonâ regularum, quas communes appellant, *nemo*, inquit, *ab externo quovis modo sibi, aut alii accipiat sine superioris licentiâ.* S. Vincentius Ferrerius tractat. de vitâ Spirit. cap. 6. *Sæcularibus volentibus tibi encænia mittere, nullatenus acquiescas pro tuâ personâ, si tamen volunt mittere conventui, mittant.* Innocentius III. in cap. cùm ad monasterium de statu Monach. *Si quidpiam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumet illud accipere, sed Abbati, vel Priori vel Cellario assignetur.* S. Isidorus in Reg. c. 19. *Si quid à parentibus vel extraneis munus cuilibet Monacho fuerit directum, in conventum fratrum redactum sit, ut cui necesse erit præbeatur.* Denique S. Hieronymus Ep. 2. ad Nepotian. *Munuscula & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatos & degustatos cibos, blandásque & dulces litterulas Sanctus amor non habet:* quasi diceret Doctor Maximus, nihil commercii esse, cælesti puróque amori cum donis, quæ personæ 573.

Religiosæ cum prætextu comitatis, affabilitatis & amicitiæ specialis consignantur, quippe sub eiusmodi strophiolis, ad caput excrementis purgandum destinatis, pus & vermes animæ delitescunt: teneriores fasciolæ invicem transmissæ in vincula & compedes abeunt conscientiæ, in dapibus præmansis, & alteri directis venenum occultatur pestiferum: candida folia, affectatis & meras cordis medullas, & amoris sinceritatem spirantibus periodis, scripta in escam cedunt lascivi incendii. Quibus effatis nixus sapientissimus Prædicatorum Ordo categoricè definivit dist. 1. c. 24. lit. C. *Religiosus, [redacted], multum vel parùm, mobile vel immobile, sine scitu & consensu sui superioris, est proprietarius, & peccat mortaliter.* Consonant leges PP. Carthusianorum statut. p. 1. c. 12. n. 9. 10. *Recipi oblata, cultellos, cochlearia, scyphos, fuscinolas, dentiscalpia: & cætera, quæcunque ex auro, argento, lapide pretioso, serico aut ex aliâ pretiosâ & curiosâ materiâ, ex toto, vel ex parte vetamus.* Ut missa faciamus alia, nostræ constitutiones p. 1. c. 8. expressè prohibent munerum receptiones: *nullus sine licentiâ sui superioris aliquid accipiat aut teneat, licet à parentibus, vel amicis donatum, sive titulo eleemosynæ, aut alio titulo sibi collatum, sive illud sit peccunia, sive vestis, &c.* Atque hoc præcipitur non tantùm ideo, ut magnanimitas, quæ novit & munera mereri & eadem recusare, ut Mundo demonstretur ad oculum, Religiosorum mentes avaritiæ pice contaminatas non esse, sed à propriis compendiis longè remotas, & execrando proprietatis vitio infensas, ut Religiosa disciplina vigore suo, ac puritate conservetur illimis, sed etiam, ne, quod supra jam monui, pallor auri & viscus aliorum munerum fascinet oculos, linguam constringat, mentem exoculet & libertatem auferat. Quam causam lex etiam Divina prætendit Exod. 23. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba iustorum.*

574. Et verò excæcari donis prudentes, firmari potest non uno Divinorum librorum exemplo. Primus omnium occurrit Patriarcha Isaac: genuit is inclytos duos Filios, Esau & Jacob, sed non æquali ferebatur affectu in utrumque, non dividebat bona ex æquo, sed amoris pondus fere totum in Esau inclinabat: *Isaac amabat Esau*, Gen. 25. 28. Rem miram! Jacobus erat liberali facie, politis moribus, amœnâ comitate, ut mansuetum esse agnum iurares, Esau econtra hispido suo corpore, feritate mentis, asperitate vitæ satyrum vel ursum referebat: Jacob morabatur domi cum parentibus submisse per omnia ad nutum obediens, Esau inhumanus per nemora & saltus gyrabat & ferarum more

re

more, Jacob simplicitate, aliísque virtutibus Divinum promeruit amorem, cum Esau ob suam improbitatem iram Numinis & execrationem incurreret: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, Malach. 1. 3. Quoniam igitur pacto Patriarcha præcellenti sanctitate & prudentiâ ornatus tam propensâ in monstrosum Esau benevolentiâ fertur, & amabilem Jacob quasi penitus negligit? quomodo filium immorigerum præferre audet alteri, Angelo propiori, quam homini? sed nolite mirari, ait Moyses: Esau venationi deditus, prædas quandoque uberiores è suis laboribus egerat, cervos, capreas, damas reduxit domum, & patri delicias fecit, qui similes bilanci inclinabat illac, ubi munera erant appensa: *Isaac amabat Esau*, eò quòd de venationibus illius vesceretur: quem locum expendens Hieronymus Oleaster, *mirum valde est*, exclamat, *quod etiam inter parentes & filios munera amorem gignant*, *& augmentent.* Ita quantumvis optimus senex virtutem alioquin coluerit, & æquitatem, pluris tamen in præsenti dona improbi filii æstimavit, quàm inculpatam vitam innocentis, muneribus mentem excæcantibus: affectum benevolum extendit, non ubi virtus eluxit, sed ubi commodum atque utilitas propria animum irretivit.

Quis quæso prudentior, magisque circumspectus Davide? sapientissimos quosque Magistros illâ tempestate florentes, & expertissimos senes superavit, gloriari non veritus; *super omnes docentes me intellexi, & super senes intellexi*, Ps. 118. 99. Quis non expectet integerrimum ab eo iudicium? sed ecce! coram apparet Siba, impudens Regis assentator, & pessimus insontis Miphiboseth Principis delator, duos adducit asinos oneratos ducentis panibus & centum alligaturis uvæ passæ & septem massis palatarum, & duobus utribus vini: quibus panis, fructuum, & vini muneribus fascinatus David, sententiam pronuntiat, & neque falsâ accusatione in examen revocatâ, neque defensione accusati auditâ, omnem Principis hæreditatem addicit servo nequam, & ultimum supplicium merito: *tua sint omnia, quæ fuerunt Mephiboseth.* 2. Reg. 16. O Judicium iniquum! O sententiam undequaque exsecrabilem! Itane David intimo cordis affectu agglutinatus Jonathæ, jam huius filium fortunis omnibus exuat? hoccine præmium referat amor, quo Jonathas Davidem ceterà afflictissimum complectebatur, ut spolietur bonis suis filius eius, qui propter Davidem propriis se vestimentis nudavit? Et credibile sit, eo usque protendi favorem in mancipium, ut Dominus & hæres legitimus opprimatur? Itane David nigerrimum corvum protegat & innocentem columbam deplumet? Ita est, ita Divinum 575.

num enuntiat oraculum: muneribus refertæ manus Sibæ Davidis animum expugnarunt, prudentiam pessumdederunt, & in manifestam stultitiam præcipitem egerunt: visis namque huiusmodi donis pensi non habuit formam judicii, quiritationem non ponderavit, testimonia non discussit, reum non accersiri curavit, sententiam præproperè tulit, & condemnavit, quem neque reatus, nec ulla verisimilis suspicio convincere potuit. Aspectus munusculorum unà induxit decumanam imprudentiam, palmariam ingratitudinem, & apertam iniustitiam. Quamvis autem postmodum Miphiboseth excusationem adferret idoneam, & remotus ab omni culpâ agnosceretur: non tamen pristinam possessionem est adeptus, sed tyrannico huic prætextui acquiescere debuit: *fixum est, quod locutus sum, tu & Siba dividite possessiones.* 2. Reg. 19. ubi Lyranus: *David Sanctus ex verbis & donis huius delatoris & detractoris in tantum fuit deceptus, quod sine verborum eius examinatione dedit ei hæreditatem Domini.* Ita nimirum verissimum est ænigma, quod Cornelius à Lapide refert:

Mutnegra cum murua faciunt rectissima curua.

Mutnegra si retro legas, argentum exhibet, & vocabulum *murua* ordine inverso aurum notat: enimvero pallore auri argentique operationes, utut cæteroquin ad normam compositæ, obliquantur, & munera hæc faciunt *rectissima curua*, quod significatur Divino illo effato: *munera excæcant prudentes.*

576. Quoniam verò mentio incidit argenti, & monumenta Regum præ manibus habemus, operæ pretium videtur observare responsum: quod Giezi famulus dedit Elisæo, 4. Reg. 25. *Unde venis Giezi? qui respondit, non ivit servus tuus quoquam.* Quid, ain? tu nullibi fuisti? nonne prosecutus es abeuntem Noëman Principem? nonne pretiosa ab illo recepisti munera, duo talenta argenti, & geminas vestes nobilissimas? Itane omnem exuisti pudorem, ut fucum faceres, & impudenter mentiri præsumeres Domino tuo, qui Propheta quum sit, omnia habet penitissimè perspecta? quid igitur tergiversaris? quid falsa prætexis pallia? Dicam quod res est, ait B. Cardinalis Petrus Damiani, l. 2. Ep. 2. *Dum argentum Noëman offerente perciperet, Domini sui Spiritum suspicabatur absentem.* Ita fulgor argenti obtenebravit internos Giezi oculos, ut persuasum haberet, delictum suum in occulto mansurum, & acutissimis Elisæi oculis, subtractum iri, quod sanè est muneribus excæcari.

Unde

Unde jam manifestè intelligere licet textum Apocalypsis, alias perquàm reconditum: Episcopus Laodicensis amplissimas suas opes & possessiones inctitabat, veritas verò suprema & infallibilis sese opposuit, & egestatem obiectavit: *dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apocal 3. 17. Ipse magnificè circumspiciebat divitias, & domum omni bonorum genere refertam, cur ergò proclamatur pauper, cæcus, nudus? acutè respondent Andreas & Aretas Cæsarienses; Præsulem illum omni equidem copiarum genere abundâsse, sed locupletatum fuisse iniquis muneribus, quibus quam avidissimè inhiarit; quia verò hac ratione rem familiarem auxit, miserabilis pronuntiatur, & cæcus, quod corruptela donorum mentem supra modum obscurârit, & tenebris involverit, ut propterea incredito sibi officio plures admiserit injustitias & iniquitates. Unde pluribus constat argumentis rapacium ejusmodi harpyarum opera esse distorta & abominabilia: *Quoniam dextera eorum repleta est muneribus*, Ps. 25. 10. Quapropter DEUS ipse Prælato dicto consuluit: *collyrio inunge oculos tuos, ad munerum despicientiam*, addunt laudati interpretes: quæ *oculos excæcant.* 577.

Diximus, quâ viâ caliginem offundant munera intellectui miseréque perturbent, audiamus deinceps, quomodo linguam stupefaciant, ligéntque: *& subvertunt verba Justorum.* Locupletem habemus testem Demosthenem, de quo proditum legimus, quod Athenis, cùm perorandum esset adversus Milesios, qui, vim orationis eius metuentes, magnam argenti summam submisêre, largitionem haud aspernato, ipse horâ decidendæ causæ instante, suggestum conscenderit, obligatóque fasciis collo catharrum prætenderit, quo verba facere prohiberetur. At unus è circumstantibus rem subodoratus, facetè dixit, *Demosthenem non anginâ, sed argentinâ laborare*: non gulam dolere, sed argento intercipi flumen orationis flexanimum: & verò, nisi Prælatus aut Judex dona oblata rejiciat, loquendi facultate illico privatur, & qui teneretur ex officio alienis moribus invigilare, & obiurgare acriùs delinquentes, turpiter obmutescit. Audiamus Petrum Damiani loc. cit. *Acceptis muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur. lingua quadam pudoris erubescentiâ præpeditur; mens quippe percepti muneris conscia debilitat iudicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem.* Quo prætextu nonnulli cupiditatibus habenas laxant, & audacter committunt, quæ directè cum professione & obligatione clarâ pugnant: si amicus aurem vel- 578.

lat, ab excessibus tam enormibus absterrere nitatur, & pœnas statutas in memoriam revocet, explodunt, & aiunt, se immunes fore à plagis, si munera quadam ostendant, & superiorem deliciant, nullam timendam esse castigationem: robur inesse donis, ut Prælatum etiam Zelotem iustitiæ reddant elinguem, & sceleribus propitium. Ita largitiones ad modum propugnaculi sunt, & insuperabilis valli, spondent immunitatem scelestis: sunt frænum aureum, quo Prælatus abducitur ab æquitatis tramite, & perniciosa conniventia illaqueatur. Ranæ suapte naturâ oppidò loquaces & streperæ feruntur altùm conticescere, si ardens facula imponatur stagno: *admoto lumine silent*: & Præsides, si necessitas urget, clamare debent, & reprehendere vitia, & tamen constat, si munerum splendore perstringatur oculorum acies, hebescere, & mutos, atque insensatos videri.

579. Ad artem hanc confugere statuit Dux Mediolanensium, qui resistere cum non posset Apostolico zelo S. Bernardini *Senensis*, nec eius iustissimas vituperationes sustinere vellet, ut os obturaret, transmisit 500. aureos, quibus sperabat, permoveri posse, ne amplius tam durè inveheretur: sed spes eum fefellit, vir beatissimus remisit aurum, unde venerat, nec micam pro se, suive Monasterii necessitatibus acceptans. Cùm verò vehementius urgeretur, viæ se accinxit, ad carceres invisit, per manus Ducalium ministrorum liberavit, quos alienum æs in eas miserias compegerat.

580. Dignum Bernardino factum! dignum exemplum, quo condiscat quivis refutare oblata munera, quæ inducere valeant ad designanda talia, quorum deinceps pudeat: rejiciantur igitur dona, quæ pervertunt iustitiam, famam denigrant, fidem & auctoritatem labefactant: sint procul munuscula, quæ prudentes excæcant, mentem obtenebrant, linguam obtundunt, libertatem adimunt, & religiosum corruptum esse palam loquuntur: enimverò si perfectus, suæque salutis studiosus Regularis nihil proprii tenet, quod aliis donare possit, nihil etiam *recipiat*, ne labem ingrati contrahat: quodsi manus suas à munerum receptione servaverit puras, verâ libertate & aliorum commendatione uberiori gaudebit.



Ex

Ex

CAPITE VIII.

Si inter vos contentiones & Murmura oriuntur, &c.

Quod murmuratio etiam Sanctos infestet.

DISCURSUS LIX.

NUlla Philosophorum sapientia valet comprehendere, nulla 581.
Rhetorum facundia explicare, quanta vis insit humanæ linguæ: quæ licet carnea, ossa tamen prodigiosâ virtute comminuit; licet tenerâ & delicatâ, admodum tamen durissimæ limæ aliorum famam & reputationem arrodit, & corrumpit: Arcto nexu faucibus adstringitur, dentium clathris, vallóque labiorum concluditur, nihilominus instar celeris sagittæ vulnerat eminus, & lethaliter transfigit absentes, atque ut arcus tensus fatales ignes evibrat: velut Babylonica illa fornax immanem vim flammarum & fumi eiaculatur, ut pestilens cloaca mortiferum exhalat venenum. Lingua à Supremo rerum Opifice condita est ad Divinas laudes iugiter persolvendas, & illa sæpius armatur in hominem, vivam DEI imaginem opprobriis & convitiis proscindendam. *Et in ipsâ* conqueritur S. Jacobus Apostolus c. 3. v. 9. *maledicimus homines, qui ad similitudinem DEI facti sunt.* E pluribus intoxicatæ linguæ vitiis duo præcipuè taxat S. P. Augustinus, *contentiones & murmura*: illis familia tota perturbatur, istâ proximi famæ insidias struunt, & perditum eunt: quoniam verò litium damna & fœditatem discursu 70. elucidare constitui, in præsenti adversus murmura stylum acuam, quibus ipsa etiam sanctitas & innocentia indignis modis lacessitur & exagitatur.

Apocalypsis nono capite monstra quædam eo depinguntur oris habitu à S. Joanne, ut Sphynges, Protei, Chymæræ, aliaque exotica commenta Græcorum præ illis vilescant & admirabilitatem amittant: quod- 582.
vis eorum similitudinem referebat locustarum, unà, & equorum militarium

tarium & hominum. *Similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, & facies eorum tanquam facies hominum.* Figuræ humanæ porro hærebant capilli densi ac prolixi, quales sunt fœminis: quodque adspectu horridum, dentes exerebantur truculentorum leonum: *& habebant capillos mulierum & dentes eorum sicut dentes leonum.* Quid dicimus ad ostenta non minus tetrifica quàm insolita? Scio equidem sacros interpretes monstrosam istam visionem ad hæreticos, stygios pullos optime sic delineatos convertere: qui nimirum sub facie humanâ mille benevolentiæ fucis illitâ depascuntur germina sanctæ fidei, ut locustæ; Catholicis bellum inferunt, usque indomiti equi: quà datâ portâ irrumpunt, & sicut leo rapiens & rugiens fidelium gregi ultimam cladem machinantur: at verò hîc loci per Apocalyptica illa portenta, *sinite*, intelligamus id hominum genus, qui murmurationis vitio quum implicitì sunt, effigiem præ se ferunt hominis, capillos etiam mulieris, ut meram svavitudinem spirent, bella eorum facies, Orestem loquatur promptum, obsequiosum, ad larvam si detrahas, si penitiùs mores inspicias; voracissimas locustas deprehendes, ita depopulantur & radicitus erodunt famam & existimationem proximi, ut feroces equi suscitant rixas & domesticos committunt; ut leones Lybici anhelitum fædi odoris spargunt, propalando defectus, Fratrum, quos totis viribus debuissent celare: verbo describit Tharsensis Præco 2. Timoth. 3. 1, *habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.*

583. Si luculentum desideretis specimen eius, quod obscuro Symbolo S. Joannes proposuit, obtutum parumper in Absalone defigite, qui planè venustate incredibili excelluit, cæsaries ut aurum purissimum rutilabat, grandi dispendio ab Hebræis matronis avidissimè quæsita, emptáque. Verum sub bellissimâ specie quid latere creditis? nunquid etiam locustas? ita certè: nam ecce, ut dentes exacuat in proprium parentem, excipiens ambabus ulnis indigenas subditos, forum & tribunal regium accedentes, causam mirifice laudans, & alto identidem suspirio ducto ingeminans: *videntur mihi sermones tui boni & recti, sed non est, qui te audiat constitutus à Rege*, 2. Reg. 15. 3. Os impudens! Tûne arguere ausis negligentiæ ac socordiæ Regem optimum, qui omni studio in id incubuit semper, ut sarta tecta conservaretur iustitia? Audin sincerum iuris tuendi votum? *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum, ambulans in viâ immaculatâ hic mihi ministrabat.* Psalm. 100. Ita David tum ipse pro tribunali sedit, tum iudices incorruptissimos selegit: sed veritatem susque deque habet Absalon, qui susurris illis

illis fucatis corda filiorum Israël sollicitare nitebatur ad seditionem.

Verùm non locustas solùm agebat impius in parentem Absalon, sed etiam instar equi & muli, quibus non est intellectus, libidinis immanis æstro percitus in facie Solis paternum thalamum incessavit, populósque adversus Maiestatem, vitamque Patris concitavit, & leonis indomiti admodum insurrexit erepturus paludamentum regale, à quo vitam accepit, & paterno sanguine tincturus purpuram. Frustra profectò jam gloriatur Absalon nomine suo, quod *Pax Patris* vertitur, cuius significatum directe cupit eversum. Appellatus *Pax Patris*, Patrem rebellione crudeli lacessit & infesto bello impetit. *Pax Patris* loco basiorum & debeti obsequii dentes exacuit leoninos ad discerpendum patrem: *Pax Patris* non jam viridem olivæ ramum, Symbolum pacis gestat in dexterâ, sed funestam feralémque cupressum: nec curâ iam erat amictus candidi, pro typo innocentiæ, sed loricâ sanguinariâ indutus ad parricidium horrendum anhelabat. Ita, quis credidisset, ait Gilbertus Abbas Serm. 14. in Cant. *Amicus Absalon, quia filius, sed quanta malignatus est sceleratus in sancto: filius id Patre, Absalon in David. Absalon pax patris dicitur, bonum plane nomen sed ipse nominis huius virtutem abnegavit.* 584.

Prô dolor! nonsolùm in aulis Principum, sed in sacris quoque monasteriis etiamdum reperire est perfidos Absalones, quorum verba byssina, facta plumbea, mel in ore, fel in corde, qui primâ fronte pacem pollicentur, reipsa discordias seminant, & bella machinantur. Audiunt pacifici, benigni, mansueti, sed quasi locustæ, equi & leones infigunt cruentos dentes, probitatem mordent, alterius famam ac nomen malitiosâ arrodunt: pacem fraternam turbant; lites serunt, & iurgia, & viscera charitatis lædunt. Prælatum omni officiorum genere palam prosequuntur, in os laudant, honores confertim offerunt, at clam toto pectore in id incumbunt, ut dignitatis sede dejiciant, mores sugillant, susurris insidiantur, & subditos per cuniculos aggrediuntur, ut oves morigeræ sensim abeant in prædones lupos. Quod c. l. Gilbertus Abbas ita declarat & deplorat: *An non quasi Absalones sunt quidam, qui pacem prædicant, & mordent dentibus, affectant locum patris, fœdant cubile, dum pravis susurris socios corrumpunt, & subvertunt corda innocentium.* 585.

Quoniam verò per Absalonem infamem illum Patris persecutorem præsignatur sacrilegus Judas, qui humani Divinique iuris immemor in- 586.

credibili audaciâ DEUM hominem, Magistrum dulcissimum venundedit; Audite obsecro, quâ ratione se gesserit, & nequitiam suam occuluerit: stipatus cohorte militum magnis gressibus infandum scelus orditur, & antequam hortum Gethsemani attigit, comitatum suum ita animat, heus vos commilitiones! figam osculum, & contra JESUM evomam venenum: brachiis collum illis stringam, vos catenis innectite, sed cautelis opus est, & solerti vigilantiâ, ne manus vestras evadat: *quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.* Marci 14. 44. dicere volebat, interprete Origene Tract. 35 in Matth. *nisi diligenter eum tenentes adduxeritis, cùm voluerit, effugiet vos.* Quæ malum hæc insimulatio! quis unquam mortalium iniquiorem machinatus est accusationem? noverat flagrio perditissimus, Christum Dominum non semel repulisse titulos regales oblatos, & elusisse hostiles tendiculas. Una erat confluentis populi voluntas, diademate regio honorandi Christum, sed ille fugit nubem hominum, & secessit in solitudinem, splendori solii præferens squalorem nemorum. *Fugit in montem.* Jo. 6. 15. Perductus erat idem salutis humanæ Vindex in cacumen montis à Pharisæis, ut præceps inde ageretur, at ille nemine uno vidente salvus & incolumis *transiens per medium illorum ibat.* Luc. 4. 30. Judæi ad prædicationem Christi in saxa obriguerunt, & apprehenderunt lapides, quibus Divinum obruerent Magistrum, sed conatu irrito, nam JESUS *abscondit se, & exivit de templo,* Joh. 8. 58. Nec ita pridem Dominus in monte Thabor eam ostendit claritudinem, quæ nivi, Solique moveret invidiam: quæ divinæ potentiæ prodigia, coram discipulis patrata, Judam certe non latuerunt, quonam igitur animo lictores & milites extimulat: *ducite cautè*? an forte persuasum habuit, astutiam humanam Divinæ sapientiæ ac potentiæ prævalituram esse? minime gentium; sed quia stygius lavernio Christum in corde negabat Filium DEI, credidit prodigia patrata ope dæmonum, esse puras putas præstigias, & ludibria oculorum. *Putabat*, vox est Chrysostomi, apud Hug. in 14. Marci, *signa, quæ viderat, non divinitus sed magicè facta.* Quapropter militibus maligni cordis sensa patefaciens, dicendo: *ducite cautè*, contendebat detrahere de gloriâ Divinitatis, & infamare ceu ministrum diabolicum. O tenebrionem sceleratissimum! blandâ illâ salutatione: *Ave Rabbi*, Matth. 26. 49. venerationem defert, & una conatur perfidè miracula elevare, & contemptui habere; in manus iuratorum hostium captivum simul tradere Magistrum, & maledictis insectari, totique Mundo, quantum ex se, deridendum propinare.

In Judâ proponitur nobis paradigma perversi Religiosi, qui modis omnibus Prælatum & proximos circumvenire studet, si agendum tibi cum eius generis homine, cave sis technas; nec fidem continuò habeas fucatis verbis: sub pelle ovinâ latet vulpes astutissima, & aquilas deprehendes prædatrices, quas iurabas esse innocuas columbas. Aurum non est omne, quod splendet, *operamini cautè* ni damno vestro sapere velitis. Lingua eiusmodi susurronum ut lima dederit & arrodit nomen & reputationem aliorum, ut carbo phlegetonticus denigrat ac commaculat gesta integerrima, verbis suis veluti novaculis deformant & proscindunt vultus proximorum etiam summè venerandos, ut oraculum Davidis ex amussin competat talibus: *acuerunt linguas suas, sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.* Ps. 139. 4. 587.

Quid adeo miramur Judam virulentâ suâ linguâ in id incubuisse, ut Salvatoris nomen iis inspergeret maculis, quas nulla dies eluere posset, quandoquidem totus iam actu in eo erat, ut proderet, ut funditus everteret? Illud plus admirationis habet, quod iniuriis afficiat, acritérque mordeat Dominum ille, qui omnem comitatem & amicitiam præsefert, & mensæ adhibet Divinum hospitem. Pharisæus est, qui Christum obnixè in ædes suas invitavit, & lautum instruxit epulum. Vix discubuere, cum Magdalenâ, prioris vitæ pertæsâ, lachrymis perfusa, & genitibus ac planctu conferta irruit in triclinium, pedibus JESU affunditur, tributum persolutura unguenti, osculorum, lachrymarum. Pharisæus observat attentè singula, & neutiquam contentus litasse gulæ carnes volucrum & agnorum, dentem lividum stringit in ovem ad salubria iam pascua reductam, quin etiam in ipsum Divinum, cæteroquin tantopere æstimatum, Magistrum. *Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum quia peccatrix est*, Luc. 7. 39. Concinne Gregorius hom. 33. in Evang. *Pharisæus veraciter apud se superbus, & fallaciter iustus ægrum reprehendit de ægritudine, & Medicum de subventione.* In linguâ namque bicipitem tenuit gladium, quo simul offendit & Magdalenam, quæ Divinæ pietatis succursum anxiè imploravit, & Salvatorem, qui misericordiam & veniam liberaliter afflictæ indulsit. Et verò quis non videt, quomodo eâ murmuratione perstrepente *mentita est iniquitas sibi*, Ps. 26. 12. Arguit mulierem, *quia peccatrix est*. Errat toto cœlo, fuit, non est; postquam culpas eluit, profusis ubertim lachrymis, igne charitatis exussit, DEO per basia sancta reconciliata fuit; peccatrix non est, sed tersissimum pœnitentiæ speculum. Ille accusat ignorantiæ infinitam sapientiam, quæ videt abstrusissima quæque, & ipsa cordis arcana rimatur: 588.

tur: debebat extollere Clementiam Divinam, quæ reducem peccatricem non repulit, sed in sinum recepit; ille malignè traducit, alteriúsque felicitate infelix dolet. Nimirum hoc habent linguæ dyscolæ ac effrenes, vituperant, criminantur, quod comendatione dignum, operà pietatis sinistrè interpretantur, & in partem trahunt deteriorem: condemnant innocẽtiam, & somniant in ipsâ clarissimâ luce, nescio quos nævos & defectus.

589. Corruptum hunc genium Dionysius Richelius adumbrari censet in Rege Baalac; is moram injicere Populo Israël adlaborabat, & quem aperto Marte non ansus est aggredi, indirectè cupiebat evertere: adscivit vatem Baalam, & largis muneribus promissis obsecrat, ut diris Israëlem defigeret deprecationibus; primùm deduxit eum in fastigium præcelsi montis & monstravit *extremam partẽ populi*, Num. 22. v. 41. dein versus aliam plagam stitit. *Unde partem Israël videas*, inquit, *& totum videre non possis.* Num. 23. 13. Itaque non obiectavit oculis pompam & Maiestatem totius copiosissimæ aciei, sed eam duntaxat *extremam partem*, quæ miserabilior erat adspectu, quo animos sufficeret Prophetæ, & audacius insurgeret, dirísque omnibus devoveret. Ita certè adversus Moysen murmurarunt, & convitiis impetierunt Hebræi, quod Æthiopissam sibi matrimonio iunxisset, ita Pharisæi & Scribæ despexerunt Christum Dominum, quem Pauperis fabri filium per sarcasmum, & blasphemiam nuncuparunt. Hunc perversitatis callem terunt subditi malè feriati, qui Prælatum omni virtutum genere conspicuum adspernantur propter obscuros natales, qui Religiosam eius parsimoniam taxant, ut avaritiam sordidam, qui sanctam simplicitatem & clementiam indigitant, insensatam stupidámque væcordiam: sed meminerint tales, quod, qui tangit & offendit Prælatum, invadat pupillam DEI. Vox Moysis est contra Hebræos, sibi & suo fratri Aaroni detrahentes: *non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Exod. 16. 8. Quod solatium DEUS ipse adhibuit Samueli, cùm principatu amoveretur: *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* 1. Reg. 8. 7. Unde gravissimè S. Gregorius in registro. *Cavendum est, ne manum detractionis, aut vituperationis, aut dehonorationis quidam mittant in Unctum Domini: quia eorum vexatio seu detractio ad Christum pertinet, cuius vice in Ecclesiæ legatione funguntur.*

590. Novimus propter murmurationis peccatum Mariam Moysis sororem leprâ percussam, postremam Israëlitici exercitûs partem flāmis consumptam, Dathan & Abiron dehiscentis terræ voragine vivos deglutitos, stragem sævam per ignitos serpentes in Populo DEI editam: quapropter vitium hoc cane peius & angue adversemur, nisi paribus subjici velimus

cor-

tormentis. Ob idem scelus in deserto ab Hebræis toties repetitum terra promissionis & tot votis desideratum regnum fuit denegatum, fugiamus nos eam pestem in solitudine Religionis, ut regni æviterni capaces, dignique olim reperiamur.

Ex

CAPITE VIII.

Si contentiones & murmura oriuntur, cum conqueritur aliquis se deterius accepisse, quàm prius habuerat, &c. hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiori habitu cordis, &c.

Impatientiam apparere fœdiorem, si patientiæ conferatur.

DISCURSUS LX.

AMplissimam tristitiæ, luctúsque segetem subministrant humanæ naturæ casus lugubres varii & assidui; inter pastores Abrahami & Lothi contentio nata, quod pascua non ex æquo viderentur divisa, sed alteri gregi cesserint pinguiora. Quàm acerbè deploravit calamitatem & sortem suam Jacobus, ratus, interemptum esse dulcissimum suum Joseph, cuius tunicam cruentam exhibuerunt nequam filii. Sublatis miserabili fato Saul & Jonathâ, heu quot gemitibus, quanto planctu implevit cœlum mœstissimus David! Jeremias flebili lessu, & amaro planctu Josiæ Regis sancti necem, Jerosolymarum excidium, & Israelitici populi doluit captivitatem. Operarii vineæ Apostolicæ in turbulentas prorumpunt quiritationes, quod eadem redderetur merces iis, qui vix manum applicuerunt, & qui tolerârunt æstum & pondus diei. Cives Mileti dolorem incredibilem hauserunt ex nuntio, quod Pauli præsentiâ supremùm fruerentur: *magnus fletus factus est omnium; & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri.* Act.20.37. Omnibus tamen calamita- 591.

h tibus

tibus admirabile lenimen æquanimitas præbet, nam, Horatio teste: *omne durum levius fit patientiâ.* At S. Augustinus (quid enim dissimulemus?) palmariam in alumnis suis væsaniam culpat, quòd, cæcâ quadam impatientiâ victi, in clamosas altercationes, murmura, & quiritationes effunderentur, quia custodes vestium amictum paulò obsoletiorem proferunt, & minorem gerere videntur curam unius, quàm alterius, quod quidem S. Pater luculentum esse argumentum asserit, animam virtutibus denudatam squalere, quum tantopere pro corporis allaboret ornatu. *Si autem contentiones*, inquit, *& murmura oriuntur*, *cum conqueritur aliquis, se deterius accepisse*, *quàm prius habuerat*, &c. *hinc vos probate*, *quantum vobis desit in illo interiore habitu cordis*, *qui pro habitu corporis litigatis.* Id modo vos quæso AA. ad impatientiæ monstrum vivis exprimendum coloribus, permittite, ut instar marcidæ, edentulæ, *rugosæque ancillæ* conferatur patientiæ, per generosam, nec minus *elegantiâ oris*, quàm animi robore inclytam Judith repræsentatæ, *quò altiùs imprimatur* animis horror detestandi vitii.

592. Tertullianus lib. de patientiâ c. 15. calamum in penicillum transformans genuinam patientiæ effigiem ita componit, ut frontem exhibeat serenam, & instar cœli innubis lætè exporrectam oculos Virgineâ quadam modestiâ decenter humi defixos, os & linguam silentio assuetam; si adversa ingruat fortuna, placidè & subridendo eludat, amictum tribuit candidum, & in throno collocat argenteæ nubis, eámque tranquillitatem adscribit, qua fruuntur indigetes cœli ex beatissimo Numinis adspectu.

593. O præclaram patientiæ imaginem! O nobilem statum! *quis non* illius amore capiatur? eóque ardentior, quo fœdior est opposita impatientiæ effigies: id namque portentum visendum se præbet tetricâ tortvâque fronte, oculis lividis & ardentibus, genis inflatis, & nescio quàm interiorem curarum æstum proloquentibus: dentes obarmat in obvios quosque instar ringentis ac rabiosi canis, & veluti feralis vipera edit *sibilum*, saniem evomit, & proximis perniciem machinatur. Videre est in virtute tolerantiæ imperterritam magnanimitatem leonis, qui *ad nullius pavet occursum*: ex adverso impatientia æmulatur turpissimum bufonem, qui virulentâ salivâ inficit germina, & quaqua versum prorepit, non alia sui relinquit vestigia, nisi noxii rancoris tabem & lethiferum venenum.

594. Sicut igitur elucet generosa indoles in palæstrâ patientiæ, ita prodit è diverso impatientiâ cor ignobile abiectúmque animum. Ex placito Philosophorum, quæ corpora laborant imbecillitate, eadem obnoxia sunt timori & trepidationi: pavent insultum puerorum, quoniam viribus destituun-

stituuntur, quibus vim repellant. Ita plerumque fœminæ, quod tenuitatem virium norint, naturæ sunt ignavæ,& ad omnes casus extimescunt, quod silicerniis pariter & ægrotis usuvenit, quibus levissima causa panicum terrorem incutit, quod optimè notavit Seneca l. 1. de ira c. 16. inquiens: *mihi videtur veternosi & infelicis animi imbecillitatis sibi conscii sæpe indolescere, ut exulcerata & ægra corpora, quæ ad tactus levissimos gemunt, ita ira muliebre maximè & puerile vitium est.* Si ergo inter Religiosos, ut S. memorat Augustinus, iurgia & querulæ fervent altercationes tantum ideò, quod quispiam viliorem accipiat vestem, quàm deposuerat, vel alteri alicui fuerit impertita, luculenter propalant animi vilitatem & vecordiam, quod perturbentur, & tantopere ob causam tam frivolam commoveantur.

Sapientiæ 3. c. v. 5. comparantur servi DEI fideliores, quos tyrannis Paganorum immanibus tormentis,ultimisque suppliciis affecit, auro per clibanum exacto; *tanquam aurum in furnace probavit illos*, consonat Apostolorum Princeps: *probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur* &c. 1.Pet.1.7. Sed quare potius aurum assumitur in collationem, & præconium invictæ amicorum DEI constantiæ, & non ferrum vel æs metallorum fortissima? Indicare voluit Divinus Spiritus veri nominis robur comitem exigere patientiam. De auro testatur Plinius l. 33. c. 3. *Rerum uni nihil igne deperit, tutò etiam in incendiis rogisque, durante materiâ*: sic nobiles & ingenuæ mentes ceu totæ ex auro obryzo conflatæ essent, perdurarunt in mediis flammis, nullâ penitus iacturâ libertatis aut heroici vigoris factâ; quodque maioris est momenti; ubi ferrum candens & æs ignitum incudi imposita strident,& quodammodo indignè quiritantur, glandes ferreæ plumbeæque ingenti fragore excutiuntur vi ignis, quin ipsæ quoque frondes & rami lauri perstrepunt & lamentantur, si Vulcano committantur; solum aurum, metallorum nobilissimum, seu excoquatur in foro, seu malleis super incudem tundatur, seu digeratur in laminas: *aurum percussum silet*, inquit Ven. Galfridus apud Velaz T. 2. f. 149. n. 8. ita magnanimi famuli DEI, exquisitis etiam cruciatibus vexati, non plangunt, neque tranquillitatem cordis amittunt, sed omnia in silentio perferunt, intendentes in vivum Christi exemplar, de quo Isaias testatur c. 53. v. 7. *quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et 1. Pet. 2. 13. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur*: econtra viles animi ob futiles & frivolas causas prorumpunt in murmurationes, querelas, & altercationes, quod agnovit S. Augustinus: *contentiones*

595.

& murmura oriuntur ; quippe *conqueritur aliquis, deterius aliquid se accepisse*, &c.

Ab excellentiâ auri transeamus ad nobilitatem pretiosissimi ada-
596. mantis; ut Ezechiel infracto robore pervicaces & refractarios gubernaret Hebræos, DEUS hac promissione animat : non nescio, quod *omnis domus Israel attritâ fronte est, & duro corde*. Ezech. 3. 7. Sed noli despondere animum : nam *ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Quid ita? *ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam*; quasi diceret, uti ex Hebraico textu Pagninus colligit : *ut adamantem fortiorem silice dedi frontem tuam* : Nimirum fideles DEI servi, adamantis indomiti ad instar, neque inter æstus ignium dissolvuntur, neque ictibus ferri cedunt, sed trophæa *figunt* victricia,& gloriosam utrinque palmam reportant, ubi abiectæ *animulæ*, more silicum,ardore ignium incinerantur, vel sub *malleis* in mille frusta dissiliunt, scintillas certè eiaculantur, nunc proximos, nunc ipsum Prælatum querulosè perstringendo, quin ipsamSupremiNuminis providentiam non minùs impiè quam stolidè incusando.

597. Verùm non ignavia tantum & imbecillitas comitantur individuo nexu impatientiam, sed ignorantia quoque lateri eius constanter adhæret. Clarissimè id contestatur Salomon : *doctrina viri per patientiam noscitur*, Prov. 19. 11. quasi nullum evidentius signum sapientiæ suppeteret, quàm iram moderari in tempore & loco, nec quavis occasione stomachari : sicut è contrario nihil non repugnanter accipere manifestat, parum rationis & iudicii adesse, & disciplinam virtutum omnium nutricem propemodum totam exaruisse ; Unde Magnus Gregorius hom. 35. inEvang. *Per impatientia vitium ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur; scriptum namque, doctrina viri per patientiam noscitur. Tanto ergo quisque minùs ostenditur doctus, quanto convincitur minùs patiens:*

Et verò quis addubitet, animam semel impatientiâ victam *cimeriis*
598. ignorantiæ obvolvi tenebris, utpote quæ imprudens respuit, *quæ* apprimè comodarent, & ambabus ulnis complectitur ea, quæ plurimum obsunt : nec opportuna malis suis remedia quærit, sed impulsum furoris interni sequens meritum pessumdat tolerantiæ, spiritum suum delassat, pacem cordis evertit, familiam amaritudine perfundit, proximis per enormes excessus est scandalo, in absurda linguam vitia resolvit, convitiis, periuriis, & aliis id genus criminibus se obstringit, atque cum Jobi uxore in horrendas erumpit blasphemias, cum insano Saul lanceâ pectus transverberat, cum rabido Judâ laqueo infami gulam frangit ; sicut autem in-

inpatientia est sentina scelerum & ærumnarum, ita patientia insignes parit victorias & coronas.

Cùm Judæa Græcorum armis miserum in modum attereretur, Judas Machabæus certior factus de famâ & fide Romanorum per Orbem clarissimâ, statuit fœdus cum illis inire, quorum potentiâ sperabat Israël protectum iri. Rem ita sacra prodit historia 1. Machab. 8. *Audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, & possederunt omnem locum consilio suo & patientiâ.* Ecce quam eleganti synopsi tota Romanorum Virtus, auctoritas & magnificentia comprehendatur! In tantum crevêre admirandæ vires, ut regna integra & fortissima domarent facili negotio, suóque iugo submitterent. Nihil solebant aggredi, quod non priùs maturè suis libraränt momentis, ita consilia omnia cumprimis etiam ardua felicem exitum sortiebantur, præsertim quod patientia vires sufficeret, stimulos adderet, & contra difficultates quaslibet heroicè obfirmaret: *fortes viribus possederunt omnem locum consilio suo & patientiâ:* si barbarorum numerosa acies opponeretur; disjiciebant *fortes viribus consilio & patientiâ*; si urbes eorum obsidione arctâ cingerentur, ocyus in libertatem asserebant *fortes viribus consilio & patientiâ.* Si bello peterentur abs Regibus exteris, vel à subditis rebellibus lacesserentur, triumphum retulere *fortes viribus consilio & patientiâ.* Itaque scuto patientiæ barbaras phalanges repulerunt: civitates proprias hostilibus liberarunt incursionibus, triumphalia signa protulerunt super aliena imperia, quæ omnia feliciter in militiâ Christianâ renovantur, qua testante Doctore gentium 1. Cor. 2. *DEUS semper triumphat nos in Christo JESU:* hoc est, interprete Lyrano: *de persecutionibus facit nos triumphare per patientiam, secundum illud nobile vincendi genus est patientia*, & subdit: *si vis vincere, disce pati.* Sicut enim patientia possessores suos ad cœleste provehit regnum capaces æviternæ felicitatis, ita impatientia præcipites agit asseclas suos in abyssum infernalem.

599.

Egregiè, quod disseruimus, firmat B. Joannes sub exordium mirabilis suæ Apocalypsis: *Ego Joannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ in Christo JESU.* Apoc. 1. 9. ubi contentus non est, proposuisse tribulationes esse semitam, inoffenso pede terendam, si pervenire velimus ad bravium cœlestis beatitudinis, sed disertè adiungit patientiam, velut conditionem summopere necessariam ad infiniti boni consecutionem. Neque sufficit fidelem foris pulsari adversitatibus, & miseriis ærumnosæ vitæ præsentis, nisi studiosè allaboret, ut intus patientiæ vigorem foveat & conservet. *Tunc enim reverà*, scribit Rich. Victor. 600.

in c. 4. Apoc. *ad supernam coronam tendimus, si deforis in corpore tribulationem sustinemus, & intus in corde pro amore JESU virtutem patientiæ inviolabilem conservemus.* Quippe non promoventur ad illud regnum, qui præcisè ad tolerandum est adstrictus, & in perpessionibus suis murmurat, perstrepit, indignatur, sed qui sedato placidóque animo suffert intendens in heroicam illam & triumphalem patientiam, quæ imitanda proponitur in Christo Rege Martyrum, *nam qui foris tribulatione quatitur*, subnectit Richardus, *& intus furore turbatur, iste minime viam ambulat, per quam ad regnandum cum Christo consurgat.* Quapropter agendum, ô boni Religiosi, qui desiderat regni coronam, habeat in JESU patientiam!

Ex

CAPITE IX.

Lavacrum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur.

Lavacra Spiritualia esse frequentanda.

DISCURSUS LXI.

601. INfinita bonitas DEI, misertа humanæ infelicitatis, tot ærumnis & adversis casibus obnoxiæ, non modò in herbis, floribus, fructibus, lapidibus stupenda & opportuna subministravit remedia, sed etiam, & præcipuè medicinalem virtutem infudit elemento liquido, ut vix plagam Orbis invenias, quod eruditè Maiolus l. 1. colloq. 13. comprobat, ubi non salutares scaturiant fontes, quibus ægroti submergant dolores morbi, & sanitati restituuntur. In Sardiniâ fons emanat, præsens antidotum adversus solifugam, animal perexiguum; quod occultim reptat, & per imprudentiam supersedentibus pestem facit, Solino teste. Thessalia gloriatur thermis, quibus ulcera sanie plena è vestigio curantur, & membra contusa mirabiliter consolidantur, atque pristina salus feliciter innovatur. Alicubi reperire est fluenta ebullientia, alibi mirè frigescentia, utraque medentur male affectis corporibus. Aristot. c. 28. de admirandis auctor est, fontes nonnullos dari, qui avibus & quadrupedi-

drupedibus, propemodum suffocatis liberam auram & incolumitatem restaurent. Unde factum, ut Hyppocratis & Galeni asseclæ toti sint in eo, ut languidis & morborum vehementiâ tractis balnea suadeant, & salutares thermas, ad proluenda viscera, & valetudinis incommoda dispellenda: nec admodum dissentit S. Legislator Augustinus, modò præscribens: *lavacrum etiam corporis, cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur*, modò sollicitè cavens: *neque eant ad balnea, sive quocunque ire necessitas fuerit, minùs quam duo vel tres.* Verùm de lavacris & balneis corporum sanitati vel munditiæ destinatis meum non est hìc loci disserere, substituam pace vestrâ spiritualia lavacra, quorum frequentia incredibile dictu est, quantum promoveat internam animæ puritatem ac perfectionem.

Ut sublimes Patriarcharum veterum & Prophetarum prærogativæ dignioribus encomiis celebrarentur, Ecclesiasticus facundissimos quosq; Mundi Rhetores ad contexenda eorum elogia invitat. *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione suâ.* Eccl. 44. heroes illi triumphârunt & semetipsos, & infensissimos hostes suos, idcirco ad culmen dignitatis pervaserunt, *dominantes in potestatibus.* Magnanimos se ac generosos exhibuerunt, sive agendum esset, sive patiendum, *homines magni virtute.* Nec tamen cæco abripiebantur impetu, altâ prorsus & circumspectâ *prudentiâ suâ præditi.* Veluti cælestes tubæ Numinis voluntatem evulgarunt, *imperantes populis sanctissima verba*: ut paradisi Sirenes dulcissimâ melodiâ demulserunt cælum, ac citharam & psalterium Divinis laudibus animarunt, *imperitiâ suâ requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum.* Denique fuerunt *homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.* Rogatis qualenam fuerit illud studium pulchritudinis? reponere possem cum S. Augustino, quod, quemadmodum pulchritudo corporis *est partium congruentia cum quadam coloris suavitate*, ita inclyti illi servi DEI elegantiæ tantopere studiosi composuerint sedulo affectiones mentis, cogitationes, sensus, & actiones potissimum in fulgorem charitatis DEI intenti. Unde mirandam oris gratiam sunt consecuti. 602.

Sed liceat per vos calamo Plauti exponere, quæ mihi corde sententia sedet, ac edicere, quod sicut fœminæ venustatis suæ custodiendæ ac augendæ, ut quæ maximè advigilant, *pulchritudinis studium habentes*, & 603.

Noctes atque dies in omni ætate semper
Ornantur, lavantur, terguntur, poliuntur.

Plaut. in Pænul. Act. 1. Scen. 2.

Ita

Ita Sanctorum animæ, ad eximiam quandam speciem anhelantes, ita, dicam ingenuè, ita Canonici Regulares, ostensuri reipsâ se, ut S. Pater c. 12. Regul. cupit: *Spiritualis pulchritudinis amatores*, mysticis devotionis, pœnitentiæ, macerationis corporis, deplorationis criminum, amoris calidi DEI balneis sese emundare satagant, exornent diu & noctu se magis magísque excolant & perpoliant.

604. In sacro epithalamio præter plura alia recondita Symbola inducuntur columbæ secus fluminis ripas considentes: *columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima*, Cant. 5. 12. Super aquas commorantur, scribit Mellifluus Bernardus, ut umbram accipitris in iis veluti in speculo videre, ac promptâ fugâ saluti suæ consulere queant: super aquas commorantur, aiunt alii quidam interpretes, ut arida recreare viscera, sitimque restinguere sine morâ valeant: super aquas commorantur, dicamus nos, ut etsi eâ niteant puritate, tanquam candidissimo lacte fuissent ablutæ: nihilominus possint lavacra reiterare, & frequentiùs elui; hinc Varro 3. de re rust. docet: *aquam puram esse oportet, quæ influat, unde bibant, & se lavare possint columbæ, permundæ sunt enim hæ volucres.* Si verò iustorum animæ adumbrari solent per columbas, & præsertim Canonicis Regularibus candor columbinus pennæ deargentatæ tribui consuevit, necesse est, vivant & ipsi *super rivulos aquarum*, vivant iuxta fluenta plenissima, & nunquam non *spiritualis pulchritudinis amatores ornentur, laventur, tergantur, poliantur.*

Illustri sanè exemplo David præluxit; quamvis enim indubitatam
605. culpæ veniam adeptus esset, fide Divinâ interpositâ: *Dominus transtulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. 13. non tamen destitit mentem suam efficere puriorem: nec satis habuit semel efflictim supplicasse: *dele iniquitatem meam*: Ps. 50. Sed mox ferventius instat: *amplius lava me ab iniquitate meâ*: iterúmque: *& à peccato meo munda me*, ac rursus: *lavabis me & super nivem dealbabor*: quia sanctè statuit salutare illud lavacrum identidem se innovaturum esse usque ad extremum spiritum: *lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*, Ps. 6. 7. Eodem pacto Israelitas suos exhortatur Isaias c. 1. 16. *lavamini, mundi estote.* Pariter svadet Jeremias Thren. 2. 18. *Deduc quasi torrentem lachrymas, per diem & noctem non des requiem tibi.* S. Petrus, Apostolorum Princeps, quoties cantare gallum audivit, amarissimè planxit præteritum lapsum, & oculos convertit in duas vivas lachrymarum scaturigines. S. denique Augustinus, ut alios mittam, delinitus & quodammodo totus liquefactus, ad svavia Ecclesiæ Cantica & hymnos: *flebat uberrimè*:

suóque

suóque grandi emolumento *fluebant lachrymæ, & bene illi erat cum illis &c.* Ita videlicet animæ, *pulchritudinis studium habentes, noctes atque dies in omni ætate semper ornantur, lavantur, terguntur, poliuntur.*

Cùm Naäman Princeps, funestâ elephantiasi laborans, ad Elisæum Prophetam confugeret, ac misericordiam & medicam manum obnixè imploraret, iubebatur septenis vicibus ad extergendas vitiliginis sordes ablui lymphâ crystallinâ Jordanis: *Vade & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* 4. Reg. 5. 10. locus consideratione dignus: si enim fluminis illius undæ speciali virtute medicâ, & pellendæ lepræ idonea non fuerunt imbutæ, quid illuc pharmacum prensaturus ablegatur infirmus? Dein posito, quod Princeps ille sanitatem Divino miraculo sit recuperaturus, atque suam operam iungere, & obedientiæ meritum exercere debeat, quare non semel duntaxat, sed septies alveo fluminis immergendus erat? Dicamus, siquidem lepra non vulgare Symbolum est culpæ, qua miserè coinquinatur anima, præcipi septuplex lavacrum, sive ut septem capitalia expientur peccata, sive ut lotiones diebus hebdomadæ respondeant, quibus vita nostra consumitur; ut palam fiat, munditiam obtentu non esse difficilem, dummodo indies lavari non gravemur; quæ gnoma est Tertulliani l. 4. contra Marcionem c. 9. *Septies quasi per singulos titulos lavit, simul ut totius hebdomadis caneret expiationem.* 606.

A fluentis Jordanis digrediamur, si placet, in cœnaculum Simonis: exili linteo præcinctus Salvator genibus Petri affunditur, lutulentos pedes ut elueret: obluctatur ille incredibili stupore correptus, nec capiens submissionem post homines natos inauditam: ubi verò severas Christus Dominus minas intendit: *si non lavero te, non habebis partem mecum,* Joã. 13. 8. nemo promptior ad obsequendum, quàm Petrus: non pedes solummodo, sed etiam manus & caput lavari ultrò non tam permisit, quàm rogavit. At replicat Dominus: *qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: & vos mundi estis sed non omnes.* Qui vitam exigit immunem criminibus, opus non habet alio lavacro, quàm pedum: insontes autem vos omnes, uno excepto, pronuntio. Sed quæret nonnemo, si quilibet Apostolorum *indiget ut pedes lavet,* quo pacto stat firmum Divinum oraculum: *vos mundi estis?* Si vita singulorum inculpata est, scelerísque pura, eccur dicatur indiga lavacri? quomodo vita innoxia sit emundanda? O miseram planéque calidis lachrymis deplorandam vitæ nostræ conditionem! mundi erant Apostoli, quia liberi à labe noxæ mortalis: mundum habebant caput, quia intentio actionibus sanctæ præfigebantur, mundæ manus, quia opera innoxia: At verò 607.

quis terræ insistat pedibus, & non pauxillum inquinetur? Nimirum *dum per varias actiones vitæ huius sollicitudo distenditur*, vox est Leonis Summi Pontificis Ser 4. quadr. *necesse est, de mundano pulvere etiam Religiosa corda sordescere.* Unde consentaneum est, quod si leviores culpæ vix omnes evitari queant, indefessa requiratur diligentia in iis abluendis & extergendis. *Et qui lotus est, indiget ut pedes lavet.* S. Bernardus Serm. in cœnâ. *Lotus est, qui gravia peccata non habet, cuius caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio munda est, sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt.* Quapropter animæ sublimioris sanctimoniæ, munditiæque perfectioris avidæ urgere non desinunt balnea spiritualia, & *& in omni ætate semper ornantur, lavantur, terguntur*, &c.

608. Moratur nos in cænaculo doctissimus Origenes, & reflexè perpendens verba Evangelistæ: *misit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes discipulorum.* Joan. 13. Acutè sciscitatur tract. 32. in Joh. *cur non scriptum sit, lavit pedes discipulorum, sed cæpit lavare pedes discipulorum,* Enim verò si opera DEI omnibus numeris sunt absoluta, Filius DEI compleverit examussim opus inchoatum; cur igitur B. Joannes non absolutè consignat literis: *lavit*, sed *cæpit lavare pedes*? hanc dubitationem ortam ex Evangelio diluet testimonium cumprimis insigne Apostoli Pauli, qui magnitudinem & Maiestatem Filii DEI super cœlos triumphantis graphicè describens, ait ad Hebræos cap. 1. *cùm sit splendor gloriæ; & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sed ad dexteram Maiestatis in Excelsis.* Ille, qui radii in morem à Sole generatus in se manifestat immensam gloriam excellentiæ Paternæ, ille, qui dignitatem ineffabilem Divinæ substantiæ in semetipso, velut lucidissimo speculo propalat: ille, qui vastissima terrarum cœlorúmque spatia sustentat, regítque solius verbi efficaciâ, quoniam sanguine proprio peccata Mundi expurgavit, promeruit sedere super Augustissimum DEI solium. In præclaro isto textu S. Joan. Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus & alii unanimiter advertunt, quod ubi nos legimus, *purgationem peccatorum faciens*, græca litera habeat: *purgatione peccatorum factâ*, sive, *postquam fecit purgationem peccatorum*: ut adeo primùm Dominus purgaret mortalium scelera, dein præmio potiretur, & in dexterâ Patris Victor locaretur. Jam verò si Tharsensis præco solummodo verba facit de actione Theandricâ Christi dudum præteritâ, quando scilicet in cruce sanguinem fudit, & maculas nostras extersit, & *lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, quare vulgata editio in præsenti loquitur, quod lavat purgétque noxas mortalium: *purgationem*

nem peccatorum faciens? ut instrueret nos, demonstratúmque faceret, Verbum Divinum non tantùm semel effuso Venis sanguine in cruce nos lavisse, sed etiamnum continuò sacri altaris sanguine parare nobis balneum, & immunditias animæ nostræ clementer abstergere. Unde Innocentius III. Regularium Canonicorum decus insigne l. 4. Myst. Miss. *Nonsolùm*, inquit, *lavit nos à peccàtis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum fudit pro nobis in crucis patibulo, verùm etiam quotidie nos lavat à peccatis nostris in sanguine suo, quando eius sanguinem nos accipimus in calicis poculo.*

Quæ doctrina perspicuè satisfacit dicto Joannis: *capit lavare pedes discipulorum*: exorsus est,ad finem necdum perduxit: quoniam amantissimus DEUS lavandis sordibus semel accinctus, hodiéque non desistit eas delere, ac extirpare: itaque *capit quidem lavare pedes discipulorum*, concludit Origenes, *haud tamen cessavit*: ut etiam tu, licet munditie cordis Apostolici ornatus, licet lumine gloriæ præditus, licet miraculorum gratiâ illustris, nunquam tamen abjicias curam amplius te emendandi, labes & defectus spirituales proluendi, & quantacunque *purgatione peccatorum factâ* identidem ac de novo appareas *purgationem peccatorum faciens*: memor quoniam *spirituales pulchritudinis amatores noctes atque dies in omni ætate semper ornantur, lavantur, terguntur, poliuntur.* 609.

Gilbertus Abbas contendit verbis illis Cant. 4. *greges tonsarum, quæ adscenderunt de lavacro*, animas designari religiosas: sunt namque greges candidi pacifici & innocentes, qui vestigia premunt supremi Pastoris & agni Divini immaculati, sunt greges tonsi, hoc est, exempti divitiis, illecebris, & laqueis mundanis: sunt greges abluti & purificati aquis pœnitentiæ ac devotionis: Laudat hæc Gilbertus, sed ampliora desiderat; nempe *ut adscendant de lavacro, quia non sufficit tondi, non sufficit exonerari, non sufficit lotum & novum fieri, nisi statim adscendas & spiritu incedas.* Assuescant igitur boni Religiosi assiduè se immergere, ac abluere fontibus pœnitentiæ, devotionis, mortificationis, ut quoties frequentarint balnea, puriores emergant, & feliciter propediem enitantur ad apicem perfectionis,ad gratiæ incrementum, & ad imperturbatam gloriæ cœlestis possessionem. 610.



Ex

CAPITE IX.

Lavacrum etiam corporis cum infirmitatis necessitas cogit - fiat sine murmure, &c.

De execrando murmurationis Vitio.

DISCURSUS LXII.

611. TAnta fuit facundia, tantum acumen ingenii S. *Bernardi Abbatis*, ut ex ipsis adeo dentibus, aridis illis, & *exsuccis ossibus* tredecim omnino elegantes doctrinas & analogias eliceret, ad Religiosos accuratè informandos. Candore dentes excellunt, & nivibus certare possunt, & animæ mundities apprimè necessaria est, & congrua iis, qui ex asse Divino mancipantur obsequio: si dentes gloriantur fortitudine invictâ, servi DEI non minùs intrepidi & adversitates excipiunt forinsecus incursantes, & internas molestias gloriosè triumphant: si dentes nihil intra se pati possunt, Religiosi per Synteresin stimulati, puritatem cordis illibatam serviunt; labiis illi ambiuntur, isti concluduntur muris, & solitudinem amant. Illi atterunt cibos, & masticant, quo exilis corpori præbentur alimonia; isti præmandunt populo cœleste pabulum, & parvulis frangunt panem verbi Divini: illi statim servant ordinem, & ritè dispositi suis quique sedibus collocantur; religiosorum opera eleganti prorsus ratione distribuuntur, ut suis singula tum locis tum horis peragantur. Cætera consultò missa facio, solamque hanc Bernardi reflexionem pensiculatius considerandam sumo, quemadmodum *non est dolor, sicut dolor eorum: ita nihil tam horrendum & horribile sit, sicut murmur & dissensio in congregatione.* Serm. 64. ex parvis. Quæ causa est, quod S. P. Augustinus pro virili laborarit, hanc pestem è suorum contuberniis eliminare, modo aperte testando: omni virtutum ornatu illos destitui, inter quos *contentiones & murmura oriuntur*, ob viliorum vestitum subministratum, modo benignè usum indulgendo balneorum pro infirmis, dummodo fiat *sine murmure de consilio Medici*: modò universè præcipiendo iis, quibus collarii, vestiarii, & bibliothecæ demandata est cura, ut *sine murmure serviant fratribus suis.* Adversus eiusmodi murmuratores stylus in præsenti stringendus est, qui querelis omnia accendunt, & sugillant, traducúntque

que ceu manca & imperfecta opera, quæ suâpte naturâ vel adiaphora
sunt, vel etiam bono & laudabilia.

Atque ut verum fatear, ubi regula tractat, quomodo necessitatibus 612.
ægrorum sit subveniendum, & quidem si lavacra consulat Medicus, paternè quoque consentiat, & liberaliter de mediis provideat Prælatus, non credidissem, periculum ullum fore à linguis Satyricis, à mordacibus censuris ac vituperiis: quid igitur permovit S. Legislatorem, ut circumspectè daret in mandato: *fiat sine murmure*? Sed perspectum habuit Augustus Pater quorundam inundantem malitiam, qui cæco impetu debacchantur in proximum, Prælatum impetunt & taxant, charitatem convellunt, nec ipsi Divinæ parcunt Maiestati.

Refert S. Joannes c. 12. Apoc. temerarium & lethali toxico turgi- 613.
dum Draconem ideo movisse bellum, & fulgentes inde stellas bifariâ caudâ deturbatas pulveri, lutóque terram afflixisse. *Ecce Draco magnus, & rufus, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Scire vultis quidnam immane illud monstrum portendat? S. Bernardinus Senensis tom. 2. Ser. 29. a. 7. pro certo affirmat, præcipuè denotari murmuratores, quorum opera & studium in eo collocatur, ut authoritatem imminuant, & detrahant Ecclesiæ sidera, ut Præsidum obfuscent splendores, & integerrimos DEI servos in contemptum adducant, quod asseverat in terminis Psaltes Regius: *posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terram.* Ps. 72. 9. Accidit ut Religioso infirmitatis causa balneorum usus indulgeatur, dicunt eius farinæ Aristarchi, delicatulos foveri, & compendia, voluptatésque corporis plus æquo procurari: si Medicus svadeat fratribus, pro viribus pauxillum refocillandis, plus indulgeri debere, illi prætendunt, esse blanditias, & titulo sanitatis palliari desideria mollioris cupiditatis. Si Prælatus iudicium probat Medici, & annuat, ut præscripta applicentur pharmaca; illi altùm quiritantur, & sinistrè malignéque accipiunt, quod optimo corde ac benignâ voluntate concessum fuit. Cui comparemus id genus hominum? similes profectò sunt Tarquinio, & virgâ mordacis linguæ summa papaverum demetunt capita; oris maledici fulmine celsiores infestant turres ac evertere nituntur. Similes sunt araneis, quibus solenne est è nobilissimis rosis venenum sugere. Similes sunt Oceano, cujus est proprium dulces fluminum aquas inficere salsedine, amaritiéque: similes sunt porcis, qui tantò avidius degluriunt poma, quando fuerint preciosiora & pulchriora.

Eâ gaudebat David oris gratiâ, ut inter Judæos vix reperies similem. 614.
erat *rufus & pulcher adspectu*, 2. Reg. 16. 12. suavitate colores *sicut malus*

 inter

inter ligna Sylvarum, Cant. 2. 3. omnium in se oculos animósq; convertit. Nec minus specie erat robur corporis, quo ursos, leones, gigantes profligabat. Quis Musices peritiam pro dignitate laudet? pulsabat citharam, & furibundas Eumenides ac orci portenta in celerem fugam vertebat. David malignis persecutionibus Saulis se subtracturus, in deserto commoratur, vitam exulem & miseram agit, aliquod subsidium ut omni comitate ac submissione flagitarent opulentum Nabal, nuntios designat. Sed quid tandem responsi reportant? *Quis est David, & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt Dominos suos*, 1. Reg. 25. 10. Quæ, malum! hæc convitiandi licentia? an igitur tantum sit piaculum fugisse violentum draconem, devorationi prædæ unicè intentum? DEUS bone! quanta censuris configendi audacia! Quis unquam vitio dedit insonti Jacobo, quod iuvenis se subduxerit furori Esau fratris, & *iam ætate provectiore*, ac matrimonio inito clam recesserit ab ædibus Laban idolorum cultui addicto avunculo? Quis dicam intendit *Josepho*, quod impigrè se proripuerit ab impudentissimâ herâ adulterâ intactas servaturus pudicitiæ nives? Quis mortalium culpavit Moysen, quod rabiem Pharaonis ut evaderet, in terram Madian confugerit? Quis denique non boni consuluit, quod Matathias cum generosis suis filiis Machabæis effugerit Græcorum impetum, quo firmius labascentem fulciret Synagogam? quî fit igitur, quod incultus iste rusticus in heroe nostro fugam carpat, & impudenter condemnet, quam tamen prudentia suasit, ursit necessitas, fortitudo levigavit, & ipsa in Regem proprium reverentia promovit? sed mirum non est, ab agresti monticolâ non provenire verba alia, quam *insulsa*, cruda & inurbana. Fulgor Davidicæ lucis præstrinxit oculos illius talpæ; fœtens titio non nisi atrum exhalare poterat fumum: herinacius erat, pungere assuetus, & configere, quidquid attingeret.

615. Forsan stomachum movit rusticitas illa in desertis Judææ locis enutritâ: discedamus igitur & florentissimam Galliorum Regis aulam *ingrediamur*. Ludovicus XI. certior factus eximiarum virtutum præfulgentium tum in Thomâ Aquinate, tum in Bonaventurâ geminis illis præstantissimis Ecclesiæ illâ tempestate Solibus, ambos adhibere mensæ voluit. Quare Regis nomine invitati unà cum Reginâ accumbunt, sed tam inconcinnâ morum differentiâ, ut Proceres & diætarii adstarent attoniti. Thomas oppidò corpulentus videbatur unus omnia velle abligurire, nec tam libabat dapes, quàm devorabat; oculos tenebat in mensâ defixos, & corpore illic assidebat præsens, at mente procul aberat, & existimans, in suo se musæo versari, sub medio convivio manibus pulsare cæpit mappam, & alacriter exclamare: vicimus, ô Manichæi, vicimus. *Definitum*

est

est contra hæresin Manichæorum. Lipello 7. Mart. At S. Bonaventura è diverso cum sederet ex adverso Reginæ, incredibili venustate præditæ, in morem aquilæ irretortos oculos in bellissimo eo Sole pascebat, neque lautitias epuli, nec magnificentiam triclinii pensi habuit, ut immemor sui sobrius, imò ieiunus discederet. Quid vos censetis proceres & ministri regii? quam notam Doctoribus hisce inuritis? Thomas avitæ nobilitatis planè oblitus, & inciviliter in dapes involans offendit gravissimè omnes circumstantes: Bonaventura negligens carnes exquisitè præparatas ac conditas è specioso reginæ vultu fescenninas impuro cordi epulas instruxit. O temerarium iudicium! ô palmarium errorem! remotis iam mensis accedite cubiculum Thomæ, & videbitis consignare litteris, argumenta solidissima confutandis Manichæorum figmentis sub prandio subtiliter excogitata. Bonaventuram convenite & genibus Redemptoris advolutum invenietis, & absorptum dulcissimâ extasi, qua contemplatur pulchritudinem DEI gloriosi, vitam viventis immortalem, ex eo, quod tanta esset oris gratia in Reginâ, paulo post in terram & pulverem reversurâ. Quapropter in eadem mensâ, qua renidebant tenera benignitatis regalis lilia, non deerant spinæ hispidæ detrahentium Procerum, qui voracem calumniabantur lupum Doctorem Angelicum, speculatione altissimis doctrinis intentum; traducebant ut corvum humanis carnibus avidè inhiantem, Seraphicum Bonaventuram, à carne propemodum totum abstractum. Ita nimirum sicut Græcia quondam Philippum postea in Macedonum Regem electum vidit eiaculari sagittas adversus sidera, in Ministris Ludovici Regis conspexit Gallia vibrari tela, & Theoninos dentes acui contra hos sanctos, qui *sicut stellæ* fulgebunt in perpetuas æternitates, Dan. 12. 3.

616. Quamvis nihil causæ sit, cur tantopere miremur, familiam Palatinam illudere & obtrectare viris exteris, aulæ minùs assuetis, cum non raro videamus murmurare Religiosos in communi refectione contra Prælatum proprium, nec eius parcere auctoritati, quem Numinis loco revereri deberent. Si vident ferculum quoddam singulare illi apponi, iam ventris mancipium audit, & belluo, saginandæ cuticulæ intentus: si nihil inde aliis impertit, aiunt ingluviem eius insatiabilem esse, & gastrimargiæ graviter litare; sin partem aliis benignè transmittat, ubi submissas referre grates oporteret, murmurones illi affectum elevant, nempe non aliis communicaret, nisi timeret, copiâ se rumpendum. Id equidem verissimum est, huiusmodi insulsas obtrectationes vilibus duntaxat, & abiectis hominibus familiares esse; qui paternis in ædibus pane caruerunt, pellendæ fami necessario, iis non sufficit mediocritas in Religione lautitiis

tiis inhiant, & abundantiam gestiunt: atque ut minores curriculi rotæ altiùs strident, ita cæteris insolentiores sunt in Religiosâ familiâ, ac turbulentiores, qui minus ad obsequium DEI commodant. Verùm mittamus id genus homines & auscultemus, quid in simili S. Lucas refert.

617. Iteratò iam superiùs meminimus, quomodo Christo Sotére nostro apud Pharisæum discumbente, in cænaculum irruerit Magdalena, fletu, suspiriisque penitus occupata, lachrymis sanctissimos pedes laverit, capillis extersérit, & mille basiis demulserit. Hoc spectaculo malignus & superbus Pharisæus ad indignationem commotus instar Amphisibænæ serpentis bicipitis, & utroque capite mordentis ac toxicum lethiferum instillantis acriter perstringit & Medicum Divinum, & miserabilem illam ægrotam: ita tacitâ secum ratiocinatione statuit: *hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7. v. 39. Ubi acutè S. Gregorius Papa hom. 33. in Evang. *Ecce*, inquit, *Pharisæus veraciter apud se superbus, & fallaciter iustus ægrum reprehendit de ægritudine, & Medicum de subventione.* Si liceret vocibus Cygni interstrepere cicadæ, ò quàm lubenter adderem: en linguam Pharisæi, verè plumbeam, ita contaminat, & aggravat, quidquid attingit. I. inter epulas arrodit famam proximi, ignorantiæ accusat infinitam æternamq; sapientiam, notam teterrimam peccatricis inurit speculo pœnitentiæ. Sed ita est AA. lingua incontinens est, turpissimus morbus, & consceleratus quisque suo alios pede metitur; ulcere qui laborat intestino, & viscerum lue, velut sepulchrum abominabile fœtorem exspirat loquendo & proximos cavillis insectatur.

618. Obtrectationi Pharisaicæ palmam præripere contendit iniquitas sacrilegi Judæ: qui turmam armis facibúsque probè instructam ad Christum libertatis nostræ Vindicem capiendum eduxit, & horto iam vicinus commilitiones monitos voluit: Ego deosculabor, eóque signo in manus & potestatem vestram tradam, vestrum porro erit, tam circumspectè adstringere, ne forsan elabatur: *ducite cautè*, Marc. 14. 14. Prô *scelus infandum!* perfidum caput! osculo pacis simulas amicum, discipulum, filium, & excidium moliris! salutem impertiris, Magistrum honoras, & perditum cupis! siccine, ò virulenta vipera præter insidias vitæ, famæ etiam ac existimationi illudas? quid sibi vult, *ducite cautè*: quàm miracula fuisse redemptoris præstigias & fascinationem oculorum? Magiæ flagitio Christum, esse deditum, & cavendum, ne oculis manibúsque satellitum repente se subducat?

619. Erit fortassis, cui minùs explorata videatur maligna intentio dictionis: *ducite cautè*: sed uberem affundet lucem S. Matthæus, perspicuè docens,

docens, cor Judæ toxico inundâsse. Effuderat Soror Lazari super Salvatoris caput vas pretiosissimo unguento refertum, unde cœnaculum totum ſvavi redolebat fragrantia; ex solis Judæ faucibus tanquam pestilenti cloacâ mephitis exhalabatur tartarea: *Ut quid perditio hæc? potuit enim unguentum istud venum dari multo, & dari pauperibus*, Matth. 26. v. 8. Ita simul malignâ suâ, venenosâque linguâ, ceu volante sagittâ, perstrinxit acriter, & devotionem pietatémque Mariæ, & bonitatem Redemptoris: invehitur contra filium DEI, quod tributum hoc recipiat odorem, & Magdalenam condemnat, quod liberali profusâque manu elargiatur. Sinistrè factum interpretatur ingentis meriti, quod nunquam moritura fama celebrare non desistet; *perditionémque* nuncupat, quod Supremi Numinis gloriæ fuit consecratum. Cæterùm bene notandum venit, quod tunc *ad Principes Sacerdotum* perniciter abiens, ut traditionem paciscetur, suum maturârit præcipitium, & irreparabilem ruinam adsciverit. Os aureum certè hom. 81. in Matth. contendit in textu: *tunc abiit ad Principes*, voculum *tunc* restringendam esse ad temporis punctum, quo ista locutus est, ut potenter agnoscat Orbis execrandum murmurationis vitium DEO, proximóque nimis infestæ magnis gradibus interitum accelerare, & præcipitem agere in tremendum barathrum abyssi.

Nec amplius ego demiror effatum Psaltis Regii: *vir linguosus non dirigetur in terrâ; & virum iniustum mala capient in interitu*, Ps. 139. 12. 620.
quod Chaldæa versio mirabiliter traducit: *vir delator linguâ triplici non habitare poterit in terrâ viventium*, & alterum hemistichium: *virum pravum & malignum venabitur angelus mortis, & detrudet in gehennam.* Profectò linguosus est, qui murmurat ac triplici offendit aculeatâ linguâ; in æternum à paradiso proscribetur: qui contumeliis & iniuriis velut Apicianis cupediis pascitur, sequiùs exponit, quæ laudem merentur, & cavillatur virtutes, Angelum mortis experietur Vindicem, & sicut præda in casses incidit astuti venatoris, ita ille in angustias redigetur, & pabulum fiet flammarum, quas nullum in inferno ævum extinguet.

Si verò livida & effrenis lingua *detrudit in gehennam*, totis vos viribus & mentis affectu in id incumbetis, ut eam præservetis innocuam, & 621.
cœlestis consortes gaudii fiatis. Aristoteles sane testimonium non spernendum perhibet ad discernendum, utrum gravidæ oves utero album an atrum gestent agnum, explorandas esse sub linguâ venulas, quibus concolor futurus sit partus. *Candidi*, ait in hist. animal. *nigrive efficiuntur fœtus, si sub linguâ arietis vena candida aut nigra habentur, cuius enim coloris sunt venæ, eiusdem & vellus est*: haud secus dicendum, si lingua nostra tincta sit atrore, ac proclivis ad obvia carpenda, ad aliorum gesta

traducenda, sinistrè accipienda & denigranda, indicium fore, animam non minus fuligine conspurcatam esse, ac præludere Acheronticis horroribus. Si autem lingua puritati studeat, candorem servet ac innocentiam, dignam censeri præmiis paradisi. Sciscitatur ex magno DEO Propheta: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte Sancto tuo?* Atque hoc responsi accepit: *qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ, nec fecit proximo suo malum.* Et tandem ita perorat: *qui facit hæc, non commovebitur in æternum.* Ps. 14.

Ex
CAPITE IX.

Aliquando enim, etiamsi noceat, prodesse creditur, quod delectat.

Voluptatem etiam cùm placet ac demulcet esse noxiam.

DISCURSUS LXIII.

622. Siciliæ promontoriis virgines olim insedisse perhibent, quæ tum incredibili oris gratiâ, tum svavissimo concentu viatores fascinare naviúmque sistere cursum assolebant; & cantilenas quidam excogitabant, quas pro cuiusque ingenio demulcendo iucundiores fore credebant, sive harmoniâ vocum, sive tibiis, citharisque opus esset: quo fiebat, ut navigantes hærerent attoniti, & dulci lenocinio detenti, tacitè secum mente volutarent: unde tanta inter horridas cautes amœnitas? unde scopulis & fluctibus tam exotica, imò Angelica nasceretur Musica? cœlorum indigetes haud dubiè in eas oras commigrasse. Sed quid? AA. vix incauti hisce illecebris inescantur, cùm illico, *ubi paradisi* delicias somniabant, tormenta experiuntur inferni, opibus exuuntur, & vitâ, cantúsque svavitate in apertam perniciem trahuntur. Ita miserè decepti pro melle fel, absynthium pro Ambrosiâ, haustum Myrrhatum pro expetitâ promulside degustare coguntur, immiti fato extinguendi, ut iustâ ratione nonnemo epigraphen Sirenibus his adiecerit: *metuenda voluptas.* Nec alia fuit mens Ambrosii, cùm scripsit in Psal. 43. *Sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, ut decipiat.* Consonat Symmachus epistolâ ad Herodiam docens; *Syrenas denotare voluptates, quæ delinitos, & svavitate eâ captos paulo pòst interimunt.* Quis ergo non defleat ingentem mortalium cæcitatem, qui magnam sperant utilitatem, volupta-

voluptatémque ex iis rebus, quæ manifestum periculum adferunt & exitium: nempe, *etiamsi noceat, prodesse creditur, quod delectat*: ubi Hugo Victorinus: *sic ipse suâ cupiditate decipitur, ut credat id sibi prodesse, quod nocet*, &c. Argumentum sanè uberiori disquisitione dignum.

Obstupescenda, si quæ alia, est visio c.9. Apoc. recitata; refert S. Joannes, prodigiosas quasdam locustas sibi ostensas fuisse, caput aureo diademate rutilabat, reginas iurares, faciem præseferebant humanam, eámque admodum politam; quis non comitatem sibi polliceretur? capilli ventilabantur arte compositi, quod mulieribus proprium; interim spirabant prælium, ut equi militares, dentes exerebant leoninos, caudásque trahebant furcatas Scorpionum more. Audiamus sacrum textum: *similitudinis locustarum similes equis paratis in prælium, & super capita eorum tanquam coronæ similes auro, & facies earum, tanquam facies hominum, & habebant capillos sicut capilli mulierum, & dentes earum sicut dentes leonum erant, & habebant caudas similes Scorpionibus.* Et ecce vobis, ait Divus Bernardinus Senensis, genuinam lasciviæ voluptatis ideam, quæ una abblanditur, & exterret, suaviter permulcet, ac hostiliter invadit: gratiosum exhibet vultum & hilaritatem spondet, simúlque accingitur pugnæ, ut equus Martius, minatur dentibus ut furiosus leo, lethale denique spargit toxicum, ut Scorpius. Verba Doctoris Sancti tom. 2. ser. 6. post Dom. Pass. art. 2. c 2. sunt ista: *lasciva mentis est, ut quantò promptior est ad carnalem delectationem, tantò amplius disposita sit ad furorem.* Quid plura? locustarum in morem prurit voluptas Fescennina in Sales, facetias, choreas, & tripudia; commorari gestit inter medios flores, & omnis generis gratissimos arborum fructus: humano vultu occurrit, capillitio comptulo & fæminino allicit, tenerè amplexatur, dissuaviatur, sed latet anguis in herbâ, quò blandiùs se insinuat, eo virulentiùs corrumpit ac pessumdat; quò magis oblectat, eò plus damni accersit, nihilominus, teste Hugone, improvidus homo: *sæpe sic ipse suâ cupiditate decipitur, ut credat id sibi prodesse, quod nocet*, quæ ipsa est S. P. N. Augustini parœmia; *etiamsi noceat, prodesse creditur, quod delectat.* 623.

Historicâ relatione elucidabo magis, quod sentio. Bello adhuc gliscente, Athenienses inter ac Megarenses, Solon Atheniensium Dux Coliadem versus navigans animadvertit, Mulieres Athenis in littore festum agitare Cereri, saltationi, aliísque ludicris sacrificiis intentas; quapropter fidum aliquem hominem subornat, qui ociùs id Megarensibus significet, venirent, & nobiles has matronas in prædam caperent opimam. Illi minimè de nuntii fide dubii, celeritate, quâ possunt, maximâ, vela vertunt Athenas, & spoliis spe suâ iam devoratis, ut accipiter columbæ, fæminis illis 624.

illis insidiantur; At Solon interea, receptis in tutum Matronis illis, generosos substituit milites, ætate floridos, vestitu, mundóque muliebri apprimè cultos florum corollis capita, speciosis cothurnis pedes ornatis, iocos saltúsque secundum ripam exercentibus, gladios tamen sub fæmineo amictu abdentibus. His ita conspectis, Megarenses maximo plausu appellunt, exscendunt, prædæ inhiant; sed gravissimè se vident delusos, ac circumventos: deprehendunt sub saltantibus hisce locustis abscondi bellatores equos, sub schemate columbarum, cernunt feroces aquilas, fulmina vibrantes, ita infelices invaduntur, opprimuntur & ad unum omnes contrucidantur, suóque interitu comprobant, existimatas Veneres voluptatum artifices, Minervas armatas esse in propriam suam perniciem, & *quod prodesse creditur & delectat, maximè nocet.*

625. Eadem porro calamitas, quæ deceptos afflixit Megarenses, *indies* recrudescit inter Mundi asseclas, quos aptissimè per *pisces* designaveris ab astuto piscatore captos; inhamatam escam *avidissimè glutiunt*, & illico hamum in faucibus, ferrum in *visceribus sentiunt*, seróque agnoscunt, alimentum vitæ creditum re ipsâ esse instrumentum dolosum angustiæ, supplicii & mortis. Quid aliud est voluptas? si tamen voluptas est carni & abdomini servire, genio velificari, sensibus abblandiri; Sit verò voluptas, eáque maxima, sub gratissimis tamen illecebris instrumentum absconditur doloris, & *quod prodesse creditur, & delectat, nocet & cruciat:* hoc asserenti credite non mihi, sed Salomoni: *extrema gaudii luctus occupat.* Prov. 14. 13. Credite Plauto suppl. Mercat.

Voluptas est malorum esca, quod eâ non minus
Homines, quàm hamo capiuntur pisces.

Credite S. Nilo parænesi n. 156. *læta vitæ huius fluxa, ne te delectent, hami enim sunt, animas ut pisces irretientes.* Credite S. Basilio, qui millies beatum nuncupat, virum fugientem fucatas escas & à deliciis periculosis & in amarorem desituris abstemium. *Beatus*, inquit hom. 1. *in Ps.* 1. *qui non per voluptatis inescationem circumactus est ad interitum.*

626. Infaustam hanc generis humani sortem aptâ cumprimis metaphorâ explicuit Sapiens Prov. 20. 17. *Suavis est homini panis mendacii, & postea implebitur os eius calculo.* Quem porrigit mundana felicitas delectationis bolum, fallacia est & vafrамentum: Speciem panis refert, qui palatum recreet, vitæque iucundam præbeat alimoniam, sed paululum si degustetur, lapis est durissimus, dentes hebetans & obtundens, maxillásque acerbè discrucians. Scitè Card. Hugo: *panis mendacii est felicitas temporalis, quæ se panem esse mentitur, cùm non sit, & cui iste panis suavis est, implebitur os eius calculo, id est, amaritudine pœnitentiæ vel gehennæ:*

quod

quod firmatur ex Jobi sententiâ c. 20. v. 13. *panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus, id est, in amaritudinem & venenum insanabile*: concludit idemmet Hugo in 20. Prov. Nec à vero aberraveris, si mundanam voluptatem apem dixeris, melle fœcundam, sed aculo vindicem, rosam vividâ suâ purpurâ oculos præstringentem, sed manum admotam non minùs pungentem spinis: flammam splendore suo papiliones illicientem, sed ardore alas incendentem, & incautos enecantem, hederam parieti placidissimè inhærentem, sed ruinam sensim molientem, simiam suos filios peramanter stringentem, at etiam suffocantem: haud iniuriâ proin Seneca auctor est suo Lucull. Ep. 51. *Voluptates præcipue exturba, & vilissimas habe*: cur ita? quoniam *in hoc nos amplectuntur, ut strangulent*; quod ipse quoque Magnus Augustinus graphicè inculcat lib. de salutar. doc. c. 11. *hæc gaudia velut venena diaboli repudiare debemus, quia non solùm corpora, sed & animam nostram perpetualiter necare festinant.*

Huc pariter tendunt verba Apostolica 1. Cor. 7. *qui gaudent, tanquam non gaudentes.* Nec enim uspiam reperire est, gaudium quodpiam purum & liquidum in hoc exilio, ubique sese tristitia & mœror etiam ingratiis nostris immiscet; nulla dulcedo propinatur, quam non aliqua inficiat amaritudo, quod eleganter adnotavit Hipponensis Præsul noster in Ps. 85. *Quod prosperum venit, Fratres, magis metuendum est. Quæ putatis prospera, magis tentationes sunt. Venit hæreditas, venit copia rerum, abundat circumfluentia nescio cuius felicitatis, tentationes sunt ista, cavete ne vos ista corrumpant.* Et quem veritatis huius testem sistemus nos? cuius experimẽtum adducemus? an lusorum, qui totam noctem talis exigunt & aleis, magnámque pecuniarum vim corradunt? ecce, *gaudent, sed tanquam non gaudentes*, quia nimirum *malè parta malè dilabuntur*: iniustum lucrum in manibus evanescit, ut nebula ad conspectum Solis. An desultoria censenda lætitia eorum, quibus præter spem & opinionem præpinguis accrevit hæreditas? *gaudent tanquam non gaudentes*, curis, molestis cor laniantibus, litibus intentatis à corrivalibus, metu amittendi perpetim augente. Num de Neomarito loquamur, cui Sponsa nobilis, venusta, opulenta deducta domum est? meam ego interpono fidem, vir eiusmodi *gaudens tanquam non gaudens*: credebat namque se vitæ sociam adeptum esse dulcem, tractabilem, benevolam, jam verò intelligit, incidisse se in sinum cuiusdam furiæ arrogantis, obstinatæ, immitis & rixosæ, quæ domum patriam in Acheronticum convertat antrum. An solidam reputamus lætitiam parentum ex filiis procreatis? Unde familiæ suæ quandam sperent perpetuitatem? *gaudent tanquam non gaudentes*: quippe quos vident natos, norunt educandos esse anxiâ sollicitudine, præ- 627.

servandos caute à multiplici periculo, alendos magnis sumptibus. Quid si debilem nacti fuerint complexionem, ut etiamdum florente ætate iam adurat pruina, vel mors immatura surripiat? quid si nascantur genio improbo, incultis moribus, & vitiis assuescant, unde prosapiæ dedecus, & infamiæ labes imprimatur? Forte Religiosus dignitate aliquâ fulgente auctus plenâ fruetur hilaritate? *gaudet tanquam non gaudens*: quia sublimiorem in statum evectus irritavit æmulos, invidiam plurium concitavit, amicitiam & confidentiam multorum amisit, innumeris acerbísque curis exercetur, quibus antea immunem liberámque vitam duxerat, & quandoquidem *Magistratus virum probat*, si forsan deficeret in officio sibi commisso, jacturam existimationis de se conceptæ, famæque incurreret, ut adeo in affluentiâ somniatæ felicitatis, veris opprimatur ærumnis, & misero suo exemplo firmet assertum: *quod prodesse credebatur, & delectare, nocet.*

628. Sed quid multis allaboro, argumentis probare domesticis, id, quod sacræ paginæ pluribus locis perspicuè demonstrant? effrenes oculos conjecit Eva in fructus gravissimè interdictos, nonne illico persuasa fuit optimos illos sibíque maxime proficuos fore? *vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectúq; delectabile?* Gen. 3. v. 6. ita est, verùm, *quod prodesse credebat & delectabile*, ipsam cum infelici suâ totâ posteritate in extremam adduxit perniciem. Nonne Rachel omni ex parte se beatam futuram credidit, si fœcunda mater audiret? ita est, sed, quod *prodesse credebat, & delectare*, atrocissimis partûs doloribus oppressit & interemit Gen. 35. 58. Nonne Jonathas labore fractus, languidus ieiunio, viribus defectus pro certo iudicavit, favum mellis summitate virgæ depromptum è rupe opem allaturum, & refocillationem? ita est, sed quod *prodesse credebatur & delectare*, adeo damnosum illi fuit, ut vix evaderet violentam necem, cui à Patre dedendus erat, *ni* populus universus intercessisset 1. Reg. 14, 43. Nonne Judæis saluberrimum videbatur consilium de occidendo Salvatore ac liberando Israël? *expedit, ut unus moriatur homo pro populo, non tota gens pereat.* Joã. 11. Et quando perfidus Judas suam addixit operam, ut caperetur, DEUS bone! quæ tripudia, qui plausus in senatu! *gavisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturos.* Marc. 14. 10. ita sanè est. Verùm nunquid politica hæc consultatio, decisio, executio & sacrilega lætitia toti Judaismo exitium peperit, & irreparabilem devastationem? *Et illis nocuit, quod prodesse credebatur & delectare.* Sed missis eius generis centum aliis eventibus, permitte ut adiungam prædictis.

Si-

Sisaram famosum illum exercitûs Ducem, armis Hebræorum profligatum & in fugam compulsum: post infelicis prælii fervorem is se recepit in tabernaculum Jahelis, spe fretus, se illic & asylum ab hostibus, & quietem lasso corpori, & refrigerium ardenti siti consecuturum esse; postulans pauxillum aquæ, potatur lacte: sed in hoc perfugio, ut videbatur nectareo, undis lethalibus obruitur, dulci enim sopore correptus frigidâ simul morte occupatur: & sicut laurus ambiit caput, victoriis superbum, ita in momento transverberatur trabali clavo, proprii sanguinis se purpurâ tingit, & vitam terminat. En vivis coloribus depictam voluptatem mundanam: habitaculum illud sedes existimabatur quietis, & evadit cruentæ stragis laniena: hic flagitabatur frigida, & propinabatur dulcedo lactis, vivo tamen mox sanguine compensanda: ita quisquis nimium ei confidit, in medio felicitatis cursu deleritur miser, & cum ultimâ conflictari calamitate cogitur. 629.

Quapropter, agendum fidelis anima, agedum ô Religiose, siquidem voluptas Mundi & lætitia temporalis vino designatur, de quo Vates Regius: *Vinum lætificat cor hominis*, Psal. 103. Ausculta & exequere consilium à Salomone Prov. 23. 31. suggestum; *ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet*: quasi diceret, non tibi flavedo imponat, auro certatura; liquori in pellucido vitro saltitanti noli fidere: palatum equidem & fauces recreat, sed viscera inflammat, nec tantam impertit suavitatem delibantibus, quantis tandem tormentis venas implet, ac si venenum esset basilisci: fugite vinum illud, quod pectus incendit, visum obnubilat, vigorem totius corporis enervat: horrete illam voluptatem, quæ cùm *prodesse creditur, & delectat, nocet*, atque innumera damna, pericula & molestias facescit. 630.

Ex

CAPITE IX.

Lavacrum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Fiat sine murmure de consilio Medicinæ.

Actiones nostras ex laudabili aliorum consilio suscipiendas esse.

DISCUR-

DISCURSUS LXIV.

631. NEmo mortalium ſatis vel mente concipiat, vel calamo deſcribat ingentem illum terrorem, quo navigantes in alto Oceano, cùm ſævam ingruere vident tempeſtatem, concutiuntur, & totis artubus atque animis contremiſcunt: nec immeritò; nam cœlum atris nubibus involutum videtur explicare velle luctuoſam pompam & theatrum funeſtiſſimæ tragœdiæ: ignitas lampades aurâ undique intermicante accenſas dixeris faces exequiis infelicium illorum in vitæ mortiſque confiniis trepidantium: quid aliud ſunt tonitrua quàm terrificus bombus mortualium tubarum? Circumſecus debacchantur venti, tantâque violentiâ navem impetunt, ut crederes infernales furias vinculis ſolutas interitum unitis viribus moliri: procellæ ſpumant, fremunt, navigium conquaſſant & canum rabidorum inſtar alliduntur, ut diſcerpant, deglutiant, perditum eant, quo conflictu miſera navis modò decumanis fluctibus ſublimatur usque ad nubes, modo in abyſſum deprimitur, & in momenta ſingula cladem ultimam expectat. Inter horrores tantos unica ſpes ſupereſt in peritiâ præſentis Navarchi, qui providè clavum dirigens pollicetur, periclitantem navem in tutum, optatúmque portum ſe ſubducturum. Quod verò in deſperatis rebus & ſupremo naufragii diſcrimine præſtat Nauclerus, id prudens conſiliarius felicitati noſtræ familiæ univerſæ, & ſingulorum ſeorſim uberrimè confert, arcendo pericula, curſum proſperè gubernando, incommoda quævis prævertendo. Unde Plutarchus: *ut in magnis tempeſtatibus validiſſimo clavo, optimo gubernatore, & pluribus fulturis opus eſt, ſic magnas & turbulentas res adminiſtranti ſummâ ſapientiâ opus eſt, quam cùm gubernator non habeat ex ſe, à probis Conſiliariis mutuetur, & diſcat oportet.* Hunc ſtylum exactè voluit obſervatum S. Legislator noſter, qui alumnos ſuos conſiderans, ut naviculas tempeſtate ægritudinis conquaſſatas, *cùm infirmitatis neceſſitas cogit*, valetudinis curam præſcribit abhibendam eſſe conſulto Medico: *fiat de conſilio Medicina:* Ad ſapientiam quippe pertinet, in dubiis & obſcuris rebus peritiores ſuâ de interrogare ſententiâ, nec proprium duntaxat ſequi iudicium, quod Seneca docet Epiſt. 105. *illi opus eſt alieno conſilio, quomodo Medico, quomodo Gubernatori, quomodo Advocato.* Vultis, id pluribus præſenti diſcurſu ibo demonſtratum.

632. Fundamento non caruit opinio Quinti Curtii, quod humana indoles eo etiam titulo plangenda ſit, quod pleríque in cauſis propriis minus ſint perſpicaces, magiſque obtuſi, quàm extraneis: qui Argus eſt, & centum oculis minutiſſima quæque in rebus aliorum diſpicit, in ſuis cæcutit,

cutit, ut talpa; qui proximis in casu ancipiti Solis quodammodo lucem affundit, cespitat & passim impingit tenebris cimeriis præpeditus, ubi statuere debet, quæ semetipsum concernunt. *Natura mortalium*, inquit laudatus historiographus lib. 7. *hoc quoque nomine prava & sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno:* quod cùm ita sit, rectè Seneca infert: *illi opus est alieno consilio, quomodo Medico, quomodo Gubernatori, quomodo Advocato.* Salomon certè auguratur exitum felicem, tranquillam & optatam Reipublicæ salutem, ubi communibus calculis, quid actu opus deliberatur: *salus ubi multa consilia*, Prov. 11. 14. quod Sap. 6. 26. roboratur: *multitudo sapientium sanitas est Orbis terrarum.* Nec desunt exempla seu profana, seu sacra, quibus dilucidè id firmetur. *Severus Imperator*, memorante & multum commendante Lampridio, *nihil statuit unquam absque plurimorum Jurisconsultorum, aliorúmque peritorum coronâ.* Tyberius cuncta, quæ decernenda erant in bonum imperii, ad senatum remisit, maturâ prius consultatione discutienda. Augustus arcanis consiliis Mecænatem & Agrippam, Julium Cæsarem, Q. Pedium, & Cornelium Balbum adhibuit. Pharao utebatur Josepho; Balthasar Daniele, & generosus Matathias regimini exercituum præfecit fortissimum Judam Machabæum: cæteroquin seriò cavens: *Simon frater vester Vir consilii est, ipsum audite semper.* 1. Machabæor. 2. 65.

Idem singulari emphasi Romanis inculcabat Tharsensis præco: apage præsumptionem! absit, dicebat: *nolite esse prudentes apud vosmet ipsos.* Rom. 12. 16. præcipitio vicinus est, qui nimiùm fidit sibimetipsi, ne puteris oraculum, quod propria adinvenit prudentia: fallit, ubi maximè blanditur: ad amicorum quædam arbitrium referenda sunt, & aliorum petenda judicia, si velint eventum votis respondere. *Ne vestra vobis consilia sufficiant*, interpretatio est Theodoreti, *sed aliorum consilia accipite.* Mementote, ait os aureum, ita Supremi Numinis providentiâ dispositum esse mutuum hominum consortium, ut alter alteri auxiliares manus porrigeret, consilio & subsidio adessent invicem quo abundè omnibus consuleretur. *Ita nos Deus constituit, ut alter alterius ope indigeat.* 633.

Figuratè exprimere voluit Psaltes Regius fructus, quos percipit homo ex alterius directione ac consilio, cùm DEUM ita Ps. 118. 105. affatur: *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Quamvis enim, seu sermo sit, de irradiationibus Divinis, istæ flagitandæ forent oculorum commodo, qui organum sunt recipiendo lumini natum, sive de verbis loquamur, & supernis consiliis, ea reponenda viderentur in auribus, David nihilominus DEO enixè supplicat, ut ope Sacratissimæ legis 634.

 pedi-

pedibus suis lucem impertiat, qua quidquid aggrediatur, semitæ virtutum insistere, & vitiorum anfractus effugere discat: pedes namque, ut S. docuit Augustinus, Symbolum repræsentant affectionum nostrarum: *pes tuus affectus tuus.* Quocirca si consilia sanctiora per DEI verbum notata, nostris pedibus prælucent, motus interiores animæ sordibus non contaminantur: laqueis & insidiis diabolicis minimè irretientur, nec uspiam cespitabant; quo quidem subsidio puritas conscientiæ stabilietur, & Sanctimonia magnis incrementis augebitur: ita hunc Psalmi locum exposuit Seraphicus Bonaventura: *pedibus providere debemus, ne inquinentur, ne illaqueentur, ne subvertantur, sed puri & firmi serventur.* Nec incongruè bonum consilium conferemus aviculæ, quam Plinius l. 10. c. 47. refert in vastissimâ Germaniæ sylvâ Herciniâ reperiri, & *plumis ignium modo collucentibus* iter concubiâ nocte facientibus *mirabiliter conducunt*, viámque designant. Consilium probum non minus in ancipiti rerum statu salutare censendum est, quàm eximia illa turris in Pharo, navigantibus lumen præbens nocturno tempore *in tutum allicit*, quam argentea Luna, quæ pulsis tenebrosis horroribus præfert *lumen eunti* quàm pyxis nautica, quæ inter pelagi furores *per invia monstrat iter.*

635. Luculentum veritatis huius paradigma cernere licet in magno Israëlitarum Duce ac Thavmaturgo Moyse; morabatur is cum populo in deserto squalido & vastissimo, nec requiem capiebat ab audiendis subditorum causis, iurgiisque componendis, quidquid enim inter efferos illos durósque homines vel litis, vel dubii oriebatur, ad Moysen, velut Principem Supremum, cuius sententiâ standum erat, deferebatur. *Observavit* molestissimam hanc Moysis provinciam & *intolerabile onus* Jetro Sacerdos Madian, & Socer Moysis, qui visitatum advenerat, & obstupefactus exclamat: quid hoc rerum charissime gener? non rectè agitur: *stulto labore consumeris, & ultrà vires tuas est negotium, sed audi verba mea & consilia*, Exod. 18. 18. selige viros prudentes, maturos, *æquitatis* & iustitiæ Cultores, quibus causas inferiores decidendas *committas*. negotia verò pondere maiora, sed in grandi etiam hac multitudine minùs frequentia, præcipuè, quæ Religionem spectant, tuo reserva tribunali, ita svaviùs providebis populo, nec vires tuas sub mole tantâ satiscentes, nimium accîdes. Quid Vatum maximus ad hoc? *Moyses fecit omnia, quæ illi suggesserat.* v. 24. licet fuerit domesticus, ut ita dicam, & intimus DEI amicus, sæpenumero familiariter collocutus, licet præillustri dotatus ingenio, & versatissimus *in omni sapientiâ Ægyptiorum*, licet oracula funderet, leges dictaret, cultum Numinis concernentes, politiam populi dirigeret, statum militarem moderaretur, & exercitum guberna-

bernaret, monitioni tamen hominis barbari acquievit, consilio obtemperavit, iussioni morem gessit, ut palam fieret omnibus, nullum esse adeò sapientem quin aliquando doceri debeat ab aliis etiam inferioribus, nec facilè sibi quemquam tam defœcato excellere iudicio, ut non indigeat instructione alienâ, cui utilissimè sese accommodet. Salomonis vox est Prov. 1. v. 5. *audiens sapiens sapientior erit*, quod Hieronymus explanans, ait, *semper moris esse sapientum, ut dictis maiorum, aliquando etiam minorum auscultarent, & quidquid in eis utilitatis audierint, ad se replicent, suóque in corde recondant.*

A Moyse domitore Ægypti convertamur ad JESUM Salvatorem Mundi, eundem in desertâ quâdam solitudine commorantem, & populi numerosi, qui avidè sequebatur pabulum vitæ cælestis, sed fame corporali iam diutinâ premebatur, misertum: deerat porro in asperis illis locis commeatus, nec facilè videbatur parabilis, ideo ad Philippum conversus Dominus, *unde*, inquit, *ememus panes, ut manducent hi?* Joan. 6. 5. ubi Evangelista subiungit, *hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Hìc loci nonnihil hærent, & curiosiùs indagant sacri interpretes, eccur Sapientia æterni Patris Philippum interroget, quid facto opus, cùm plene iam decreverit miraculum patrandum? sciscitatur probandi gratia, ac instruendi; cùm cæteris omnibus discipulis esset incultior, & hebetioris ingenii: Sciscitatur, ut par pari referret amabili quadam compensatione, ac interrogaret, qui sæpiusculè consueverat Magistrum Divinum interrogare: Sciscitatur, quoniam Philippus illinc oriundus, & præ aliis Regionis eiusdem peritus nosse facilius poterat, unde annona esset comparanda. Verùm ad thema nostrum propriùs sciscitatur, & exquirit sententiam Apostolorum, & inter hos etiam Philippi omnium minimi, ut addiscant maiores, ac ipsi Magistri non spernere minores, sed negotia cum iis conferre, consilia rogare, cum frequenter maxima inde derivata sit utilitás, notante Divo Hieronymo in c. 8. S. Marci: *convocat discipulos suos, & quod facturus est, loquitur, ut Magistris exemplum tribuat cum minoribus atque discipulis communicanda esse consilia.* 636.

Quid, quod Salomon ad Scholam & minima subsellia animalculorum, quæ pede proteruntur, ablegat homines suo sensu minimè prudentiâ destitutos. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.* Prov. 6. v. 6. formica doceat, quid imitari, quid fugere oporteat. An dedignamur trivialem præceptorem? Novimus tamen Balænam, animantium omnium, si molem spectes, maximam, viæ ducem sequi musculum, minutum quendam pisciculum? Naäman Syriæ Prin- 637.

 ceps

ceps profectu non pœnitendo audivit ac implevit consilium pauperis, & contemptæ ancillæ, cur ergo graventur etiam viri provectæ ætatis, multæque experientiæ se quandoque submittere aliorum consiliis & admonitionibus?

638. Speciali quadam ratione Salvator septuaginta selegit discipulos, Evangelicam sementem per Orbem terrarum dispensaturos, at tamen binos & binos peragrare voluit provincias: *misit illos binos ante faciem suam in omnem civitàtem & locum,* &c. Luc. 10. 1. Plura hic sacri expositores mysteria deprehendunt latere. Duo mittuntur unà, ut populus Christianus eodem gauderet doctorum numero, quo Israelitæ gloriabantur in Moyse & Aarone, de quibus Psalmographus: *deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysis & Aaron*, Ps. 76. v. 21. *Misit illos binos*, ut iugo svavi cœlestis doctrinæ assuefaceret; iugum verò non nisi à duobus simul portari solet. Binos misit, qui uvam illam, fidelium delicias, circumferrent, ex mente S. Paschasii l. 6. in Matth. ita scribentis: *bini ac bini quàm bene iunguntur, ut botrum, quo gentes inebriantur, duo ac duo suis deferant humeris.* Vates Evangelicus cap. 6. jam olim in lege veteri Magnificentiam Numinis celebrari viderat per geminos Seraphinos; pariter, ait Oleaster, decuit in fœdere novo Divinam propagari gloriam per duos simul ministros Evangelicos. *Misit illos binos*, qui legem gratiæ evulgarent vinculo uniti charitatis. Unde Eucherius noster in l. 3. Reg. *Binos ad prædicandum discipulos mittere curavit, ut tacitè doceret nos, qui verbum fidei prædicarent, virtutem dilectionis ante omnia opera esse tenendam.* Binos misit, quò firmiorem Evangelio conciliaret auctoritatem, fidémque: siquidem *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Deut. 17. 6. Atque ipsi reciprocum haberent solatium, & auxilium in necessitatibus: maximè verò binos misit ideo, ut mutuo se iuvare possent consilio, & ubi singuli erroribus essent obnoxii, unà coniuncti negotia citius expedirent, suisque momentis æstimarent: quandoquidem *plus vident oculi, quàm oculus*, & velut Sapiens profitetur Eccl. 4. 9. *Melius est duos esse simul, quàm unum, habent enim emolumentū societatis suæ.*

639. Quæ cùm ita habeant, consilia nunquam negligenda sunt; sive Religiosus adversâ valetudine occupetur, lavacrum corporis neutiquam denegetur, fiat tamen, *de consilio medicina*: sive aliis utendum sit medicamentis, si exploratum non est, utrum expediat, *Medicus consulatur*: si necessitas cogat balnea adire, Prælati consensus præcedat, & duo vel tres comitentur pro decore Religiosi statûs, *cum quibus Præpositus iusserit, ire debet*: sive alia ordinis Canonici ad animarum salutem obeunda sint ministeria sacra, explicando concioni verbum Divinum, Sacramenta dispen-

spensando, carcere detentos invisendo, infirmos consolando, vel etiam privatis aut publicis necessitatibus nostris providendo, foras non eant *minùs quàm duo vel tres*, ut ita societate mutuâ se sublevent, consilio muniant ac confortent.

Ex

CAPITE IX.

Lavacrum corporis, etiamsi nolit, iubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute: Si autem velit, & forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur.

Subdito indulgendum esse, quod prodest, non quod oblectat.

DISCURSUS LXV.

QUantumvis plurimum ornetur nobilis & generosus equus, exactâ membrorum omnium proportione, maiorem tamen laudem ac æstimationem meretur, si docilem se, ac disciplinæ capacem præbeat: si accuratè pareat fræno, nec illuc feratur, quò ferociens natura impellit, sed quorsum nutus equisonis dirigit: Iuberet excurrere in patentes campos, prataque viridantia, sed insessoris leni ductu asperam & salebrosam viam ingreditur: mallet phaleris stragulóque ornatus in catadromo agitari, festivísque ludis exerceri, sed perinde ad prælium ineundum paratus est, atque ad tubæ clangorem spiritu generoso plenus, suáque magnanimitate incalescens efferatur, iamque in hostem effunditur, jam, si habenâ monetur, gradum sistere, cursúmque in circo inflectere assvetus. Eximiam hanc equorum prærogativam non dubitat S. Valerianus hom. 1. de hon. discip. Religiosis proponere in exemplar obedientiæ: *doceant nos*, inquit, *servare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti flexuosis gressibus membra componunt, & sub unius habenæ retinaculo ita laxari se sentiunt, ut & currendi & standi modus sub quadam legum dispositione servetur.* Ita morigeros optavit S. P. Augustinus suos Religiosos, & in omni Regularum observantiâ accuratissimos, ut instar docilis cuiusdam equi ad nutum superioris in dexteram abeant vel sinistram, si cupiant balneorum usum, Prælato abnuente, actutum abstineant, si à lavacris valetudini instaurandæ necessariis abhorreant, iubente Præposito, 640.

sine morâ utantur: *etiamsi nolit, faciat, quod faciendum est pro salute: si autem velit & forte non expedit, sua cupiditati non obediatur.* Quem Regulæ locum Húgo Victorinus ita explanat: *cogendi sunt illi facere, quod faciendum est pro salute; hi verò reprimendi sunt; ne faciant, quod carnaliter concupiscunt.* Permagni refert ad felicem Religiosorum gubernationem, subditis id concedere benignè, quod saluti conducit, non verò quod sensum oblectat, itaque dociles reddere, ac assuefacere disciplinæ.

641. Primùm occurrit, & exquisitè nostro favet proposito sacrum epithalamium, ubi de animâ Religiosâ per fidem & charitatem Salvatori desponsatâ hæc refertur comparatio: *equitatui meo*, sive ut B. Ambrosius conformiter Hebraico textui legit: *equa mea assimilavi te amica mea*, Cant. 1. 8. haud ignoro, metaphorâ istâ designari animam, *quæ Divinis* ignibus succensa tota, magnis passibus semitam virtutum decurrit, & mirè fœcunda sudoribus suis innumeros Christo filios parit, Auctore Ambrosio l. de Isaac c. 4. *velox ad currendum, habilis ad partum*; exprimi animam, quæ generosis spiritibus plena, rebus arduis intenta, vitiis bellum assiduum movet, expugnat, ad victorias Religiosas, triumphósque anhelat; *& supra Mundum rapta ad Christum adscendit*: ut loquitur idem Ambrosius Ser. 2. in Ps. 18. Longum esset cæteras nobiles & ingeniosas expositiones persequi, in præsens placet Origenis interpretatio hom. 2. in Cant. *beata ergo sunt animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant sessorem Verbum DEI super se, & frenum eius patiuntur, ut quocunque ipse voluerit, flectat eas, & jam non propriâ voluntate incedunt.* Millies felix est Religiosa mens, DEO plenissimè subiecta, & ad omnem superioris dispositionem ac nutum parata, nec uspiam sectatur, quod proprio arridet gustui, sed quod obedientiæ norma præscribit.

642. Quia verò Regulæ textus purificationis meminit ac lavacri, commodè elucidabitur per historiam Evangelicam Joan. c. 13. relatam. *Accinctus* iam erat Salvator Orbis, servilem in modum, & humi *advolutus* coram Petro, ut aquam funderet, ac sordidos pedes elueret: *cum Petrus*, sacro quodam horrore percitus, & reverentiâ erga Maiestatem Omnipotentis Monarchæ adactus omnimodè refugit, tergiversatur, & palam se id obsequii nunquam admissurum esse contestatur: *non lavabis mihi pedes in æternum*, Joan. 13. v. 8. At posteaquam à Christo intentari audit minas de amittendâ gratiâ & incomparabili favore Divinæ amicitiæ, *si non lavero te, non habebis partem mecum*, ille, mutatâ continuò sententiâ, perlubenter & pedes & manus & ipsum caput obtulit abluendum: *non tantùm pedes meos, sed etiam & manus & caput.* Sed frustra: Dominus enim,

enim, qui pedes duntaxat abstergere voluit ac emundare, utpote lavacri magis indigos (nam quilibet etiam iustitiâ præcellens, & magnâ puritate præditus semper *indiget, ut pedes lavet*) apertæ necessitati subvenire, non cæco desiderio subditi velificare decrevit: nec pensi habuit, quòd *ille* initio repugnarit, quoad ablutionem pedum, postea verò caput etiam ac manus immergi concupierit: nam *indiget ut pedes lavet*, ut autem caput manúsve tingantur, inane fuit proprii capitis commentum, & votum inutile: quo facto Servator ostendit, quemadmodum subditi per Petrum id loci significati *cogendi sint facere, quod faciendum est pro salute*; ac rursus *reprimendi, ne faciant, quod carnaliter concupiscunt*: quâ ipsâ nos præceptione imbuit S. Augustinus: *etiamsi nolit, faciat, &c. si autem velit, & fortè non expedit, sua cupiditati non obediatur.*

Aquam cænaculi relinquamus, non tamen ipsum Petrum, qui super Thaboræum montem primoribus labris torrentem supernæ voluptatis delibans miris natavit deliciis; videns enim stupendam claritatem in vultu Redemptoris coruscam, & inebriatus dulcedine quadam ineffabili in extasin abripitur; ô gaudia! exclamat! ô festos iubilos nullâ mensurâ capiendos! ô Magister Divine, ô Lux animæ meæ! ô *Domine bonum est nos hic esse.* Matt. 17. 4. nobis videatur hæc cupido iusta ac ordinata; cur enim vituperetur, qui perpetim prensat adhærere DEO, & eius svavissimâ præsentia perfrui? culpatur tamen Petrus, & imprudentiæ arguitur in Evangelio: *non enim sciebat, quid diceret.* Marci 9. 5. Et reprehensione dignum videmus, si iustâ lance pensare volumus, quod gessit, dixitque: JESUM agnoscit Dominum suum, & non veretur ei quodammodo leges præscribere: anxiè quærebat, ut sua impleretur voluntas, iuxta habens quid DEO placeret. Volens assiduè commorari in Thabor, abstraxisset Dominum à monte Golgothæo, ubi Redemptio humani generis esset peragenda. Et quidem perspicuè satis manifestas, ô Petre, nedum te plenè gratiâ Divinâ illustratum esse, qui præcipere ausis supremo rerum Arbitro, à quo totus quantus in momenta singula dependes. Verùm dissimulat Magister optimus, atque ut S. Leo Serm. de transfig. observat, *huic suggestioni Dominus non respondit, significans inordinatum esse, quod cuperet, cum salvari Mundus, nisi Christi morte, non posset.* Destinavit Christus in Calvariâ præparare balneum suo sanguine ægro Mundo salutem allaturum, non verò satisfacere postulationi Petri, suis solummodo cupiditatibus & deliciis advigilanti, & Prælatus prudens similiter iubeat subditum etiam invitum *facere quod faciendum est pro salute*: aut cavere, ut si nocumenti quid metuendum sit subdito, *sua cupiditati non obediatur.* 643.

Ut

644. Ut sanguinis vinculo, ita similitudine morum vicini erant Petro Jacobus & Joannes, qui vocati è naviculâ & retibus, evaserunt piscatores hominum, & nescio, an sublimen hanc dignitatem vel non abunde cognoverint, vel minùs æquo æstimarint; interventu matris huiusmodi libellum supplicem Christo porrexêre: *dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.* Matt. 20. v. 20. sive, ut in ipsorummet personâ recitat S. Marcus c. 10. *Magister volumus, ut unus ad dexteram tuam & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloriâ tuâ.* Nolim hic pluribus exenterare graves errores in eorum hac petitione contentos: magistrum appellant, & imperare præsumunt: *Magister volumus.* Ad regni solium adspirant, parum solliciti de titulo seu legitimæ successionis, seu meriti aut electionis, sed urgent *præcisè*, ceu competeret plena auctoritas: *dic*: sessionem appetunt: *dic ut sedeant*: nec intelligunt, quibus regiminis onus incumbit, perpetuis inquietari molestiis, turbis, & anxietatibus. Regnare cupiunt *duo filii* sane immemores unicum regnum capax non esse duorum regum: ut enim argutè notavit Politicus quidam: corona divisa geminos efformat arcus, militaria nempe instrumenta, & funesta omina: atque ne hoc quoque dissimulem, volunt sedere, unus ad dexteram, alter ad sinistram: *quantum ad verba* quivis eorum, ut subtiliter B. Petrus Damian. Serm. 2. de St. Evang. disserit. *hoc petere visus est, ut unum ex eis Dominus cum dexteris eligeret, alterum in sinistris cum peccatoribus reprobaret.* Sed notemus rotundam illam, quam dedit Dominus, repulsam? *nescitis quid petatis*: nec enim subditi munus est audacter postulare, quod ipsi arridet, sed accuratè exequi, quod iniunctum fuit; Principis iussu aciem & conflictum adire ac vestes hostili cruore tingere, non ambire purpuram & diadema, superioribus præceptis sese immolare in sudore vultûs, non cingere frontem radiis vel triumphalibus sertis, obsequia deferre ac promptè obtemperare, non reluctari vel mandata præscribere: *& etiam si nolit, faciat, quod faciendum est pro salute; si autem velit & forte non expedit, sua cupiditati non obediatur.*

645. Nullum opinor maius infortunium accidere potuisset Filio prodigo, quàm quòd emancipatum à Patre ac omnigenâ iam libertate dotatum se viderit, ac genio suo pro lubitu potuerit indulgere. Quoad vixit sub paterno imperio, nihil erat, quod felicitatem turbaret; sibi relictus, ruptisque iuris Divini & humani repagulis, cæco impetu in barathrum miseriarum præcipitari cœpit. Quamdiu ab amabili parentis nutu dependere, iustisque legibus parere constituit, erat in morem principis à totâ adoratus familiâ, factus sui iuris & liberè disponendi faculta-

tem

tem nactus dilapitavit bona, exul à patriâ, mancipium hominis barbari, fame propemodum confectus, tandem porcorum custodiæ præficitur. Ita est, quousque subditus, etiam indignante refractariâ voluntate, degit sub disciplinâ patris, & providè frenatur; nulli succumbet necessitati, præsens ubique auxilium invenit ac solatium: ubi verò excusserit iugum superioris, & depravatæ voluntatis propensiones sectatus fuerit, malorum Iliade certò certiùs se involvet, ac miserabili ruinâ.

Quare Religiosus prudens oppositam omnino viam insistat; maiorum se voluntati ex integro consignet, seipsum vincat, suámque rebellem naturam, constanter adimplendo *quod faciendum est pro salute*, & æquanimiter ferendo, si distortis cupiditatibus tuis *non obediatur*, oculos animúmque intendat in Filium DEI orantem in horto Gethsemani: heu! quantùm naturalis affectus nauseavit, quantùm abhorruit à calice exhauriendo, quem noverat intolerabili amaritudine refertissimum: nihilominus examussim facere voluit, *quod faciendum erat pro cunctorum salute*. Obnixe supplicavit æterno Patri, dispensare secum in mortali hac angustiâ clementer dignaretur, nec tamen conditionati eiusmodi voti compos factus est. Ita fidelis subditus balnea ingrediatur sudoris & sanguinis, si necessitas exigat, vel Prælatus iubeat, quidquid oggranniat malè sana natura: triumphet seipsum, & fortiter supportet, si superior minus ad sensum & gustum suum disponat, nec desideriis velificetur: quippe Religiosus bonus, non quod recreat, sed quod commodat, ut appetere, sic lubens amplecti debet. 646.

Quando Princeps aliquis vel urbem obsidione cingere, vel obsessæ copias auxiliares mittere decrevit, expressim serióque præcipit, per eas vias agmen deduci, quas fidissimi sui ministri maxime iudicarint opportunas, & commeatu certis intervallis militiæ recreandæ, nec non pontibus & aliis subsidiis celeri profectioni accomodis instructas, ita per montes & saltus, per deserta & anfractus præfixos incedendum. *Miles, qui ingreditur iter*, discurrit S. Ambrosius in Ps. 118. Serm. 5. *viandi ordinem non ipse disponit, nec proprio arbitrio viam carpit, sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud, præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectâque viâ conficit iter, ut inveniat commeatuum parata sibi subsidia:* alioquin *si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit, quia Imperator iis iubet hæc præparari omnia, qui sequuntur, nec dextera nec sinistra à præscripto itinere declinant.* Porro si Religiosus quilibet initiatus censetur militiæ Divinæ, ne frustretur provisione, terere debet tramitem sibi præfixum: ita *etiamsi nolit* 647.

abeat per viam deserti, conscendat fastigium ardui Calvariæ montis, pervadat maris brachium, exosas absorbendo amaritudines, ita Bonitas suprema adipalem mensam, præfractásque vires instaurabit: at ambulare volens pro suo libitu & arbitrio proprio: *annonam non accipit*: favores namque & gratiæ Principis reservantur iis, qui obediunt, serviunt, & *nec dexterâ nec sinistrâ à præscripto itinere declinant*. Itaque Religiosus bonus *militans DEO à præscripto itinere non declinet*, velut docilis equus, se flectens, quo frænum & voluntas Domini tendit, ad gloriosas provehetur ille victorias, velut argonavis opulentissima conduci se sinens: *ubi impetus spiritus* felicissimè portum attinget, velut simplex ovicula, pastoris voci obtemperans, in hac & alterâ vitâ redundantia omni beatitate pascua inveniet.

Ex

CAPITE IX.

Si latens est dolor in corpore; famulo DEI dicenti, quod sibi doleat, sine dubitatione credatur.

Ex verbis nostris internum dignosci statum.

DISCURSUS LXVI.

648. ADeò sublimes sunt prærogativæ Divinâ virtute divisim plantis impertitæ, ut ægrè dijudices, cui uni præ cæteris principatus competat. Viti suum est aurum, sua purpura, *fructúsque* tam pretiosus, qui DEUM unà, hominésque *exhilaret*. Palma gloriatur dactylis progeneratis, *mirâ refertis* dulcedine; nec minus honoris accedit, quod arbor habeatur Victoriosa, & triumphalis. Oliva primas sibi videtur arrogare posse; quod præpinguem liquorem stillet, qui sacras templorum nutriat faces, athletas corroboret, Regibus ac Sacerdotibus initiandis adhibeatur. Sed neque Persicus suis destituitur eximiis dotibus; quippe quæ fructus progenerans, colore coccino ac figurâ cordi humano similes, foliis verò oblongis exhibens linguæ speciem, efformat suapte naturâ nobile emblema cum epigraphe; *concordia cordis & oris*. Unde Plutarchus testis est, Ægyptios

ptios eam consecrasse Diis, quibus summopere placere autumarunt, si cordi humano lingua respondeat. *Plantarum*, inquit libr. de Isid. & Osirid, *Ægyptii præcipuè DEO sacram Persicum esse referunt, quod fructus eius cor, linguam amuletur folium*, &c. Verùm nisi mea me fallit sententia, quod superstitiosa antiquitas de fabulosis finxit Numinibus, DEI veri & immortalis synceris famulis iure optimo competit, ut verba incorruptum testimonium perhibeant menti, & *quod lingua foris personat, intus affectus sentiat*. Idem monuit S. Hieronymus ad Nepotem *Sacerdotis Christi os, mens, manúsque concordent*. Et noster B. Prosper lib. epigr. ph. n. 7. eleganter, ut assolet.

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis
Ni pia mens habeat, quod bene lingua sonat.

Hinc S. Augustinus volens plenam adhiberi fidem dictis Religiosorum suorum: *famulo DEI dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur*, pro certo tenuit, aliud non exprimi linguâ, nisi quod insculptum est cordi: subnectit Hugo Victorinus: *jure credendus est, quem boni mores & conversatio sancta famulum DEI esse commendant*: nam reverà *famuli DEI, quales sunt in corde, tales sunt in ore*: quod pluribus iam confirmandum erit.

Nemo facilè inficias iverit, verbis factisque externis deprehendi utcunque, quomodo interior se status habeat: qui flammas intuetur evomi ex fastigio Ætnæ, incendia latere haud gravatè conjiciet. Qui harmoniam audit, & citharæ vel testudinis pulsatæ concentum, exploratum de artificis peritiâ iudicium format. Qui extrorsum observat indicem horologii rotati rite designare horam diei, perfacilè cognoscet rotas machinamenti interioris circulatim currentes iustis suis ponderibus librari. Romulus solebat dicere apud Max. Ser. 15. *vasa fictilia sono, & percussu, hominem verò sermone explorandum esse*. Quo sensu etiam Socrates iuvenem vultu liberali quidem, sed taciturnum intuitus: *loquere*, ait, *ut te videam*, innuens ex loquelâ prodi, quæ virtus lateat, aut vitium. Eadem fuit mens Menandri: *humani ingenii indicium facit oratio*. Et perhibet Seneca Epist. 14. *quod apud Græcos in proverbium cessit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita*. Nec desunt huic Thesi oracula Divina, svadet enim Ecclesiasticus: *ante sermonem non laudes virum*. cap. 27. 8. nam indoles cuiusque manifestatur ex colloquio, & ut Salomon inquit Prov. 12. 8. *doctrinâ suâ noscitur vir*. Confirmat ipsa æterna Sapientia Matth. 12. 34. *Ex abundantiâ cordis os loquitur*. 649.

650. Duplici animadverto Symbolo repræsentari Salvatorem nostrum Sap. 7. 25. *Vapor est virtutis DEI, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis DEI.* Vapor est? igitur naturâ suâ calidus, ignis virtute generatur & attollitur: claritas est tanquam pellucidi cuiusdam rivuli? scaturiginem ergo supponet, unde dimanet, ut una splendorem suum liberaliter diffundat, Orbémque illustret, & aqua limpida labes extergat. *Ita duo beneficia*, commentatur Hugo Cardinal. l. c. *contulit nobis Christus, & tenebras nostræ ignorantiæ illuminavit, & maculas culpæ lavit.* Porro non adscendit vapor, nisi caloris vis educat, nec rivus effluit, nisi ex vivo & divite fonte, haud secus, si videas deiectum, & mæstitiæ vaporibus turbatum Religiosi vultum, & dolorum seu lachrymis, seu Sudore frontem natare, aut oculos diffluere, pro certo indicio habebis, *infirmitatis* igne torreri viscera, & cor velut rupem deserti, ærumnarum ictibus percussum in fontem eliquari: *hinc famulo DEI dicenti, quod sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Si verò advertas, ex ore Religiosi devotionis fervorem evaporari, & linguam eius fundere fluenta sacræ scripturæ, pariter nihil addubites, DEUM *illum*, qui totus ignis est, in eiusmodi corde fixisse sedem, & salutaris sapientiæ aquâ inebriatam fuisse animam.

651. Parum abludit loquendi forma, quâ Doctor gentium 2. Cor. 2. 15. utitur: *Christi bonus odor sumus, DEO, in omni loco*, quasi diceret, quoniam JESUS Nazaræenus floridus totus in officinâ cordis mei residet inter flammas charitatis, & potiùs ex ipso, quàm ex me spiritum traho vitalem: *vivo ego iam non ego, vivit verò in me Christus*, Gal. 2. 20. quid mirum si odor Christi, hoc est, sanctitatis, demissionis, tolerantiæ, mortificatiois, quaquaversum expiret? Si autem Apostoli Christum in animâ suâ gestantes odorem eius, quacunque incederent, diffuderunt, Religiosi non minùs persuadebunt Mundo, Filium DEI per fidem, *charitatem* & devotionem eorum insidere pectoribus, si linguâ, & *corporis* habitu omníque gestu virtutum fragrantiam spargunt. Testem habemus locupletem S. Augustinum: *cùm Apostoli*, inquit, *dum odorem suavis fragrantiæ Christi, ubique diffundunt, ipsi quoque bonus DEI odor effecti sunt, hoc etiam in vobis, fratres dilectissimi, cupimus impleri, ut ipsi bonum odorem Christi notitiæ ceperitis, suavissimus DEO odor etiam ex vestrâ sanctitate conscendat.*

652. Operæ pretium non duco, diutius immorari deliciis odoratûs, delibemus etiam nonnihil de suavitate gustûs. Age sis, Propheta, vides volumen illud? inquiebat Dominus DEUS ad Ezechielem: arripe illud quan-

quantocius & manduca, *& comede illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce, & dixit ad me: fili hominis, vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos.* Ezech. 3. Quæso vos, quænam hæc præparatio ad vaticinandum? quid sibi vult libri mellita comestio ad hoc, ut Propheta duris Israelitis cœlestem exponat doctrinam, Numinis amorem instillet, virtutes inserat & ad meliorem frugem devios reducat? docere voluit Clementissimus DEUS, legem suam, de qua S. Rex pro merito exclamat Psal. 118. *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*, aliis non posse ad gustum communicari, nisi eadem dulcedine sit perfusus doctor, ut adeò indubitato credendum sit, favum tenere in alveari cordis, & præceptionibus asceticis probè imbutum esse, quisquis copiosum mel sacræ doctrinæ distillat & lac fundit Religiosorum dogmatum. Ita exposuit locum Gregor. Magnus hom. 1. in Ezech. *liber, qui viscera replevit, dulcis in ore sicut mel factus est, quia ipsi de Omnipotente DEO sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerint in cordis sui visceribus veraciter amare.* Et Gilbertus Abb. Ser. 43. in Cant. exclamat: *beata lingua, quæ velut favus, & velut ubera quædam parvulorum lacte distenditur, quæ mel distillat & lac fluit.* Quare sermonem faciens de DEO, monstrat, animam suam habitaculum esse DEI, & sicut ordinatus horarum pulsus commendat seriem rotularum in machinâ horologii ritè dispositam, ita è verbis nostris interior conjicitur sanctimonia, vel proiecta impietas. Nec ab re fuit, quod milites prætorii convincere voluerint Petrum ex eo duntaxat capite: *loquela tua manifestum te facit*, Matth. 26. 27. Et Isaac, cum Filius sua simulare vellet fratrem Esau, ex voce discrevit, certóque agnovit Jacobum, quem tamen cumulatâ benedictione interventu Matris Rebeccæ beavit.

Quid verò Esau ad hæc? execratur astutiam fratris, immane odium 653.
concipit, invidia livet, ultionem coquit, & secum tacitè in corde statuit: ubi pater concesserit fatis, vitam se fratri certo certius erepturum. *Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei Pater, dixitque in corde suo, venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum* Gen. 27. 41. At quantumvis impia sua consilia occultarit, & in arcano cordis absconderit, in lucem tamen protracta sunt, & delata ad matrem: *nunciata sunt hæc Rebeccæ.* Mirantur eventum sacri interpretes, & rogat Cardin. Hugo: *cùm scriptura dicat, Esau in corde suo de morte fratris tractasse, quomodo vel a quo hæc nuntiata sunt Rebeccæ?* fateamur, necesse est, etiam cordis secreta propalari vultu delinquentis: in ore pallor, in oculis rabies, & torvus ac sinister obtutus, in verbis amaritiés

marities & aculei faciliter prodiderunt, quod scelus in corde machinaretur flagrio, quibus procellis mens agitaretur turbulenta: unde Cassiodorus 3.var. *in vultu & in voce cognoscimus servientum mores.* Sibyllæ folio est certius: *speculum cordis hominum verba sunt:* itaque verba rixosa & aspera rancoris cordis accusarunt; & facies turbata sceleratam mentem propalavit.

654. Sed mittamus DEO & hominibus exosum Esau, Paulum, si considerare placet, vas electionis, occurret singulare quid non parum momenti adferens veritati memoratæ. Plures exaravit Tharsensis Præco epistolas, sed passim, nescio quid martiale spiret, & militaria sensa ubique interserit. Romanos optat armatos simul ac inermes. *Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete membra vestra arma justitiæ DEO*, Rom. 6.13. In priori ad Cor.c.9. *sic pugno*, scribit, *non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum & in servitutem redigo*: In secundâ ad eosdem epistolâ cap. 10.7. *arma militiæ nostra non carnalia sunt, sed potentia à DEO ad destructionem munitionum.* Ad Ephesios 6.13. *Accipite armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo - in omnibus sumentes scutum fidei - & galeam salutis assumite & gladium spiritûs.* Prima ad Thessal.5.v.8. *induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* Rursum 1.Tim.1. *commendo tibi ut milites bonam militiam.* Et 2.Tim.2. *Nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus* Denique, ut verbo complectar, scribens sive Philippensibus seu Philemoni, Epaphroditum, & Aristippum, qui impigrè desudarunt in disseminando Evangelio, appellat *commilitiones.* Hinc aureus Orator expendens illud ad Ephes. 6. *induite igitur armaturam DEI, vidisti athletam*, inquit, *vidisti militem.* Et Guilielmus Esthius: *libenter Apostolus utitur metaphorâ militiæ.* Quid ita? hanc ego rationem arbitror: Paulus iam inde à teneris annis arma tractare didicit, Synagogæ haud ignavam addixit operam, & vires omnes adversus nascentem Ecclesiam exeruit, *spirans minarum & cædis in discipulos Domini*, Act.9.1. Nec ipsemet diffitetur 1. Tim. 1. 13. *prius blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus.* Et ad Gal.1.13. *supra modum persequebar Ecclesiam DEI.* Idcirco bellico calore pectus æstuavit, etiam posteaquam persecutor migravit in Apostolum, ut adeo militarium vocum etiam in Christi servitio memor metaphoras usurparet loricæ, scuti, galeæ, lanceæ, certaminis, spirituales suos sensus hac viâ declarans, ita ex *abundantiâ cordis os loquebatur*: quod intus fovebat, foris promebat linguâ & calamo: quod sinu tenebat, sono aperiebat.

Uni-

Unigenitus DEI, quando profanos negotiatores è templo exturbavit, non solum flagello dextram obarmavit, sed duram etiam suóque zelo dignam increpationem adiecit. Factum percensent sacri historiographi Joannes & Matthæus; sed differentiâ non mediocri: quippe ut ille c. 2. v. 16. recitat, Christus dixit: *auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Iste verò c. 21. v. 13. hæc verba commemorat: *domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Hic dubium non leve suboriri potest, utrâ reprehensione usus fuerit Dominus: dum S. Joannes tantummodo consignat, quod domus DEi sacrilegè mutata fuerit in tabernam, in mercatorum mansionem, *domum negotiationis.* Matthæus ex adverso refert, conquestum fuisse Filium DEI, & indignè tulisse, ac etiam improperasse duriùs, quod templum transmutatum fuerit *in speluncam.* Quid sentiamus Christum locutum esse? mihi quidem exploratum prorsus est, utramque loquendi formam usurpasse Dominum, quippe fieri non potest, ut aliquâ parte scripta Evangelistarum vacillent: id ergo solum in quæstionem venit, cur S. Joannes moderatâ phrasi *domum negotiationis* indigitet, quam Matthæus infami vocabulo *Speluncam latronum* appellat? Ego rem ita enodandam censeo: Joannes simplici piscationi assuetus, à fraudibus & vafritie Mundi remotus, aliud nec mente concipere, nec verbis videtur proloqui nôsse, quàm placidam & modestam nomenclaturam, nuncupans *domum negotiationis:* Matthæus verò, qui vitam exegerat inter usuras, rapinas, & omnis generis iniustitias, pro suâ experientiâ terminis genuinis vocat *Speluncam latronum.* Nam vaporem spirat testa, quo semel fuit imbuta, qui sceleribus innutritus est, de iis sermonem miscebit: Metaphorâ *spelunca latronum* utitur, qui aliquam multo tempore rapinis vixerat. Quod pro coronide lubet confirmare scito elogio, quo Mosen condecorat Philo in vitâ illius: *frugalitatem colebat, ut nemo alius, animo enim malebat vivere, quàm corpore, Philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, in summâ: qualis erat vita, talis & oratio.* Ita examussim se gerant Religiosi: vitâ frugali monstrent se Angelis propiores quàm hominibus: moribus & lau[da]tis exemplis veræ Philosophiæ referant effigiem: & Sanctimonia verborum similem se habere animum testatum faciant: ut iis accommodari valeat illud Psalm. 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis:* & facili negotio concludetur, pariter Divinam gratiam in corde requiescere. 655.

Ex

Ex

CAPITE IX.

Famulo DEI, dicenti quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.

Veritatem dotem esse Religiosorum propriam.

DISCURSUS LXVII.

656. SPeculum artificiale instrumentum comendæ vultûs *elegantiæ* assumptum, pro fido & familiari consiliario suo habebant Gentiles fœminæ, quamdiu ætate floridâ erant; ubi verò senectus rugas obduxerat, & venustatis gratiam everterat, horrebant vitreum hunc iudicem, & rigidum obsoletæ larvæ censorem; ideo ab oculis & domo removerunt, Venerique consecratum ibant. At Hebræorum Matronæ sanctiori Religionis impulsu, ut refertur in Exodo, dedicabant obsequio Sanctuarii, & templo specula sua, posteaquam eorum usus plus tædis & ruboris quàm solatii attulit. Sic tandem lasciviæ organum servire debuit devotioni, & Sacerdotes, antequam victimas immolarent ac sacrificia, consultis hisce crystallis faciem laverunt, & maculas omnes studiosè absterserunt, quo maiori puritate corporis DEO, sacróque altari possent famulari. Nobilis hæc & ingeniosa Machina, ut Symbolum est Filii DEI, qui *speculum sine maculâ* compellatur, ita designare solet quoscunque servos DEI, quorum munus proprium est, instar Crystallini speculi sinceritatem constantem præferre iuxta versiculum

Vitrea sinceram hæc fingit tibi machina mentem.

Quamobrem S. Augustinus Religiosos suos ingenuos, omnísque *fuci expertes* reputans, ordinat, ut *famulo DEI dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur*: quoniam *perfecti Religiosi*, ut Hugo Victorinus exponit, *non sunt fallaces, non sunt duplices, sed quales sunt in corde; tales sunt in ore, idcirco sine dubitatione credatur iis, qui sine dubitatione sunt boni.* Agedum videamus, si placet, quantoperè Religioso bono debeat cordi esse veluti dos propria Veritas.

657. Initium ducamus ex moribus Ethnicorum; In Persiâ namque instrui solebant Juvenes, à primis annis in ludo equestri, in dextrâ telorum

Mis-

Missione & præcipue urgebantur, verum ubique edicere, cùm nihil ita Juventutem exornet, ac Veritatis amor, quod Herodotus l. 1. testatur: *docent pueros à quinquennio usque ad vigesimum ætatis annum tria solùm, equitare, sagittas jacere, veritatem dicere.* Pythagoras quoque agnoscit; *hæc duo divinitùs hominibus data longè pulcherrima, veritatem amplecti, & beneficiis operam dare*; Ælianus de var. hist. atque ut S. scribit Hieronymus Ep. 28. contra Ruffin, consueverat dicere: *post DEUM veritatem colendam, quæ sola homines DEO proximos faciat.* Sed sublimiùs longè est præconium veritatis, quod, perhibente S. Joanne à supremo Magistro, & SpirituSancto doceatur, qui eam in modum amænissimi roris è Cœlis distillat lumine & claritate Solis coruscantem, unde Christiani mirificè illustrantur atque recreantur. *Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* Joan. 16. v. 13. Ita, quæ felicitas & prodigiosa est animorum gloria, Magistrum sortiuntur Altissimum, Spiritum Sanctum, & ad notitiam possessionémque veritatis evehuntur, quæ omnem thesaurum exuberat, ita velut conchæ cœlesti influxu concipiunt nobilissimam Margaritham veritatis.

Non absque speciali ratione geminatum titulum præfigi voluit Christus Epistolæ ad Episcopum Philadelphiæ: *Hæc dicit Sanctus & verus*, Apoc. 3. 7. Declarat enim, genuinam se Ideam esse Sanctitatis & veritatis, duplici hoc lumine, suprà quam credi potest, insignis, quod Evangelico roboratur oraculo *vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis*, Joan. 1. v. 14. Ita ex sinu gratiæ resplendet veritas, in aureo charitatis annulo adamas rutilans veritatis, inter Sanctitatis flores bellissimos apis comoratur veritatis. Hinc B. Fulgentius allegatum Incarnati Verbi elogium: *plenum gratiæ & veritatis* expendens, *plenum gratiæ*, inquit l. 3. ad Trasim. c. 3. *& veritatis Evangelista cognovit, quem unum eundémque verum hominem gratia vera Incarnationis ostenderet, & verum DEUM unigenitum à Patre Nativitatis æternæ veritas declararet.* Quo exemplo Religiosi addiscant, dono gratiæ splendorem addere veritatis, & utraque hac prærogativâ Divinum Magistrum æmulari. 658.

Exierunt Scribæ & Pharasæi cum Herodianis quibusdam Ministris, Salvatori retia tenturi, & verbis propriis, & sperabant, feliciter irretituri atque sub ovinâ pelle abdiderant Lupum rapacem. Benevolentiam captant adulando: *Magister, scimus, verax es, & viam DEI in veritate doces.* Matth. 22. v. 16. Quod ego non satis capio in præsenti facto, est, quare Magistrum cum salutent, non congruis etiam nominibus honorent 659.

norent Doctissimi, Sapientissimi, Excellentissimi, quæ sanè Doctorem tantum apprimè decerent? Non potuit latere invidos Judæos, in omnes passus Domini præ Argo vigiles ac intentos certè vulgatissima erat fama, quod Christus stupenda operaretur prodigia, quod Elementorum Dominus insipidam aquam mutârit in generosum vinum, paucis panibus paverit aliquot hominum millia, quod mari, ventis, tempestati turbidæ imperaverit, & obtemperârint ista omnia ad nutum, quod solius verbi virtute ægritudines dispulerit, cæcis natis videndi facultatem impertierit, cadavera jam frigore mortis dudum rigescentia repente exsuscitarit, atque ex Sandapilis salvos & incolumes abire iusserit; Cur ergo tam rara prætermittunt Encomia, totámque veritatis commemorant virtutem? *Scimus quia verax est.* S. Isidorum Pelusiota rationem aperit lib. 3. Ep. 64. *quia veritas omnibus artibus & disciplinis ornamentum affert.* Et Philonis quidem sententia lib. de Jud. *Quid in vitâ est æque pretiosum ac veritas?* Cassiodorum var. 4. Titulo gloriosæ eam cohonestat. *Tanta est vis gloriosa veritatis.* Quapropter persuasi erant Principali Judaicæ fæcis, Synopsin se complecti elogiorum omnium, si alloquerentur Christum: *Scimus quia verax es.* Religiosum certè plurimùm ornat, si audiat homo sincerus, verax, fidelis, ac fide dignissimus, *cui sine dubitatione credatur.* Esto, conciliet magnam autoritatem, si dicatur Magister profundæ doctrinæ, & multijugis eruditionis, Concionator aureæ Suadæ, ac flexanimæ orationis, Rector prudentissimus, vir affabilis & cumprimis humanus & comis, omnia tamen transcendit, si applaudatur: *Verax es, & viam DEI in veritate doces.*

660. Quoties Summus Hebræorum Sacerdos solenissimè adornatus comparuit coram populo, unionem è catenulis aureis dependentem gestabat ante pectus, quo Doctrina & veritas adumbrata & insculpta videbatur, *Pones autem in rationali Judicii Doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore, Aaron, quando ingredietur coram Domino, & gestabit Judicium filiorum Israël in pectore suo.* Exod. 28. v. 30. Quam consuetudinem placuisse Ægyptiis colligimus inde, quod pariter supremus eorum Judex, qui cæteris credebatur iustior, æquior, sincerior, præ pectore gemmam, veritatis effigie claram, ferre consueverit, ut Ælianus de var. hist. l. 14. c. 34. tradit: *Circa collum imaginem ex Saphiro gemmâ confectam gestabat, quæ vocabatur veritas* Et subiungit eruditus historicus: *Ego verò Judicem non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circumferre, quam in animo mentéque insitam & infixam habere velim.* Quod pari nos exigimus iure in Religioso & Canonico Regulari, ut doctrinâ or-

ornatus & veritate colendus eam ex omni loco & tempore virtuti & innocentiæ expendat operam, ut ipsi *sine dubitatione credatur.*

Codices Evangelicos lustranti occurrunt aliquando res adeo minutæ, ut nullius planè momenti primâ fronte videantur, reipsâ tamen permagni sunt faciendæ. Mitissimus Redemptor sedebat æstivo tempore super fontem Sichar, ut ablueret immanes sordes Samaritanæ mulieris: id litteris consignat S. Joannes cap. 14. v. 6. *erat hora quasi sexta.* S. Marcus cap. 8. v 9. percensens numerum famelicorum, quos Christus in deserto satiaverat, ait: *erant quasi quatuor millia.* S. Lucas ætatem descripturus Juvenis Salvatoris testatur, quod *erat annorum quasi duodecim.* Lucæ 3. In Actibus Apostolorum cap. 1. v. 15. fit mentio cuiusdam celebrioris fidelium congregationis, & scribitur *Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti.* Eiusmodi restringentes particulæ *quasi ferè*, vel *circa* in pluribus locis scripturæ notari possunt, quibus narrationis substantia parum quidem immutatur, historiæ tamen veritas, singulari Energiâ stabilitur. Unde S. Cyrillus Alexandrinus docet l. 2. in Joan. cap. 79. limitationes & cautiones tales ideo sacris paginis fuisse insertas, *ut nos etiam discamus, vel in minimis non parvam habere veritatis curam.* Si autem calamus Evangelistarum tam accuratè libravit unicum *quasi*, voculam *prope* &c. quantâ putamus religione ad posteros fuisse transmissa opera insignia & præclarissima gesta? Absit dubitare, quin hagiographi omnes tenerrimo pietatis affectu in Christum Dominum ac Redemptorem ferentur: Contexenda erat illius vita ceu speculum universi, ut agnosceret Mundus beneficia, miraretur prodigia, adoraret Sotêrem unicum: At ecce, non solùm radios manifestant Divinitatis, & post conditum Orbem inaudita virtutum & doctrinæ miracula, sed annectunt umbras infamiæ, calumniarum, vituperiorum, quibus obrutus fuit unigenitus DEI Filius; monumentis singillatim commendant, à propriis discipulis fuisse derelictum timidè, probrosè negatum, perfidè traditum, sæpius fuisse, ut plebis seductorem sugillatum, ut Numinis hostem saxis impetitum, venerandam eius faciem cæsam alapis, & sputis fuisse conspurcatam, in ædibus Prætoris durissimè flagellis cæsum, quo quidem supplicio in mancipia duntaxat & abiectam plebem animadvertebatur, in crucis tandem ignominioso stipite, medium inter latrones, maledicis linguis proscissum, sannis & opprobriis, extremisque cruciatibus repletum, animam exhalasse. Quid quæso hoc rerum? si Divinis scriptoribus institutum fuit, proponere JESUM venerationi Mortalium, & adorationi debitæ, ut quid laudibus immiscent 661.

contemptus & ignominias? cur producunt in Scenam; *Opprobrium hominum & abiectionem plebis*? Sed nolite obstupescere, respondet os aureum, quippe si solam propalassent gloriam, videri poterat scriptio adulatione infecta; at luculenter narrando indignissimas vexationes, convitia, & dolores exantlatos palam faciunt, altas radices egisse amorem veritatis, quâ unâ Duce historiam scriberent. *Tu autem*, inquit S. Chrys. hom. 86. in Matth. *Sublimem discipulorum Philosophiam admirare, qui adeo exquisitè ista referunt, ut quanti facerent veritatem, facilè appareret, cùm ea, quæ turpissima videntur, ad unguem exposuerunt, nihil celantes nec erubescentes.*

662. Hæc ipsa premere vestigia pluribus DEI Servis solenne fuit. Taceo Moysen, qui liberè quidem ex unâ parte enarrat, quomodo facies sua ex familiari colloquio cum Divinâ Maiestate habito *mirabili splendore* coruscârit; ex alterâ verò scriptum reliquit, se manus contaminasse adhuc Juvenem cruore interfecti Ægyptii, sibique Matrimonio suorum ingratiis iunxisse fœdam æthyopissam, se palmarem in regimine populi Israelitici admisisse imprudentiam, atque repræhensum â Jehtro homine barbaro emendâsse errorem, & illius sano consilio acquievisse, se propter hæsitationem in fide circa aquam ex durâ illâ rupe eliciendam pœnas dedisse, terrâ promissionis exclusum, & morti præmaturæ addictum. Illud ego præterire nolim, quòd Marcus merissimo syncerae veritatis impulsu evulget negationem, & amaram pœnitudinem S. Petri, tametsi hic amantissimus illius esset Præceptor, caput Ecclesiæ, & Supremus Christi Vicarius: quod Matthæus publicârit ignominias suas, ingenuè confessus, vitam se vixisse publicanos inter, iniustos exactores, usuris & auro per fas & nefas coâcervando intentum: quod Lucas sub initium Evangelii sui propalârit incredulitatem S. Zachariæ, in pœnam linguæ usu orbati. Quod S. Joannes litteris mandarit immanem contemptum & insultationem JESU è cruce suffixi atque post mortem lanceâ transverberati. Quod S. Paulus in Epistolis suis illaudatam pristinam vitam minimè dissimulet: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam DEI.* 1. Cor. 15. v. 19. Et iterum: *Blasphemus fui & persecutor & contumeliosus.* 1. Tim. 1. v. 13.

663. Jam verò si Marcus & Joannes, si Apostoli & Evangelistæ veritatis amantes publicis litterarum monumentis consignarunt, tùm ea quæ vergebant in laudem eximiam Redemptoris, tùm etiam illa, quæ videri queant probrosa & indigna, ut fidem mereretur utrúmque, *& sine dubitatione*

tatione credatur: si sanctissimi Scriptores Lucas, Matthæus & Paulus sempiternæ hominum memoriæ tradiderunt errata, cùm propria tùm aliena, *ut quanti facerent veritatem facilè appareret*, ut supra ex aureo Oratore diximus, profectò consectaneum est, ut Regulares Canonici, utpote à sanctis Apostolis lineâ rectâ descendentes, & originem è Scholâ S. Marci Alexandrinâ deducentes, veritatem sibi insolubili vinculo despondeant, Candori vestium puritatem adiungant Spiritûs, & sicut amictum gestant ex lanâ mundâ, & lino nitido, sic velut agni studeant *intus & foris* ingenuam & illibatam tueri innocentiam; in alloquio utantur verbis moderatis, fugiant Battologiam, absque fuco, & artificio dololo sententiam promant, dictum reputent sibi, quod legitur in Luca c. 5. v. 2. sit sermo vester, *est*, *est*, *non*, *non*: quod pluribus inculcat S. Jacobus Apostolus. Vide sis igitur mi Canonice, quàm consentanea sit statui tuo veritas & obedi consilio Ecclesiastici cap. 28. v. 29. *aurum tuum & argentum tuum consla*, *& verbis tuis facito stateram*, *& frenos ori tuo rectos.* Obrizo auro de fæcatæ virtutis associa argentum puræ doctrinæ, ut partim exemplis tuis Sanctis, partim sermonibus maturis proximi ædificentur ac proficiant *verbis tuis facito stateram*: Nec enim effutiendum est, quidquid in buccam venit, circumspectè ponderanda sunt verba, priusquàm proferantur: *prius veniat Sermo tuus ad limam*, *quam ad linguam.* Svadet Hugo Cardinalis, *& frenos ori tuo rectos* ita certè, si linguam regas ex normâ veritatis prudentiæ ac Modestiæ, palam facies, DEUM, qui totus veritas est, animam tuam incolere; quódque Apostolis fuit appromissum, en Canonicis etiam Regularibus verum tenebit, *non vos estis*, *qui loquimini*, *sed spiritus Patris vestri*, *qui loquitur in vobis.* Matth. 10. v. 10.



Ex

CAPITE IX.

Famulo DEI sine dubitatione credatur.

Quantopere Religiosos dedeceat mendacium.

DISCURSUS LXVIII.

1564. O Quàm turpe, tetricum, ac deforme Monstrum *est Mendacium*, licet emendicatis coloribus venustatem *quandam* exteriorem asciscere pro virili conetur! affabile depingit Rip. in Iconol. Sub brachiis ardentem straminis fascem gestat, cuius fumo denigratur tota, ut Megæram crederes luctificam averno egressam. Crus alterum ex abiete consarcinatum ægrè sustinet molem corporis, & singulis passibus minatur lapsum: vestitus est variegatus in morem Prothei, aut versicoloris Chamæleontis: larvas complures humeris appensas in promptu habet, easque pro re natâ, ut locus, tempus, occasio postulat, mutare consvevit in gravissimum aliorum damnum, nec minorem ignominiam propriam ac ruborem, nisi frontem exuisset. Eâ de causâ in Hebraicâ linguâ uno vocabulo *Cazari Mendacium* denotatur iuxtà ac *fraus & vituperium* Theatrum V. Mendacium. Atque ut veritas excellentia est DEO immortali cognata, de quo scriptura: *Est autem DEUS verax*: & sancta Ecclesia: *Rector potens verax DEUS*: ita mendacium execranda Soboles proclamatur cacodæmonis. Porro duplici titulo convincitur homo mendacii, qui nempe vel verba profert internis animi sensis contraria, vel operatur adversus statum & professionem suam, iudicium est S. Ambrosii Ser. in Domin. ad Abraham, *Mendacium namque est*, inquit, *Episcopum, Sacerdotem vel Clericum se profiteri, & contraria ordini operari*: hinc S. Augustinus expressim ordinavit, ut Religiosi sui sanctam colerent integritatem vitæ, quâ indubiam fidem possent mereri. *Famulo DEI sine dubitatione credatur*; quippe pro certo existimavit S. Pater, quàm remotissimos fore ab omni mendacio & vafritie Religiosos, cùm planè indignum servo DEI sit vitium, commentis & techniis alios circumvenire, quod demonstrare hîc loci est animus, & perfacile negotium.

Affa-

Affatim argumentorum huic asserto firmando suggeritur, sive Gentiles ipsos consulamus, sive Scripturæ quæramus oracula. Herodoto Auctore l. 1. Persæ summa diligentia, *per omnes ætatis gradus illud præcipuè suis inculcârant, ut fugientes mendacium vera semper loquerentur.* Plutarcho lib. de educat. liberorum iudice, *Mentiri servile est, dignum apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem servis ignoscendum.* Mamertinus loquens in Grat. act. de Juliano Imperatore *non modo humilis*, inquit, *& parvi animi, sed servile vitium scit esse mendacium.* Accinit Ovidius l. 3. Elog. 665.

Turpia quid referam vana mendacia linguæ.

Ex Litteris divinis solum observetis velim, nobilissimum Juvenem Danielem 1. Judicem hunc delegit providentia Numinis, qui cyprios & Scandalosos illos senes, qui pudicitiam ante, postmodum & vitam castissimæ Susannæ perfidè eripere sunt conati; statim verò atque pro tribunali sedit, concatenata diluit mendacia, veritatem extorsit, ac durâ increpatione & sententiâ hac percussit: profligatissime ac perditissime Lavernio, *semen Chanaan & non Juda, species decepit te, rectè mentitus es & tu in caput tuum*, &c. Nequidquam gloriam, quod nobile de prosapiâ Judæ sitis editi, qui nequissimo hoc actu vos comprobatis posteros Chananæorum, sed quid causæ est, quod revera è tribus Judæ oriundi ac pro talibus vulgò habiti, in sempiternum suum opprobrium declarentur progenies infamis Chanaan? Ad expediendum hoc dubium observare licet, diversos hominum status diversis vitiis infestari, quemadmodum aliæ & aliæ nationes suis quæque infirmitatibus præ cæteris premuntur. Magnates inflat ambitio, carnis illecebræ præfervidam lacessunt iuventutem, senium cum impatientiâ conflictatur; superbia & fastus infelices umbræ comittantur dignitates splendidas, & avaritia divelli se non patitur ab asseclis Martis: At falsitas & Mendacium, ceu fiscus hærere solitat obscuræ plebi & abiectis mentibus. Cùm igitur memorati Judices palam sint convicti Mendaces & impostores, excidisse nobilitate avitâ & tribu Judæ sceptris & coronis illustrissimâ pronuntiantur, infami hac notâ injustâ, ut dicantur *Semen Chanaan & non Juda.* Chananæi verò jam dudum iusto DEI iudicio condemnati fuère ad vilissimam servitutem in ævum serviendam: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis*, Gen. 9. v. 25. Si autem homines Idololatræ solius naturalis luminis ductu adeo excandescunt in Mendacii turpitudinem, & Prophetæ gradu nobilitatis ingenuæ mendaces dejiciunt ad pistrinum, ad Catastas, quàm execrandum sit istud vitii in Religiosis, qui professione suâ *non sunt fallaces*, ait Hugo

noster in hunc locum, q. d. esse non debent, ***non sunt duplices, non sunt ex illis, qui in corde & in ore locuti sunt falsa?***

666. Exodi 20. v. 4. ponitur textus, qui altiorem meretur disquisitionem. Præcipit Dominus DEUS: *Non facies tibi sculptile, néque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis.* Quid sibi vult severum hoc mandatum propalatum per Moysen, & omnes Pictores, statuarii, sculptores, fusores, è totâ Hebræorum natione eliminentur? Si immensæ gloriæ DEO vertitur, quod cœlos distinxit lucidissimis astris, & elementa repleverit tantâ quadrupedum volucrum, piscium varietate, ut quid ergo pictores sculptorésque abominantur, qui similitudines elegantissimas exprimunt rerum quarumvis? Dicetis forsan Hebræos proclives fuisse in Idololatriam, *idcirco* usum omnis generis imaginum & simulacrorum fuisse *interdictum*, ne impii & bardi homines Divinum iis honorem deferrent, vicinorum stimulari exemplo, nam Persæ adorarunt Solem, Ægyptii venerabantur vitulos, Cynacephalos, ac Serpentes, Philistæi mactabant hostias Dagoni, quod Idolum piscem referebat. Laudo responsum; sed Philo Judæorum eruditissimus aliò intendit digitum, & rogat, quid tandem sint Pictores, Sculptorésque? Sunt fabri & artifices impudentissimorum & enormium mendaciorum: doctis penicillis & Scalpris imagnes elaborant & simulacra, quæ licet aliud non sint, quàm examina saxa, quàm pulveres peritè super telam digesti, oculos tamen fascinant, & fidem propemodum extorquent, teneram adesse carnem. Ubi Phrygium marmor riget, vitalem calorem in gelido lapide nidulari, & mortuas illas statuas sociare. Quod, alia innumera ut taceam, satis innuit celebre Epitaphium in honorem Hanibalis Fontanæ suâ tempestate Phidiæ clarissimi erectum Mediolani in templo B. V. ad S. Celsum: ita legitur

Annibali Fontanæ

Sculptori Summo

Qui *vel marmora, stupente naturâ in homines mutavit,*

Vel *hominum simulacra in marmoribus spirare iussit*

Huius fabricæ Præfecti P.

Observans igitur Moses in eius generis artificibus ***quod veritatem Mendaciis vitient***, Philo lib. de gigant: quod omnes ingenii artisque nervos intendant, quomodo fucum facere, & repræsentando, quod non extat, spectantium oculis queant imponere, procul à populo suo voluit esse remotos, cum DEI famulis mendacium etiam Metaphoricè duntaxat adumbratum nimium adferat dehonestamentum.

Speci-

Specimen præclarum huius rei capere licet ex Jonâ Prophetâ; præceptum huic iniungitur, ut Niniven famosam civitatem adeat, Deique minas & excidium, nì resipiscant tempore, intimet: *Surge vade in Niniven civitatem grandem & prædica in eâ*, Jon. 1. v. 2. Recusat Provinciam contumax Vates, & fugam circumspicit, Judææ regnum veri Numinis cultu insigne deserit, vagatur foras, & mari se committit. Sed quorsum tendis infelix? Túne imprúdens DEUM subterfugies, quem nosti per immensa spatia diffusum? Cuius præsentia, essentia, potentia cælorum transcendit sublimitatem, & inferni sustinet abyssum, & ultra marium tractus extenditur absque limite ac termino? cur igitur fugam inutilem adornas? verùm ecce, si quis alius, exploratum habuit Jonas, nullis locorum spatiis circumscribi DEUM, nullis concludi angustiis, quia verò insuper infinitam eius Clementiam pensavit, ita tacitâ secum mente ratiocinabatur: vult DEUS Ninivitis annuntiari cladem ultimam & exterminium: *adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*, Jon. 3. v. 4. Nihilominus persuasum habeo, si Civitas errata corrigat: deprecetur culpas, spondeat meliora piissimum DEUM veniam impertiturum illico: quid ergo suscipiam id muneris? in discrimen ego adducar fidei meæ & autoritatis? Vates audiam falsus, nugivendulus, Sycophanta? Non, non, absit hoc, malim experiri maris pericula, furorem tempestatum, & mortis sævitiem, quàm impeti tam dirâ censurâ & Sarcasmis. *Domine tolle quæso animam meam*: q. d. interprete Theodoreto, *vitâ defungi malo, quam vivere cum ignominiâ, vereor ne mendax habear*. 667.

Fuerit vero Jonas aversissimo animo in quodvis mendacium, oderit cane peius & angue suspicionem, omnémque vanæ orationis notam; aliud occurrit in David etiamnum Juvene, qui præsidium in fallaciis quæsivisse senior doluit. Accidit, ut nuspiam securum quiescere fineret invidia, & crudelitas truculenti Saulis, quapropter ut pericula & insidias multiplices evaderet, fugiendum esse statuit: post ambages delatus fuit in ædes Abimelech Sacerdotis, cui non mediocrem admirationem improvisus Davidis movit adventus, nec dispicere satis potuit, quomodo vir tantus, Socer Regis, Exercituum Imperator, inermis & incomitatus illuc diverteret. *Quare tu solus & nullus est tecum?* 1. Reg. 21. David Regium obtendit mandatum. *Rex præcepit mihi sermonem*, &c. Ita summis angustiis constrictus finxit, quod non erat, & mendacii pallio se cooperuit; & postmodum respiciens hoc factum, composuit psalmum trigesimum quartum, fronti præfigens titulum *Davidi, cùm immutavit vultum suum coram Abimelech*. Cæterùm hìc loci nondum se satis tutum reputans ad aulam confugit Achis, Gethæorum Regis, ubi videbatur in nives incidisse, 668.

qui pruinam declinaverat: Proceres namque agnoscentes heroem, & professum antea hostem, creârunt periculum supremum, quod ille, ut evaderet incolumis, pressâ consternatione mentis, stultitiam simulat, terræ allidìtur, spumare incipit, & oculos fœdè obtorquere, caput agitare ac membra, ut miserationem unis, aliis horrorem incuteret: *immutavit os suum coram eis*, meminit sacer textus 1.Reg.22.v.13. Quorsum hæc insolita mutatio faciei? Simile non succurrit in vetustis legisse historicorum monumentis. Quid tandem denotat illud, *immutavit vultum*, *immutavit os*, &c.? Dicam quod res est, David in duobus hisce eventis, nimio mortis correptus timore ad fictionem & fallaciam confugit, mentitus est dicendo, se imperio Saulis, eò devenisse quod nullum habuerat: *fefellit opere*, dum se amentem finxit, qui prudentiâ longè anteibat *omnes*. *Idcirco* acriter obstrepente, & mendacii condemnante *illum* Conscientiâ propriâ, velum obduxit vultui ruboris & verecundiæ, quod prolocutus fuerit & gesserit indigna: atque hanc ob causam *immutavit vultum*, & *immutavit os*, ita quidem interpretantur S. Basilius & Theodoretus, *vultum suum mutasse dicitur, ut qui non sit usus veritate consuetâ.*

669. Et si David erubescit faciem suam ostendere visendam, mendacii sui memor, Filius Davidis non habet aurem ad audiendum mendacii Patrem, cum technas & mendacia consuit. Referente S. Lucâ c.4.v.41. Dominus averni genios exturbavit corporibus, in quibus cum potestate id fœdè distorquendi dudum stabulabantur; exclusi violentâ possessione infesti hospites, non quiritari aduersus vim illatam, sed altùm laudare ac filium Dei promulgare cæperunt. *Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es filius DEI.* At ille os obturavit, ac silere quantocyus coëgit; *& increpans non sinebat ea loqui*: & testante S. Marco, cum eorum unum effusiùs celebraret: *Scio, quod sis Sanctus DEI, cominatus est JESUS dicens, obmutesce*, Marci 1.v.24. Factum profectò admirandum: *si* enim non parvum gloriæ incrementum est, laudes ab hostibus *contexi*, & dignitatem evulgari; eccur Christus cum stomacho repellit, & *penitus* aversatur? si Tharsensis profitetur Philip. 1.v.18. *sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudio, sed & gaudebo*: quid Christus tam præclara encomia etiam minas intentando rejicit? Ideo rejicit, inquit Hugo Cardinalis, quoniam *hic est mos pravi Doctoris, ut per oppositam veritatem palliet admixtam falsitatem*: noluit cedere locum Architecto dolorum, ne potitus autoritate, proloquendo semel verum, falsum subinde doctrinam mentibus instillaret auditorum. Silentium imperavit, quia sub specie laudis, arguit Christum malitiæ, conquerendo, quod venisset in carne, cruciatum cacodæmones, qui revera descendit

ſcendit de cœlis *propter nos homines & propter noſtram ſalutem.* Sed in præſens ſtabo ſententiæ Cardinalis Caietani, & aſſeverabo, Filium DEI proæternam veritatem ſuſtinere non potuiſſe, quod rebelles furiæ tam protervè mentirentur, affirmando, ſe bene illum agnoſcere, quamvis tenuem ſolùm & obſcuram Divinitatis coniectationem haberent: *Non ſinebat eas loqui, quia dicebant mendacium.*

Habet igitur mendacium, quod omnium ſubiaceat odio & abominationi. Execratur DEUS, & gravibus ſuppliciis vindicat: *perdes omnes,* ait Rex Sanctus, *qui loquuntur mendacium,* Pſ. 5. v. 7. etiam in ſervos ſuos acriùs invehitur, ſi fortè per imprudentiam hoc vitio contaminentur. Argumento eſſe poteſt Sara, quæ clanculum pollicitationes Angeli, quod filium eſſet enixura, audiens, & propter decrepitam ætatem id fieri non poſſe autumans, riſit; ut verò levitatem vidit objici, & vehementius ſe obiurgari ſenſit, timore magno perculſa, excuſavit ſe, negando factum: *non riſi.* Tum Angelus vultu ad omnem ſeveritatem compoſito: *non eſt,* inquit, *ita, ſed riſiſti,* Gen. 18. v. 15. Ita Dominus DEUS huius cætero-qui fidelis ancillæ ſuæ voluit implere vultum rubore, & cor trepidatione, *ut à repentino etiam Mendacio impoſterum redderetur cautior*, ſubiungit Angelicus Doctor, & exemplo illius cæteri magnam in loquendo cautionem addiſcerent & circumſpectionem. 670.

Et quidem ipſa Canonici Regularis Nobilitas eximiam poſtulat cautelam, ne mentiendo decidat in vilitatem ſtatu ſuo planè indignam, ut adeo in eorum collegiis Deo conſecratis ne veſtigium appareat falſitatis aut mendacii, & eatenus nihil concedant Jonæ, quò labem infamis vitii longiſſimè, imò & ſuſpicionem ſolam removeant, ne cum Davide confuſi totâ facie erubeſcere olim cogantur; aut certè ne ſilentium indicat DEUS, ut Diabolis evenit, laudibus Divinis turpia iungentes mendacia, ſed potiùs in ipſos quadret elogium illud Apocelypſeos c. 14: v. 5. *in ore ipſorum non erat inventum mendacium*: & feliciter ſubdatur, *ſine maculâ ſunt ante thronum DEI*, ut fruantur beatitudine æviternâ. 671.



Ex

CAPITE X.

Lites aut nullas habeatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festucâ.

Ex parvis initiis maxima sæpenumero mala provenire.

DISCURSUS LXIX.

672. HAud vulgare prodigium naturæ est, quod perspicacissimus ille Philosophus Seneca observat, videbis nonunquam *mediis rupibus*, vel saxis ingentibus progerminare quercus stupendæ molis: & spectaculo tali attonitus curiosè indagabis, quænam humana vis vel ingenium findere potuerit cautem immanem? unde ferramenta seu ligorum, seu vectium, seu scalprorum deprompta sint incisioni tam enormi violentæque peragendæ? quæ manus rustica plantârit arborem in loco horridissimo ac penitus deserto? verùm re accuratiùs pensatâ, deprehendes non hominis cuiuspiam solertem industriam sed naturam ipsam planè mirabilem autorem esse insolitæ plantæ: fortè accidit, ut volucris prætervolans glandem deferret rostro, ac delabi sineret in rimam saxi, ea postmodum rore, crebrísque pluviis rigata subtiles fibras & radices agere occeptat propediem se altiùs in rupem insinuantes, ut tandem notabili sumpto incremento rupem subigat, ac triumphet; sed loquatur Seneca quæst. Nat. lib. 2. c. 6. *Parvula admodum semina, & quorum exilitas in commissurâ lapidum vix locum inveniat, in tantùm convalescunt, ut ingentia saxa distrahant, & in momento dissolvant scopulos rupésque, radices minutissimæ & tenuissimæ.* Hæc porrò *admodum parvula semina & minutissimæ* radices, quæ rigidissimam quandoque *rupium* diffringant duritiem, luculenter demonstrant, ex tenuissimis *sæpe* principiis damna promanare, nullâ deinceps arte satis propulsanda, & perniciosiam confusionem. Haud abludit S. P. Augustinus ab exploratâ hac veritate, cautè præscribens, *lites autem nullas habeatis;* ne Musca transeat in Elephantem, & granum Sinapis in magnam arborem excrescat, *ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festucâ:* ubi Victorinus noster: *Sic paulatim crescunt vitia, & iuxta Salomonis vocem, dum negligimus corrigere minima, prolaminur ad maiora.* Agedum AA. ne tantis culparum reatibus obstringamur, necesse est obsistere primis incitamentis ac suggestionibus,

ſtionibus, etiamſi videantur exiles, cùm Religioſæ diſciplinæ cardo magnam in eo partem, uti mox edocebo pluribus, vertatur.

Et opportunè ſe offert celebris cuiusdam Poëtæ monitum, ingruentibus obviandum eſſe vitiis, ne remedium omne reſpuant, ubi ſemel dominari cæperint : 673.

Principiis obſta, ſerò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Conſentit Seneca pro certò affirmans, non amplius relinqui arbitriò noſtro frenare vitia, quibus habenas laxavimus. *Non obtinebis*, ſcribit. Ep. 116. *ut deſinant, ſi incipere permiſſeris.* Obſerari poteſt janua, & prohiberi aditus, quem ſi indulſeris, vereor, ne valeas abigere, *excluditur faciliùs, quàm expellitur.* Eadem Politicorum eſt ſententia, primos ſeditionum motus in civitatibus & rebus publicis ſupprimendos eſſe : *ſtatim ubi apparuerint*, ait Petrus Greg. de Republ. 23. c. 9. n. 10. *comprimenda, ſi fieri poteſt, ſunt initia.* In herbâ ſuffocanda ſunt, vel radicitus evellenda peſtifera germina : primæ Scintillæ magnis incendiis excitandis natæ reſtingui debent, & capita tumultuum ferro Aſtréæ reſecari, ne diſſimulatio, vel nimia conniventia extremam adſciſcat perniciem. Unde Cornel. Tacitus lib 4. hiſt. *Defectionis ſubditorum initiis maturè eſt occurrendum, difficile enim poſtea ſeditio, defectióque adulta coërcetur.* Tiberius certè permagnâ prudentiæ laude, ubi neſcio quas turbas in theatro audiit ſubortas, illico autores in exilium miſit, omnésque comicos proſcripſit, *nec ullis precibus ab eo evinci potuit, ut unquam revocaret.* Sueton. c. 37. Pariter Alexander memorat lib 2. genial. c. 13. ſeditioſos in Romano exercitu, quamprimùm innotuere, capitali pœnâ fuiſſe punitos : *Nonnunquam ubi multitudo obnoxia foret, Autores turbarum ad palum deligare aut ſecuri percutere : reliquæ verò multitudinis decimum quemque ſorte ductum, ad ſupplicium petere, pervulgata pœna fuit.* Sed mittamus profana, ubi affatim exemplorum ſuppetit è ſacris paginis.

Eorum, quibus Ægyptus vapulavit, flagellorum facilè acerbiſſimorum fuit violenta primogenitorum internecio. Atrâ & horridâ nocte, terris incumbente, apertiſque Erebi cavernis evocatur Divinâ virtute truculentus funeſtæ cladis miniſter, & feralis infelicium carnifex. Ne verò Hebræorum domicilia luctuoſis ſimul involverentur funeribus, cautum eſt, de ianuis ſingulorum agni conſpergendis ſanguine. Quo viſo Angelus eorum tutelaris nequaquam ſineret hoſtem ſtygium irrumpere, aut moléſtiam faceſſere, *Tranſibit Dominus percutiens Ægyptios cúmque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſt, tranſcendet oſtium domûs, & non ſinet percuſſorem ingredi domus veſtras & lædere*, Exod. 12. 674.

 v. 23.

v.23. Geminam factum hoc dubitationem movet, A A. primùm cur primogeniti præcisè, non autem secundò vel tertiò geniti, DEO vindice, fulminantur, ac delentur? Deinde quid causæ est, quod tantâ caveatur circumspectione, ne infernalis lavernio instar titionis obvia infestans tectis Israëlitarum succederet? *non sinet percussionem ingredi.* DEUM bonum! quid nocumenti adferre potuisset solus ingressus? Nonne teterrimus Alastor, vivam intuitus fidem frontibus Judæorum rutilantem suspendisset quantocyus ictum, & studiosâ reverentiâ insontes affecisset? Sileo, quod plurimum electo populo accessisset gloriæ, si professus hostis lateri hæsisset, nec damnum inferre præsumpsisset; eo fere modo, quo ignis telam asbestinam lambit, non adurit; quo fulmen trisulcum laurum transit, nec perstringit; quo flamma Babylonicæ fornacis circumdedit tres pueros, *nec tetigit eos omnino ignis, neque contristavit*, Dan. 3. v. 50. Permittat Dominus DEUS intrare Angelum percussorem, sed potentiâ suâ supremâ manûs cohibeat, & egredi rursum cogat attonitum, consusum & trepidum. Cur igitur tam severè arcet, & prohibet percussorem ingredi?

675. Philo Hebræus optimè notat quantâ sedulitate sibi adversus virulenta monstra caveat natura humana; vix conspectum subit venenosus bufo, vipera, scorpius, etsi nihil minarum nobis intendant, aut periculi creent, insitâ tamen Antipathiâ, sentimus nos concitari ad necem inferendam: quid enim bestia tam fera, tam noxia sinetur vivere? mox atteritur, & interimitur, quod tutiùs iudicetur prævenire nec viciniam sustineat horum incolumnitas nostra. Admetior verba Philonis lib. de spec. leg. *viperas, scorpios, aliasque venenosas bestiolas, priusquàm mordeant: aut saucient, aut omnino se commoveant, sinè morâ ad primum adspectum occidimus, præcavendo genuinam eorum malitiam, priusquam noceat.*

676. Si viri huius effatum nostro placeat accommodare argumento, videbimus, sive primogeniti enecentur, sive primus aditus præcludatur tenebrarum Angelo, utroque nos casu edoceri, primogenitos, seu primos vitiorum impetus esse retundendos & suffocandos, nec ullâ ratione Spiritum nequam, omnísque improbitatis Incentorem, ac Scorpione, & serpente quovis pestilentiorem admittendum esse, vel in animæ hospitio recipiendum, sed à primo limine arcendum, *præcavendo genuinam eorum malitiam, priusquam noceant.* Adstipulatur S. Greg. Nissenus in vitâ Moysis: *Ex primogenitorum nece, & postium per sanguinem custodiâ discimus & illinc primas vitiorum adversus nos aditum repellendum.* Itaque serum est nimium, scelus immensum eliminare, sed prohibendum est ne irrepat. *Non enim*, subiungit S. P. Greg. *ingressum percussorem ejicere sed ne omnino ingrediatur, cavere lex iubet.*

Re-

Revocemus gradum à libro Exodi ad Genesin: Animadvertens DEUS O. M. serpentem tartareum mirificè inflari, ac plaudere de victoriâ contra primam parentem nostram obtentâ, ut temerariam compesceret arrogantiam, *Heus tu*, inquit, *expectassis, & scito: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*, Gen. 2. v. 15. Tu quidem fraudulenter ac malignè insidias tendes pedibus eius, ut induas laqueis: sed ipso calcaneo illa perversum tuum & perditissimum caput confringet. Id ego iam demiror, si serpens per longum vasta sua membra protendit spatium, si spiris ingentibus humum verrit, & volumina sinuosa intorquet, si aëra flagellat, cœlisque minatur cauda bifurca, si pigro per terram prorepit ventre, & dorsum lividis distinctum maculis ostentat Soli totum aspectu fœdissimum, cur non aliam corporis partem, sed caput solummodo stragi destinet DEUS? *Ipsa conteret caput.* Sed nostis opinor AA. diabolico isto Colubro tentationem designari, qua impedimur, per caput verò significari principium & primam incursionem, quare fidelis anima in eo vim omnem operamque collocare debet, ut statim atq; se visendum præbet vitium, virili studio propulsetur; felix namque secuturæ victoriæ omen est, primos conatus & suggestiones iniquitatis primósque motus libidinis, impatientiæ, iræ, avaritiæ, &c. repressisse. Testem audiamus B. Nilum in ascet. *Legislator*, inquit, *voluptati aditum occludens, serpentis caput observare iussit: cur isthaec? nostrum studium in eo vigere debet, ut primum voluptatis impetum repellamus.* Sicut ergo Generosa Thebensis mulier molæ fragmentum *desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius*, Jud. 9. v. 53. quo tyranidem à collo Israelitarum removit; sicut Amazon illâ in Argo insulâ, ut Pausan: perhibet in Atticis, tegulæ frusto deturbato cerebrum unà & vitam effudit Pyrrho; sicut egregius ille pastor excusso lapide rectâ petiit frontem immanis Goliath, quem ita prostratum exanimavit 1. Reg. 17. v. 49. Eodem modo frangendum est caput serpentis, & primum voluptatis impetum retundere oportet, si palmam cupimus reportare. 677.

Calculum asserto nostro adjecit Regum Sapientissimus Can. 4. v. 8. 678.
Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon: ubi notatu dignum censeo, quod triumphalis corona non decerpatur ex Montibus quomodolibet consideratis, sed solùm de summo eorum culmine, *de capite & de vertice.* Solet per Montem *Amana* peccatum superbiæ, per *Sanir* intelligi vindictæ furor, per *Hermon* verò quodvis vitiorum Monstrum. Gloriosa igitur corona petitur *de capite & de vertice*, quia Christianus pugil devicto capite, aggressione & impulsu primo cuiuscunque criminis facili deinceps negotio ad coronas & triumphum contendet, attestante

testante Gilberto Abbate Ser. 29. in Cant. *Jure caput ipsum triumphans coronatur de capite, quia tentationum initium conterit.*

679. Clariùs hanc veritatem elucidabit duplex historia divinis litteris consignata, ubi duæ proponuntur vineæ, una in Sacris Canticis, altera in libro Judicum descripta, illa plantata à Salomone, hæc à Philistæis exulta; prior adeo felix & fæcunda, ut fructuum copia præclarè auxerit Domini sui ærarium: *vir affert pro fructu eius mille argenteos*, Cant. 8. v. 11. Posterior devastationi, & voraci incendio cessit in pabulum, & Possessoribus in luctum: *Fruges adhuc stantes in stipulâ concremata sunt in tantum, ut vineas quoq; & oliveta flamma consumeret*, Jud. 15. v. 5. Scire avetis, unde floruerit plena felicitas in vineâ Salamoneâ, & Calamitas everterit vineta Philistæorum? In promptu habeo discriminis indicare rationem: Vinea Salomonis magnâ diligentiâ fuit communita, ne vulpeculæ intrarent prædas actura, hinc prudens edictum vulgabatur: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, Cant. 2. v. 15. At nulla ejusmodi cura tenuit ignavos Philistæos, qui non modo parvulas neglexerunt vulpes sed adultas quoque impunè grassari, & segetes ac vites depopulari permiserunt, unde miserabili omnia involuta sunt incendio, ac redacta in cineres. Jam verò, si vulpes vineis animæ nostræ tantopere incommodantes sunt tentationes, nostrarum partium erit, advigilare, ne irrumpant, ne intus crescant, & in sinu stabulentur, ne fruges succendant, vel radicitùs evellãt, sed potius excludantur initio, superentur ac perimantur, ut Rupert. Abb. hortatur l. 1. in Cant. *vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, capite nobis*, inquit, i. e. *recidantur, citò moriantur, dispereant*: Et longè antea Origenes hom. 4. in Cant. *Cum adhuc pusillæ sunt, capiendas mandat, & comprehendi, dum enim cogitatio mala in initiis est, & pusilla est, capi debet & abjici, ne si adulta fuerit & inveterata, jam non possit expelli*. Atque hoc recidit in idem quod ex Poëtâ supra memoravimus: *Principiis obsta*: *Vitium quippe*, ut Seneca monebat, *excluditur faciliùs quàm expellitur.*

680. Relicto rure palatium, si lubet, adeamus Pharaonis, imo ipsius Dei: Magnificentissima Ægyptii Regis aula in theatrum commigravit, exoticis omnino spectaculis frequens. Allaborârunt Moyses & Aaron durâ servitute eximere Israëlitas, obstitit consilio Rex cum magis suis, unde multiplex nata est velitatio. Suam imprimis virgam humi abjecit Aaron, & continuò apparuit agilis & tortuosus Serpens: *versa est in Colubrum*, Exod. 7. v. 10. Ne magni videantur inferiores, & ipsi suas, quas manibus tenebant, virgas in terram seponunt & diabolicis præstigiis pariter *versæ sunt in dracones*. Quid exspectamus AA? Aaronis virga protinus hostem invadit, & impigrâ celerique agitatione quotquot aderant Dracones deglutivit: *& devoravit virga Aaron virgas eorum.*

E Regione huius confluctûs aliud objicitur spectaculum in imensis cœlorum spatiis, ubi vix notatus est malignus serpens, seu potius feralis Draco, Monstrum horrendum, informe; ingens visu dictuque horribile, cùm S. Michaël Archangelus innumeris cœlestium Spirituum catervis stipatus certamen indixit, *& factum est prælium magnum in Cœlo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & draco pugnabat & Angeli eius* Apoc. 12. v. 2. Sed rebelles Monstri asseclæ tandem omnes succubuêre, ac extorres facti fuerunt, *& proiectus est Draco ille Magnus, serpens antiquus & proiectus est in terram*, &c. Quæso vos, AA, utriusque eventus discrimen probè notatum velitis. Coram Pharaone una Aaronis virga par fuit confundendis & pessumdandis tot virulentis draconibus, quot erant Magorum virgæ, nec ullis opus habuit suppetiis, & extraneo succursu: At Michaël, ut unicum Cœlis infestum triumpharet draconem, incredibili, quo pollebat robore nequaquam contentus, in auxilium advocat exercitus militiæ cælestis universæ, ita perhibet Sacer textus. *Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone.* Quid igitur? an Michaelis potentiam & virtutem reputemus cedere Aaronis viribus? An cælestis Archistrategus debilior sit Sacerdote mortali? an pastoritia huius virga validior censeatur, illius romphæâ fulminatrice ac ancipiti? aut quo pacto Aaronis virga tam celeri morâ, tam facili negotio, nullis exteris adiuta subsidiis, tot serpentes confecit, & Michaël ut unicum debellaret, exterminarétque stygium Draconem, totam instruere debuit aciem, & florem adhibere cœlitum? statuant alii, quæcunque placuerit, differentiam, mihi in præsens ideo sic evenisse videtur, quod Dracones magorum vix dum nati, annis etiamnum teneris & viribus propè nullis adhuc præditi, acturum ac facillimè potuerint Aaronis virgâ subigi, ac consumi, cum ex adverso cælestis ille Draco maturam ætatem assequi, & annis non minùs quàm robore permissus sit crescere: unde compellatur *Draco magnus, serpens antiquus*: idcirco citra graviorem pugnam, & arma violenta cælestium Militum devinci non potuit, & in exilium amandari. Quæ res documento sit omnibus, vitia, velut pestiferos serpentes, multos annos in sinu nostro enutrita non nisi summâ difficultate expelli, cum certum sit è contrario pravas appetitiones, si serpere non sinantur, sed primis mox principiis resistatur, nullo labore domari, & naturam conservari indemnem, quia peccatum *excluditur faciliùs, quàm expellitur.* 681.

Psalmographus quoque Symbolam confert non vulgarem Thesi nostræ, cum lachrymantibus respiciens oculis infantes, recens Babylone conceptos ac in lucem editos exclamat: *Filia Babylonis misera, beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram*, Psal. 136, quod mysticè exponit 682.

Ori-

Origenes, atque per parvulos illos Babylonicos designat vitiosos cogitatus, & sensa carnis nostræ rebellis, motus vindictæ, odii, rapinæ, quos anima forsan concepit, sed neutiquam lactare, fovere aut blandè nutrire debet, ne adolescant, & propediem consolitentur, cum vires non habent, quibus se tueantur, vel nos fortiùs oppugnent. *In primis statim initiis*, verba sunt Origenis hom. 20. in Num. *ubi nasci cæperint, ubi caput cæperint de vulvâ anima proferre perniciosa desideria maligni Spiritûs inspiratione concepta, arripiat statim, & allidat ad petram.* Subscribit S. Hier. Ep. 22. ad Eustach. *Dum parvus est hostis, interfice, nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.*

683. Et quoniam infanticidii mentio iniecta est, prætereire non possum, quod S. Matthæus commemorat. Ut primum humanâ carne *amictus apparuit* mediâ nocte divinus Sol, Stella quædam splendoribus miris coruscans in Orientalibus plagis, veluti cælestis lingua, propalavit illius ortum nonnullis Regibus; qui obtemperandum rati, quàm probè intellexerant mutæ loquelæ, accinguntur ex templo itineri, & sidus prævium insecuti, deferuntur in Judæam, & sollicitè rogant: *ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Matth. 2. Cunabula inquirunt recens editi coronati Monarchæ, quem veneraturi muneribus, & Sacramentum dicturi magnis itineribus advolarânt: *ubi est qui natus est?* Percutit Herodem inauspicatum nuncium, & in summas adduxit angustias, ut torquerentur viscera, curis cor exederetur, animíque hæreret incertus, quâ viâ impendens molum averruncaret: *Audiens autem Herodes Rex turbatus est.* Verùm quæ causa est tam panici timoris in Herode, qui toties ex fronte exercitûs instar Leonis dimicavit, & hostes fudit? qui nationes innumeras vel nictu oculi consternavit? qui dexteritate mirâ, & impavido animo causam tutatus est suam Romanorum Imperatore Octaviano Augusto coràm arbitro? qui præcelsis naturæ dotibus rebúsque præclarè gestis titulum gloriosum *Magni* sibi comparavit? Quid talem tantúmque Regem permovit, *ut vulgato* rumore, in lucem editum esse pauperem infantem, ex *continenti* curis & furiis agitaretur, militem armaret, necémque moliretur, *ut eâ ratione* sui capitis coronæ, & sceptro dexteræ prudenter caveret? *Herodes Rex turbatus est?* Ita equidem, Herodes scelerum sentina, cloaca vitiorum, pestis Regni, vulpes astutissima, prudenter, (sagacitatem probo non iniquitatem) conjecit, si nato infanti adgeniculantur Reges, in ætate provectiori eundem facilè regna sibi subditurum; cui vagienti in cunis tres Principes fidelitatem spondent, ac tributa opésque peregrinas persolvunt, crescentibus annis allecturum in obsequium vastas provincias, & Judæâ sibi aliàs infestâ haud gravatè positurum: timuit vir callidus, ne progres-

su

su temporis, quem modò Sabæa prona adorat, Israël in Regem ungat: quæ facta ut præverteret, sceleratè constituit, interimere in fasciis, ne periculum olim crearent eius fasces & secures Regales. *Herodiana malitia est, nascentem velle extinguere Religionem*, Epiphonema est Mellei Doctoris in alleg. Tillem. Liceat iam, vobis non invitis, ex venenosâ hac viperâ salutarem promere theriacam, & subiungere, quod diligentiam à maligno illo Tyraño ad Dominum virtutum in ipso statim exortu perdendum adhibitam oporteat impendi à nobis adversus phlegetontea vitiorum monstra, quæ in partu, quin imo mox in conceptu trucidanda sunt: *Dum parvus est hostis interfice*: Orcina hæc soboles infelicis Babylonis suffocetur, ne auram inficiat, dum haurire gestit. Quæ malum! insania foret, sinu fovere, lacte nutrire, ac molliter tractare parvum lupum, paulo post tot cacalamitates irrogaturum? extirpetur spina, dum adhuc herbescit, ne firmior facta lethaliter sauciet? caput comminuatur stygii draconis, ne toxicum afflet ac exitio nos involvat! omni studio enecentur infaustæ proles, cùm certissimè *Beatus, qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.*

Produnt complures Autores, Homerus, Aristoteles, Plinius, & alii 684.
in extremis partibus Indiæ, sive, ut alii volunt Æthyopiæ, aut Ægypti genus quoddam hominum extare duos vel ternos palmos longitudine non excedentium: operam ii non inanem agriculturæ navant, terras colunt, & alimenta sedulò sibi ac copiosè procurant. Unum est quod plurimum turbat, ac molestiis afficit continuis: Grues confertim agros invadunt, segetes depopulantur, & labores evertunt. Hisce iuratis hostibus ineunte vere armati occurrunt, ex agricolis scripti milites, arua propugnant, & pro virili patriam tuentur. Ad plagas maritimas turmatim excurrunt, equorum loco utuntur capris, vel arietibus insident, & industriâ felici arcus tendunt, tela eiaculantur, & grues sibi tantopere exitiales contrucidant. Ante omnia sunt intenti, quomodo nidos occupent, ova evertant, teneros pullos iugulent, ne maturi tot damna & incomoda inferre possint. Fabulosum hoc sit, an vero congruum, nostrâ parum interest, illud sanè concludere licet, reprimenda esse vitia, rejiciendos animæ hostes, dum caput attollunt, nec moras esse nectendas, aut ignaviter connivendum, donec vires augeantur; in nidò perimenda hæc monstra, ne apertâ nos acie aggredi valeant: iugulandos parvulos, ne in gigantes excrescant. Primæ fescenini amoris scintillæ in corde gliscentes restinguendæ, ne vastum excitetur incendium: Mihi credite, dicebat Seneca in Hyppol.

Quiquis in primo obstitit
Repulitque amorem, tutus ac Victori fuit.

Cum ex adverso,

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Serò recusat ferre, quod subiit iugum.

Cavenda ergo, ut S. perorat Ambrosius in Psal. 111. 2. *prima sunt vitia, ne in plura dein graviora proserpant*, primis scelerum incitamentis, primis illecebris carnis obluctandum est, ni succumbere velimus.

685. Cùm primùm sceleratus Cain allicere insontem Abelem cæpit, ut unà in agrum prodirent: *egrediamur foras*, Gen. 4. oportebat Sanctum hunc fratrem, quem minimè latere poterat nequitia, & pestilens Caini rancor, omni modo tergiversari, resistere invitanti & obtendere quaslibet causas, & non comitari. *Debuerat*, ait Philo lib. quod deterior, &c. *recusare, & provocationem inimici contemnere, tergiversari enim præstat, quàm vinci.* Nec diffitendum est, non mediocrem fuisse incuriam, quod Caino invidiam & malignitatem cordis abunde per oris pallorem, per torvitatẽ vultûs, & oculos sinistrè ac verberantes prodente, Abel nihilominus confidenter, arbitrio eius se permiserit, invitationi acquieverit, & instar agni triverit vestigia rapacis lupi, atque adeo sub prætextu refocillationis passus sit duci se ad lanienam, ubi spiritum non recrearet, sed exhalaret. Haud secus ego monitum te velim, quicunque vel incitaris sannis & convitiis, & ad litigia incitaris à Theone quoppiam, ubi præsens est discrimen multiplicis delicti, qui forsan ad choræas & plausus traheris, quibus corpore in labyrintho versante anima iniquitatis vertigine turbatur: Qui rogaris ad Convivium adipale, ubi tot carnium missus, ut in carnales tandem abeatur concupiscentias, ubi spumantes calices certant, & Bacchum associant Marti desinente, quandoque in cruentas cædes hilaritate pellicenter effusâ: Tu cave sis, moram geras, abnue, ac provocationes eiusmodi generosè aspernare: prudenter te subtrahe & initiis resiste, *ne ira crescat in odium & trabem faciat de festucâ.* Nunquam ex animo recedat memoria eius: *quod ingentia saxa distrahant radices minutissima* quodque, *dum negligimus corrigere minima, ad maiora prolabamur.*

686. Positis adversâ fronte Israëlitarum, Philystæorumque castris, & neutris certaminis aleam tentantibus, Goliathus quidam gigantæâ corporis mole, & armis robori paribus ferox, in medium progreditur & truculentâ voce, fastúque barbaro, ad duellum provocat: si quis ex omni Hebræorum numero secum sustineat componi, ac dimicare de imperio utriusque gentis. Tandem David egregius adolescens non magis arrogantiam hostis, quàm consternationem suorum miratus, ad dimicationem se offert, & baculo, perâ, lapidibus fortè de torrente selectis, & fundâ instructus obviam procedit. Hunc Juvenculum intuitus Gigas, Sonante cachinno, hostem risit penitus inermem, ac nullo armorum apparatu formidabilem.

Cùm

Cùm inspexisset Philistaus & vidisset David, despexit eum, 1.Reg.17.v.44. Quod S. Basilius Seleuciensis orat.15. interpretatur: *videns puerum pugna incensum amore, oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli studiis Schema, in risum effusus est.* Sed qualem putatis exitum contemptus sortitus est? Antagonistam dum adspernatur Goliathus, in quo debellando plus consequeretur ignominiæ, quàm Gloriæ: dum indignabundus è conspectu facessere jubet imbellem canem, dum sui securus frontem non obarmat, & ad decretorium certamen descendit, David ocyus emicat, silicem è perâ rapit, fundæ imponit, ictúque librat tam destinato, ut excussus mediam Philistæi frontem terebraret, qui procumbit ut fusus humi bos, jacenti superstat David, & caput præscindit. Ita est AA: eventum formidet similem, qui vitium tametsi parvum, pro nihilo putat, ac susque deque habet: plurimum nocet contemptus hostis etiam invalidi, quare tentationi minimæ quoque se opponit, qui prensat victoriam & incolumitatem, nunquam non memor, *quod puer parvulus prævaluerit in Philistæum.*

Eruditissimus Hebræorum Philo pensiculatius trutinans illud Decalogi præceptum: *non furtum facies*, Exod.20.v.15. Observatu dignissimum censet, quod nulla quantitas determinetur eâ lege, nulla assignetur materia, cuius ablatio peccati reatu aliquem obstringat, sed absolutè prohibeatur furtum qualiscunque rei, ne alioquin si clepere fas esset quidpiam exigui momenti etiam levissimum, vitium haberet apertam ianuam & parvis paulatim contemptis, ad graviora sterneretur via, consuetudo induceretur, gravissimáque incommoda consequerentur. *Discant pueri*, hortatur Philo lib. de Decal. *manus à furtivis lucris abstinere minimis etiam, quia diuturna consuetudo potentior, quàm natura sit, & ni malam innascens inhibeas, crescit in immensam magnitudinem.* Verbo primordiis scelerum totis viribus repugnandum est, quippe si semel ingressu donentur, miserrimam & ineluctabilem cladem animæ adferunt. 687.

S. Antonius Paduanus, non minus illustris virtutum præstantiâ, quàm excellenti doctrinâ ingeniosè adnotat Dom. 2. post Pascha, quod cælestes genii, cum visendos se præbuerunt in testamento vetere, cingulum gestare super renes insuêrint, ita Dan.10.v.5. cuiusdam *renes accincti auro obrizo erant.* At verò in lege gratiæ testis est Joannes, non renes sed mamillas ambiri fasciâ in DEI filio, quem vidit præcinctum *ad mamillas zonâ aureâ*, Apoc.1.v.13. Quo discriminis mysterio edocemur, priscis temporibus utcunque suffecisse, si renes constringerentur, si voluptatum impetus, si motus sensuales cohiberentur si frænarentur carnales affectiones renibus significatæ: Nunc verò Evangelii tempore, ad maio- 688.

 rem

rem perfectionem evecto cingullam mamillis accommodandam esse, cor esse coërcendum, ex quo prodeunt perversæ cogitationes & appetitiones furti, odii, fornicationis, adulterii, &c. itaque studiosis virtutum incumbere, ut radicem obstruant, originem malorum eradicent, atque ita à vitiorum contagio immunes præserventur.

689. Elisæus Vates non sine commiserationis sensu audiit conqueri populos quosdam: *Ecce habitatio civitatis huius optima est - sed aqua pessimæ sunt*, 2. Reg. 2. v. 19. Quid prodest, vir DEI, urbem quam incolimus, gaudere Salubri aurâ ac felici climate, si confligandum assiduè aquæ dulcis penuriâ, si fontes omnes absynthium fundunt & myrrham? Propheta mitissimus decernit suppetias ferre ac consolari afflictos, qua ratione? *egressus ad fontem aquarum misit in illum sal*, v. 21. Actutum evanuit omnis amarities aquarum, sterilitas cessit, & malum profligatum est. *Sequitur* communis lætitia & plausus omnium, sed quæso vos, cur Elisæus, qui non Naturali virtute sed aperto miraculo, divinâque potentiâ sanavit, & potabiles reddidit eas undas, salem non iniecit, & medicamen applicuit, ubi aquæ inundârunt, ubi collectæ in lacum, vel effusæ per rivos occurrerunt, sed caput petiit, scaturiginem adivit, *ad fontem aquarum*? Nobis profectò præclara inde doctrina promanat, nempe salem, sapientiæ symbolum, & contra putredinem præsens antidotum, adhibendum esse in capite, in exordio culparū; nec virus serpet ulterius, vel naturam infestabit, si confestim expellatur in aggressione, quod ille monuit; *Principiis obsta.*

690. Finem discursui, solito prolixiori, imponat brevis Narratio: Quidam spiritualis Magister instructurus discipulos suos, quo pacto *superare* illicia carnis, & primos vitiorum insultus retundere possent, in nemus deduxit omnis generis cypressis maioribus, minoribus, annosis, novellis frequens. Hic loci præcepit nonnullis è tyronibus, ut evellerent arborem pergrandem, sed quantumvis omnes intenderint nervos non hilum profecerunt: subinde iussit aliam aggredi minus robustam, & eam *non sine* multo sudore ac conatu extraxere; tandem teneram designat cypressum, quam levi brachio eradicavit proximus. Quo facto subiungit sapiens præceptor: ita filii mei, comparatū est, ita res habet cum vitiis nostris, si radices profundas in animo egerint, difficultas erit propemodum insuperabilius iis extirpandis: nec facilè exscindetur, ubi aliquot annos increverint: prima verò germina nullo negotio evertuntur. Quapropter agedum Christiane parænesin repeto Hieronymianam: *dum parvus est hostis interfice: nequitia, ne zizania crescant, elicidatur in semine.* Aurea est parœmia Theodorici apud Cassiodorum 5. var. 39. *Pietatis genus est, coërcere infantiam criminis, ne intumescat augmentis.*

EX CAPITE X.

Lites autem nullas habeatis - Et sic inter vos Contentiones & murmura oriuntur, hinc vos probate Quantum vobis desit, &c.

Quàm abominandæ sint lites inter Religiosos.

DISCURSUS LXX.

AMicus silentii ab omni retro æternitate, perhibente vate Regio, *semel locutus est Deus*, Ps.61.v.12. solóque verbo expandit per imensos tractus cælestes sphæras, & præclarissimo condecoravit ornatu ac prærogativis: *verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*; Ps. 32.v.6. Amicus silentii DEUS est, adyta & reconditas in Empyrio sedes sibi deligens: *Cœlum Cœli Domino*, Ps. 13. v. 16. quin etiam indesinenter cælestes Machinæ insistunt autotis gloriam, potentiam, bonitatem, sapientiam altis vocibus ubique deprædicare, & motu ordinatissimo, spendore astrorum, & beneficio influxu terrarum incolis suspiciendam proponere. Amicus silentii DEUS est, quem Ægyptii, si Pierio fidem habemus, sub schemate crocodili adumbrant, non modò, quod is solitus in mari & aridâ comorari, quadantenus referat imensitatem Numinis nullis limitibus circumscriptam, verùm etiam, quod linguâ orbatus doceat silentium, quo Mundi totius habenas Deus moderatur & sortes dirigit. Amicus silentii Deus est: Unde Pythagoræ sequaces, ut Philostratus refert l.1. *silentium pro re divinâ colebant*. Et Plutarch. l. de parvul. ingenuè profitetur, *loquendi magistros habemus homines, tacendi verò DEUM*. Hanc igitur heroicam virtutem DEO tantopere familiarem eius studiosiores servi magnâ semper alacritate animi coluerunt, & teste S. P. Hieron. in reg. Monach. c. 22. *in eremo Sancti Patres edocti summâ cum diligentiâ observant sancta silentia; tanquam Sanctæ contemplationis causam*. Quemadmodum verò in scholâ silentii accuratè discuntur virtutes religiosæ, ita è contrario ubi lites perstrepunt, & omnia contentionibus circumsonant, necesse est exulare perfectionem, & studium sanctitatis. Hinc B. legislator noster modò paternè præcipit. *Lites autem nullas habeatis*: modò quàm alieno sit animo abhoc vitio, non dissimulat: *si inter vos contentiones & murmura oriuntur hinc vos probate, quantùm vobis desit, &c.* 691.

692. Abstinendum esse contentionibus ceu homine sapiente ac ingenuo planè indignis, vel ipsum naturæ lumen docuit, ut tota etiam gentilis antiquitas id criminis exectaretur. Cato Magnus ille morum Magister l. 1. dist. 10. inculcat.

Contra Verbosos noli contendere verbis, &c.

Tullius l. 1. offic. leges figit moderandi colloquia, & ait: *sit sermo lenis miniméque pertinax.* Plutarchus l. de profect. Mor. indubium signum statuit, magnos in virtutum tramite progressus fecisse, qui novit frænare linguam, & comitatem affabilitatemque sermonis in familiari congressu observare. Epictetus graviùs invehitur & penitus proscribit à conversatione humanâ, præsertim à convivalibus oblectamentis altercationes. Et Isocrates ad Dæmonic. commercio hominum excesse vult, *qui rixosus est, & contra omnia contendit.*

693. Nec alia mens est SS. Patrum; audiatur B. Isidorus qui l. 3. sent. c. 14. Iliadem contexit malorum, & ob oculos ponit, quæ pestilens contentionum domesticarum radix progerminat: *hæc,* inquit, *relicto sensu Veritatis lites generat, & pugnando verbis etiam in DEUM blasphemat, inde & hæreses & schismata, quibus subvertitur fides, veritas corrumpitur scinditur charitas.* Placet in lucidiorem rei explanationem adducere commentum nobilis Poëtæ, qui Bacchum effigiari jussit, currui impositum triumphali, trahentibus Hyrcanâ tigride, ac imani Pantherâ, comitantibus cursim hinc & inde lascivis Satyris, sensum exposuit, hoc distichо:

Panthera, Tygres Bacchum, Satyrique sequuntur
In vino feritas, iurgia, probra, Venus.

Haud secus, si mihi quidem demandaretur provincia exprimendi contentionem, triumphum adstruerem & infaustum comitatum: dicerem professum veritatis hostem, impiam Babyloniam, in DEUM & indigetes Cœli impias eructantem blasphemias, viperam Acheronticam, schismata, & hæreses parientem; quibus labefactatur fides, & Concordia fraterna pessumdatur.

694. Ubi viderunt Græci armorum vi expugnari non posse celeberrimam civitatem Troianam, ad fraudes & stratagemata confugerunt: Machinam adornant ingentis molis in similitudinem equi, sub obtentu Palladi se voto obstrictos hanc designasse hostiam, reipsâ non Diis placandis, sed urbi funditus evertendæ intentam. Sinum fabricæ opplent catervis militum, qui postea egressi ferro igne excidium maturarunt Troianis, ita Virgilius 2. Æneid v. 18.

Hanc

Hunc delecta virûm sortiti corpora, furtim
Includunt caeco lateri, penitúsque cavernas
Ingentes, uterúmque armato milite complent.

Quando sinistro omine ad religionem, & sacra domicilia recipitur discordia, nullus addubitet, quin eius de ventre, tanquam ex equo Troiano, complures enascantur furiae, disciplinam, ni tempestivè remora injiciatur, miserum in modum dilaniaturae. Testem locupletem habemus Mellеum Bernardum lib. de modo vivendi c. 13. *Contentio lites parit, contentio pacem cordis extinguit, contentio rixas gignit, contentio iurgia seminat, contentio faces odiorum accendit, contentio concordiam rumpit.* Uterus contentionum infelix ea parit monstra, quae faciem orci Religionis paradiso inducant. Hinc mirum non est, uno animo, unoque ore & calamo, sanctioris vitae fundatores pro virili se opposuisse huic vitio, & in exilium amandasse sic M. P. Basilius Ser. 2. de instit. Monach. *ex conventu rejicienda est turpis & indecora contentio.* S. Patriarcha Benedictus in regulâ inter praecipuas religiosae vitae maximas collocat: *Contentionem non amare*, cap. 4. Instrum 66. B. Isaias oration 9. gravissimè monet: *noli esse contentiosus, ne omnis in te habitet improbitas.* Memoratus S. Bernardus urget: *ne contendas in ullâ causâ, in nullâ causâ decertare studeas.* S. P. N. Aug. in Regulâ, *lites autem nullas habeatis.* Denique S. Ignatius Loyola in Reg. com. n. 28. *Omnes demissâ voce, ut Religiosos decet, loquantur, nullúsque cum alio contendat.*

Hanc viam praemonstrarunt ordinum Sacrorum Autores, & sapientissimi vitae spiritualis Magistri, quoniam repeterunt tritam vestigiis virorum, quos sacrae paginae summis laudibus cohonestarunt. Magnum illud humanae sapientiae oraculum, Israelitarum Monarcha, coelorum discipulus, & Orbis universi Magister Salamon, apertè contestatur omni veneratione dignum haberi, qui cane peius & angue odit dissensiones, & rixarum origenes declinat. *Honor est hominis, qui separat se à contendentibus.* Prov. 13. Doctor gentium suo id roborat calculo, nunc expressim Timotheo praecipiens: *noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*, 2. Tim. 2. v. 14. nunc Romanos exstimulans: *sicut in die honestè ambulemus non in contentione & aemulatione.* Nunc Philippenses c. 2. v. 3. breviter & nervosè inhibens: *nihil per contentionem*: & rursus 2. Cor. 11. v. 16. *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia DEI.* 695.

Sed nunquid silentio praeteream clarissimum praeconium, quo vatum oracula, & Evangelistarum pennae condecorarunt verbum Divinum humanâ carne vestitum? Novimus, qua rabie scribae, Pharisaeique, truculenti 696.

culenti lupi ululârint adversus Dominum; quoties calumniatricem linguam in eum exonerârint, convitiis lacerârint, famâ & gloriâ Nominis implacabili odio conati sint exuere: Et ille innocentiss instar Agni mitissimè ferre omnia, non mutire contrà, non verbum reponere impactis calumniis, ut Isaias c. 42. v. 2. prædixit: *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius,* Ubi Euthymius Abbas: *Christus ita mitis & mansuetus erat, ut non contenderet adversus contradictores, neque clamaret, dum ei fieret iniuria.* Nec opponat quispiam, Redemptorem nostrum non unis vicibus in foro, in compitis, & plateis altiùs clamasse, ut Scripturæ Sacræ venerandi codices pluribus locis consignant: *clamabat JESUS in templo docens,* Joh. 7. v. 28. & rursus, *in novissimo die magnæ festivitatis stabat JESUS & clamabat,* ibid v. 37. Et in exedrâ crucis: *Clamavit JESUS voce magnâ,* Matth. 27. v 46 Atque Tharsense teste, *preces cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est,* Heb. 5. v. 7. Hos namque clamores ego non loquor, utpote qui processerunt ex affectu pietatis & calidissimi amoris, non verò ex rixosâ contentione & rancore cordis.

697. Porro, ut proprium est viri prudentis, consulti, Sancti, quin ipsius DEI Hominis, fugere lites, ita profectò vice versâ, discordias fovere, rixis perpetuis innodari, & verbis asperè contendere, signum est animæ oppidò infelicis, abiectæ, ac servilis genii. Minima rota est in curru, quæ identidem stridet, molestiósque ad passus singulos strepitus ciet. Catelli naturâ suâ timidiusculi, nullóque robore instructi importuniùs latrant, & omnia inquietant: Et fœminæ, quæ temperie sunt admodùm inbecilli, & frigidâ, faciliùs in impatientiam, querelas, & rixas effunduntur: unde non absre Divinus Plato in Protagora: *vilium homunculorum* & Bethlemiticus Asceta in c. 5. Gal. *Mulierculárum est contendere.*

698. Vultis exemplis firmem assertum? obsecundo. Sacram lustremus Genesin, & occurrent pastores Abrahæ & Lothi: Divina consulamus Evangelia & Salvatoris Asseclas altercationi vacare deprehendemus. Ibi memorat Moses: *facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Loth*, Gen. 13. v. 7. Quæ causa vel occasio? ambæ factiones incultæ erant ac agrestes, nesciebant adversantes delinire suavitate verborum morumve, vitam in mapaliis, & stabulis egerant, inter bruta bruti ipsi & vecordes stipites rapiebantur, quo cæcus iræ vel proprii compendii movebat impetus. Itaque sine reverentiâ, sine comitate, vel respectu aliquo prorumpebant in calumnias, in rixas, in diras comminationes, quoniam, Platone Arbitro: *vilium homunculorum est contendere.* Quid autem obtendamus pro Christi Discipulis, quos iterato Matth. 18. v. 1. & c. 20. v. 24.

Marci

Marci 9. v. 33. Lucæ 9. v. 46. altercasse legimus? specimen præcipuum dedere tempore maximè alieno in cœnâ ultimâ. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior*, Luc. 22. v. 24. Quem locum Aureus Ecclesiastes expendens, non sine magnâ admiratione exclamat hom. 83. in Matth. O rem prodigiosam, *in ipsâ cœnâ, quisnam inter eos maior esset, disceptabant, adeo inanis gloriæ passio animos adhuc eorum turbabat*. Hinc, si Epictetus non fefellit, asserens, ut refertur in Theatro c. f. 444. contendere ubique indecorum est, tum inter pocula maximè, palmarem in hoc puncto admiserunt culpam discipuli: ubi ambulante per orbem calice sacrosancto, illi mutuò litem intendere ac tumultuosis vocibus, arrogantique fastu de primatu concertare, non sunt veriti. Verùm obstupendum adeo non est, quoniam necdum Spiritûs Sancti virtute armati & compositi erant, homines humili loco nati, rure educati, piscationi, & agriculturæ assueti, quare rusticâ quadam indecentiâ in iurgia prosiliebunt: *Nam vilium homunculorum est contendere*.

Quamvis sordidum hoc vitium non adeo se ferat limitibus coarctari, ut viles duntaxat animas invadat, non rarò etiam altioris professionis homines maiori, Ne imprudentiâ dicam an temeritate? disceptiones suscipiunt, atque tum æquales fatigant, tum superiores lacessunt. Perlepidum est, quod recitat Philostratus in imaginibus, nempe Pigmæos bipalmares masculos bellum movisse adversus Herculem, Heroum fortissimum, clavâ aliisque armis probè instructum. Diviserunt igitur se pumili & quisquiliæ muscarum, in certas cohortes, uni pro lanceâ virgas quasdam, alii acus adhibebant gladiorum loco, & ita iunctis, ut rebantur, viribus invicti, nonnulli caput, alii latera, postremi aggrediuntur Alcidis pedes. At ille excusso sopore circumfusos hostes ceu locustas vel pulices suis leoninis exuviis colligit, partem suffocat, aliquos ludibundo pede proterit, residuos contemptim in aëra dispergit: atque ita dignas temeritatis pœnas dederunt pumiliones, & stulti aggressores. Sed ecce haud absimilem fabulam edunt nonnunquam imprudentes subditi, qui probè conscii, Prælatum suum in modum Herculis robore prævalere & authoritate, impudenter tamen & stolidè, audent in faciem resistere, obloqui præceptis, & exutâ palam omni reverentiâ contemptui habere potestatem ab Omnipotente Monarchâ ipsi collatam: evibrant protervè adversus illum sagittas murmurationis, sed brachio adeò enervi, ut nequaquam penetrent, & illud Ps. 61. v. 8. conveniat, *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*. Dentes acuunt in vulnera & vindictam prurientes, ut vates Regius conqueritur, Ps. 56. v. 5. *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*: quoniam ex mente Genebrardi:

habent verba dentata & sagittata. Verùm incassum omnia, Prælatum dum hostiliter insectantur, impiâ linguâ proscindunt, litigiis impetunt, insigniter luunt temeritatem propriam, & non solùm acerbam castigationem perpeti, sed etiam publicam subire confusionem & ignominiam tenentur. Optimè in rem præsentem Seneca 2. de irâ c. 34. *Cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum.* Nec minus apposite Seraphicus Doctor lib. 1. spec. c. 6. *cum ipso Prælato contendere nefas est, & execranda in subdito irreverentiæ turpitudo.*

700. Benignissimum Numen à Canonicis Regularibus clementer avertat tam enorme piaculum contentionum, ut sicut amictu præseferunt candorem agnorum, ita moribus eorum imitentur pacatam & quietam indolem. In praxin deducant dogmata in præsenti materiâ non tam suggestâ à Philosophis gentilibus, quàm inculcatâ pathetice à *sacris Doctoribus*; sciant non alibi luculentiùs prodi animum fortem, ac Religiosum, quàm contentiosis cedendo, ac modesto silentio elidendo, quæ ab iratis solent eructari scommata. Si vitiorum agmen sequitur ducem contentionum, scutum, vel potiùs insuperabile prudentiæ vallum objiciatur, & levi operâ propulsabuntur invisi hostes. Quandoquidem ab Apostolis suum derivant institutum Canonici, ad eorum normam quoque suam exigant vitam, & veri discipuli Salvatoris *non contendant, neque clament, nec in plateis eorum vox audiatur.* Ostendat, qui volet ignobilem suum spiritum, & cordis ignaviam in rixis & contentionibus, nostri Canonici maturitate alloquii, & morum gravitate servent, quem status exigit, decorem. Labes adhæret Israëlitis, nunquam delenda, quod mirabilem & mansuetissimum Ducem & Prophetam Moysen tam pervicaciter irritaverint; Exodi 17. v. 2. in perennem ignominiam scriptum est: *Jurgatus est contra Moysen*: qui propterea conversus ad populum Deut. 31. v. 27. invehitur: *Scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam, semper contentiose egisti contra Dominum.* O si nostri Religiosi altùm insculperent pectoribus suis auream gnomen S. Laurentii Justiniani *de interiori conflictu* c. 2. *Qui verus est Christi discipulus, tanquam humilitati oppositas disceptationes effugiet, non garrulis contendet verbis, non clamabit, non pertinaciter contradicet, magis alieno quàm suo judicio credet, &c.*



Ex

Ex

CAPITE X.

Qui cunque convitio vel maledicto vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocyus curare quod fecit.

Proximum qui læsit, satisfacere ne gravetur.

DISCURSUS LXXI.

INter omnis generis arma militaria pennis Scriptorum celebrata, non postremam tulit laudem lancea; hanc impiùs Saul vibravit in Davidem, eóque, quâ erat agilitate, declinante, parietem regalis cænaculi transfixit, relicto perenni truculentiæ & feritatis suæ monumento. Longinus, cum vitâ Mundi jam exanimis è crucis penderet patibulo, latus lancea perrupit, viscera hausit, cor Sanctissimum, divinæ charitatis fragrantissimam fornacem aperuit. Lanceam intorsit Indorum crudelitas, & Apostolum suum beatissimum Thomam, cum JESU Nazareni annunciaret Evangelium, & miraculis stupendis firmaret dogmata, contrucidavit. Julianus Apostata, & lues hominum, in bello Persico interceptus, & lanceæ ictu per invisibilem manum illato, ad barathrum æternorum cruciatuum deturbatus est. Verùm fateamur ultro, primas deberi lanceæ Achillis, quæ, si Poëtis fides, genuinum iustitiæ unà ac Clementiæ Symbolum eodem tempore vulnerabat & sanabat, afferens simul, & vetus Epigraphe habet, *vulnus opémque.* Eidem hastæ non incongruè inscripseris illud Job c. 5. v. 18. *vulnerat & medetur.* Quam virtutem optabat S. P. Aug. inesse linguis suorum filiorum, præsertim ubi casus tulerit, quod ex vaticinio Ps. 56. v. 5. *lingua eorum gladius acutus*, aliorum corda transverberârit, famam læserit, charitatem vulnerârit: tum enimvero necesse est, ut in morem Achilleæ hastæ balsamum adferat, medeatur plagæ inflictæ, & integritatem restituat eadem lingua. *Quicunque convitio vel maledicto, vel criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocyus curare quod fecit*: & iterum: *vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.* Obligationem hanc non solùm omni æquitati, sed sacræ Scripturæ & Patrum oraculis esse consentaneam pluribus demonstrare operæ pretium duxi. 701.

 Satis-

702. *Satisfactio*, ait Card: Tolet. Instruct. c. 11. n. 1. *est offensæ præteritæ, quoad pœnam recompensatio*, sive ut aliis placet in Theat. hoc verb. *satisfactio est actus iustitiæ, quo quis alterum lædens tantum facit, quantum est satis ad iniuriam compensandam, sive quantum is, qui est læsus, iustè exigit* Quapropter adstrictus est, quisquis iniuriam alteri irrogavit, resarcire, ac tantundem exhibere honoris, quantum antea imminutum ivit. Hoc autem si universim tenet etiam inter laicos, habitâ ratione diversitatis statuum, quantò arctiùs obligabit Religiosos, quos inter maior exigitur pax, mutua coniunctio & concordia?

703. Arca fœderis transportata è sacrilego Dagonis fano in Judæam in Agro Josue Bethsamitæ quievit, *erat autem ibi lapis magnus*, 1. *Reg.* 6. *v.* 14. non tam mole quàm veneratione ac religione: super eum, *ut S. Cyprianus* notat lib. 2. ad Quirinum contra Judæos c. 26. *posita est arca Testamenti*: oblata holocausta & victimæ Domino immolatæ, verùm si quæratis ex Rabinis, qualenam tandem fuerit saxum illud? reponent fuisse altare quondam ab Abrahamo Patriarchâ erectum, ac filio suo unigenito in hostiam DEO viventi, mactando destinatum, quod mirabiliter è fastigio montis Moriæ in valles Bethsames fuerit translatum. In eo igitur saxo ceu sacratissimo solio à tanto Patriarchâ divino cultu dedicato collocata est Arca, ut quantum depressa fuit in spurcissimo Dagonis delubro, tantùm jam reciperet venerationis in aram elevata, quam credentium parens designârat Numini supremo debitè honorando, ita dictante rationis lumine & æquitatis lege suadente, ut honor iniuriæ responderet, & quantum illic dedecoris acceperat, tantùm hic venerationis obtineret: Mendoz. hîc n. 7. A vero non aberraverit, qui Religiosam animam compellat arcam Domini, quippe quæ sedulò leges divinas asservat, & vernantem Aaronis virgam, veluti disciplinæ amussim, & amorem æqui reverenter custodit: si autem quispiam eiusmodi sacram personam vilipendet, despicit, iniquo habet loco, & convitiis proscindit, haud dubiè tenetur resarcire, seu damna quæ intulit, seu opprobria, quibus oneravit, & superbè insolentérque tractavit, ut culpa expietur, quæ sententia fuit M. Augustini. *Quicunque convitio vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit satisfactione quantocyus curare quod fecit, ut honor iniuriæ respondeat, & quantùm dedecoris accepit, tantùm venerationis obtineat.*

704. Autoritati è fastis Regum memoratæ adiungamus si placet, legalem textum Levitici 22. v. 14. consideratu dignum. *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addat quintam partem cum eo, quod comedit & dabit Sacerdoti in Sanctuarium.* Lex erat æquissima, & suspicari contrarium

sit-

sit nefas: lex ea præcepit, ut si quis carnes DEO consecratas fortè per inadvertentiam vel errorem delibâtit, non quartam duntaxat cibi assumpti partem restituat, sed quintam in satisfactionem insuper adjiciat. Sed obsecro, si quatuor tantùm recensentur partes, in quibus deliquit imprudens aliquis, cur quinarius Numerus in expiationem præscribitur? Arbitror eo præcepto quinque corporis sensus castigari, qui sunt *visus*, *auditus*, *gustus*, *odoratus & tactus*, qui enim abripitur inconsiderato quodam impetu, omnes corporis sensus criminis reatu facilè constringit, idcirco ordinat suprema lex quinque partes in satisfactione redhibendas esse, quod ratione quinduplici eâ in voracitate peccatum fuerit; oculos animósque vos advertite impatientes, & in offensas aliorum, in contentiones & injurias proni effusíque Religiosi; hem quantum à vobis exigatur, vos qui torvis oculis, vultuque ad omnem truculentiam composito, fratres contuemini, qui animi livorem pascitis audiendo perlibenter, si mores aliorum cribrentur, & fama denigretur, qui serpentinam acuitis linguam ad cor aliorum configendum, qui flammas iræ nutritis & vindictam indecenter spiratis, Theoninis dentibus dilaniatis: vos, quibus volupe est, tot viis offendere proximum, sciatis non paucioribus urgeri ad reparandum, quidquid sinistri moliebamini, ut quisque compenset in bono, quod malum adferre præsumit & *studeat satisfactione quantocyus curare, quod fecit.*

David Rex tandem sibi redditus, ac inexplicabili pœnitentiâ aversatus fœdissimam, quam admiserat libidinem & homicidium, de se ipso testatur Ps. 6. v. 7. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Umbris nocturnis associabo mæstitiam cordis, & 705.
oculos vertam in lachrymarum torrentes, fletu inundabo cubile; & luctui totus indulgebo. Sed quid causæ est, quod oculi præ omnibus aliis corporis membris deputentur pœnitudinis exercitio? & quare non perfundit lachrymis thronum regium, quo tulit sententias capitales, reósque addixit ultimo supplicio? Cur non potiùs ad mensam epulas miscet, ac potum singultibus ac lachrymis? Quare non plangit in templo, assistens sacrificiis, ut Numen sibi conciliet? annon decuisset magis mærere in castris, in papilionibus, in medio exercitu? ibi attonuit hostes; ibi terribilis minis; armis formidandus; sanguine tinctus, ibi ergo retro actam eluat vitam? Quin planctum & gemitus inserit Lauro & victoriis? Sed congruè David & sapienter iniit rationem pœnitentis: oculi namque fuerunt scopuli; oculi fuerunt fomites funestæ flammæ; oculi fuerunt infausti Duces, abominabilis adulterii: oculi proin, qui fuêre organa iniquitatis, servire debent satisfactioni, quasi contestaretur ore calamóque Ge-

Genebrardi in Pſ. 118. ad v. exitus aquarum, &c. *Quia peccavi oculis & oculorum concupiſcentiâ, per oculos ſatisfeci, copiosè lachrymando.* Quæ præterea cauſa fuit, quod lacrymis lectum duntaxat laverit, quem turpiſſimè commaculavit.

706. Davidi magno Judæorum Monarchæ iungamus Antiochum celeberrimum Regem Syriæ. Hic iuſto DEI iudicio in ægritudinem incidit & quo atrociores ſenſit dolores, eò minus vidit proficere medicamenta, ut actum de vitâ crederet. Sola ſuperaret ſpes recuperandi ſalutem, ſi contenderet ſatisfactione expiare, & virtutibus compenſare immania ſcelera, quæ patraſſe conſcientiâ Judice nôrat. Quare firmiſſimum concipit decretum, quo ſi antea mente perversâ exſcindere voluit Hieroſolymam, & ſolo æquare, iam ſtatuat in libertatem aſſerere, *ac privilegiis exornare;* ſi caninâ rabie prius deſeviit in miſeros *Iſraelitas*, eosque barbarâ feritate interfectos, & honore privatos ſepulturæ, beſtiarum dentibus & vulturum deſtinavit unguibus diſcerpendos, iam favoribus intimis demereatur, & præ domeſticis Antiochenis honoret: ſi antehac ne faſto ſacrilegio ſpoliavit templum, omnésque divitias rapaciſſimâ harpyâ abſtulit, iam pollicetur, *opimis donis ornaturum.* 2. Mach. 9. v. 14. ſi elapſos vitæ annos tranſegit in cæcâ gentilitate, & cultu Idolorum, declarat ſe adhæſurum deinceps legi Moſaicæ, *ac omnem locum terræ perambulaturum, & prædicaturum DEI poteſtatem.* Quamvis autem non flexerit Divinam clementiam, nec voti evaſerit compos, quoniam reſolutiones memoratæ, ut Purpuratus Doctor Hugo Cardinalis animadvertit, *non ex corde vero, non ex tempore debito* proceſſerunt, & cæteroquin multa, magnáque promiſit, & nihil reipſa præſtitit, docuit tamen quomodo criminum rei, offenſæ Numinis Maieſtati, & proximo læſo ſit ſatisfaciendum, ſi anhelent ad veniam, & ſalutem ſperent, exigente enim iuſtitiâ, *alterum lædens tantùm facere debet, quantum & ſatis ad iniuriam compenſandam.*

707. Atque hîc loci iam perſpicuè intelligetis, quamobrem *Magdalena* ex oculis ſuis iam converſis in limpidas ſcaturigines, ſuper pedes Salvatoris rivos fuderit lachrymarum: quare commutet aureas comas in abiectum peripſema, & pedes iisdem extergat, cur plantis tot figat baſia, & alabaſtro unguenti pleno diffracto pretioſâ fragrantiâ diætam totam impleverit. Aliud magna hæc opera non ſpectabant, quàm ut aliquâ ratione placaretur DEUS, toties graviſſimè offenſus, & honor mille criminum generibus propudiosè ablatus redintegraretur: itaque cum oculis ſæpenumero impuras faces eiaculata fuerit, jam plorat ubertim, cùm crines auro certantes irretiverint incautos Juvenes, & captivos aliorũ. Attraxerint

rint affectus;, iam in catenas abeunt amoris, & salutis Vindici Christo injiciuntur: cùm ore procaci venerem spumârit & labiis lascivis inhonestatis, omnísque pudicitiæ leges multifariam peccarit, jam osculis implorat pacem & Divinam Nemesin placare satagit: cùm fœtoribus suarum obscœnitatum contaminaverit Judæam, elementa conspurcarit, Cœlum irritaverit, iam cumulatè spargit suavitatem odoris. Optimè in rem præsentem M. Greg. hom. 33. *Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta, convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentiâ, quidquid ex se Deum contempserat ex culpâ.* Tenetur igitur Religiosa anima, exemplo Magdalenæ imbuta, tantùm rependere cœlo, & virtutum exercitio prælucere sæculo, quantum obfuit vitiorum scandalis. Amor Sanctus reparet damna per impuros ignes inusta, & sensuum adsperior custodia compenset, quod effusior eorum deliquit licentia, ita hortante quoque Tharsensi Rom. 6. v. 19. *sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Atque id ipsum prorsus est, quod S. Aug. exigit ad mutuam reconciliationem, & fraternam charitatem.

Sacri interpretes expendunt præceptum illud â Domino iniunctum decem leprosis sanitatem flagitantibus, ut videlicet se se Sacerdotibus coram sisterent, & arbitrio eorum subiacerent: *ite ostendite vos Sacerdotibus* Luc. 17. v. 14. & sciscitantur, quare ablegarit ad Sacerdotes, qui probè quidem discernere poterant, num quispiam leprâ infectus esset, vel liberatus ab eâ, nullâ tamen virtute sanandi pollebant? & doctè hoc dubium evolvunt, missos â Christo fuisse viros illos ad Sacerdotes, ut merito promptæ obedientiæ vivæque fidei exercitio dignos se redderent, qui desideratam aperto miraculo consequerentur corporis sanitatem: tum etiã ut Sacerdotes unanimi decem virorum testimonio convicti, quod JESUS prodigiosè restituerit integritati, virtutem Divinam agnoscerent, & in obsequium amoremq; suaviter allicerentur. At Doctorum Aquila, Magnus Augustinus, mysticum documentum eruens, scribit: voluisse Christum, ut omnes decem leprosi unà, non verò unus cæterorum nomine, apertâ fronte Sacerdotibus se monstrarent, & quoniã singuli fœditate morbi erant deturpati, singuli quoque præcepto legali obtemperarent: *Præcepit Dominus mundatis, ut ostenderent ora Sacerdotibus & omnes, non unus pro omnibus, ut qui per vos peccastis, per vos erubescatis:* & unusquisque addiscati, si lepra vitiosa correptus, & in proximum maledicâ linguâ iniuriosus fuit, reverenter eum deprecari, culpam agnoscere, veniam rogare, ac proprium errorem revocare obligetur per textum Regulæ. *Quicunque convitio vel maledicto, vel criminis obiectu alterum læserit, meminerit satisfactione quantocyus curare quod fecit, & non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.* 708.

Ex

CAPITE X.

Meminerit ille qui læsus est sine disceptatione dimittere.

Condonare iniurias Virtutem esse Divinam.

DISCURSUS LXXII.

709. Quamvis peramænum & ipsi cœlo invidendum præseferat colorem flos lini, parum tamen favoris eblanditur *germini, quod* sane præ cunctis aliis durè habetur, vix maturitatem assequitur, cum rusticâ manu radicitùs evellitur, in fasces colligatur calices destringuntur residuis scapis, in fætentibus lacunis maceratur, rursúmque ardentibus Solis radiis torretur: subinde stupariis malleis contunditur, frangibulo conteritur, ferreóque pectine vel hamo carminatur. Tum quodammodo condemnatur suspendii, ab acubus enim repurgatum colo superilligatur, & in fusum torquetur, tandem detextum linteum candefit, apricatione, irrigatione, lavatione, lixivio, &, quod mireris, ait Plin. l. 19. c. 1. quantumvis asperè tractetur, *fit semper iniuriâ melius.*

710. Nemo ignorat, Canonicos Regulares, veluti Levitarum veterum successores, gloriari humilitate lini: linea namque vestis semper propria fuit Clericorum; Conveniens igitur est, ut actionibus suis exprimant laudatas memoratæ herbæ conditiones, & quanto pluribus ad instar lini afficiuntur iniuriis, exerceantur calamitatibus, vexentur opprobriis, tantò evadant mitiores, benigniores in hostes, perfectiores, & *semper iniuriâ meliores.* Huc sanè collimat Regula exhortans, licet malitiâ vel impatientiâ cuiuspiam, *convitio vel maledicto vel etiam criminis obiectu aliquem læserit, meminerit ille, qui læsus est, sine disceptatione dimittere.* Quippe iniurias remittendo Servus DEI magnanimitatem, & Divinas prærogativas mirificè imitatur.

711. Acuratissimam perfecti Religiosi Ideam, nisi mea me fallat opinio, heroica Patriarchæ Josephi gesta proponunt: Josephus ut erat eleganti formâ, quæ irritamento fuit Dominæ impudici amoris, ita cùm hæc palam invitaret ad flagitium, & preces, munera, blanditias admoveret, firmissimo fuit animo, tuendi castitatem, atque Ægyptiam fugiendi. Nunquid & Religiosus malè fidas Sirenes, & illecebras Mundi, celeri & victo-re pede calcavit? Josephus, cum hera vim recusanti inferret, & ad faci-nus

mus tantùm non compelleret, pallio, quod Lena prehenderat in manibus improbis, relicto, foras se proripuit; an non Religiosus affectu prorsus Apostolico opes terrenas abdicat, quisquilias & lutum reputat, quod in Orbe dominatur aurum, omnia sponte abjicit, ut liberior sit ac expeditior in obsequia præstando Majestati Divinæ. Josephus fidem DEO, heróque debitam obtendens, execratur fortiter nefastos amplexus: Religiosus pariter horret cyprias flammas, & intimis medullis castam honestatem demeretur. Josephus tetro ergastulo inclusus, catenis devinctus, omníque humano orbatus solatio, celebrabat Magnalia Creatoris, & supremam providentiam assiduis laudibus attollebat: quid aliud agit Religiosus triplici vinculo in claustro innodatus! perpetim certè psalmodiâ suâ Conditorem universi adorat & exaltat. Sed propiùs accedamus ad institutum: Josephus quid mali non pertulit ab invidis & plagiariis Fratribus? Fratres quærere jussus, homicidas invenit, & nihil ille precibus, lachrymis, questibus, obsecrationibus effecit, nihil potuit frigidus sudore pavor, nihil blandè rogantis decor, nihil pietas fraterni sanguinis, quin prius in foveâ sepeliretur, quàm moreretur, quin postea Madianitis venundaretur. At toleravit nobilissimus adolescens hæc omnia infracto animo, factus ex psalmo 37. v. 15. quasi *homo non audiens, & non habens in ore suo redargationes*, rancorem non fovit, voluntate promptissimâ impertivit veniam, & neque recordari voluit erratorum & gravissimæ persecutionis, ut adeo ex sententiâ S. Ambrosii l. 1. Joseph c. 1. *læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret injuriam, sed gratiam pro contumeliâ solveret.* Heu quàm potenter suo nos invitet exemplo, ad implendum quod S.P.N. Religiosis suis præcipit: *Meminerit ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere.*

Verùm necdum à Josepho divelli me patiar, qui sanè multiplicis miseriæ meta videtur fuisse, sive paternis invigilet gregibus, ubi fraterna invidia ceu rapax eum invadit lupus, sive in Ægypto serviat servitutem viro barbaro, ubi adultera hera molestias infert acerbiores. Fratres, ne Dominum olim revereri tenerentur Josephum, in Servum & miserabile mancipium vendunt: ista quod respuerat brachiis stringere turpissimi amoris, in carceris horrorem detrudi curat, & ferreis catenis onerari. Quare medius inter flagriones perditissimos insons Iosephus tanquam lilium inter spineta vitam aliquamdiu transegit: cùm fortè eos, qui unà attinebãtur Pharaonis palatini duo, Pincernarum & pistorum præfecti, somnium turbavit, quod feliciter Josephus interpretatus est, & Pincernæ præsagiit liberationem è barathro illo ærumnoso, simul obtestans, vellet recordari sui & aliquando ferre suppetias, ut efficaciùs moveret causas subnectit ca- 712.

ptivitatis suæ: *furto sublatus sum de terrâ Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Gen. 40. v. 24. Sed quare tam parcè suam Apologiam texit Josephus? cur adeo sicco pede transit illiadem calamitatum, quas exantlavit? Cur non barbariem fratrum exaggerat, quod innocentem vatiniano odio aversati fuerint, vivum in cisternâ tumularint, vilissimo pretio venditum in exilium eiecerint? Quare non aperit impudentis Dominæ execrandum facinus, quæ irritatâ Ephebi verecundiâ tantùm exarsit odio, quantùm prius flagravit amore, & infamiâ oneravit fatali, quem pellicere non poterat ad flagitium; ut reus videretur, qui mallet vitâ exui, quàm puritate & innocentiâ? Quid igitur alto silentio premit illorum tyrannidem, huius iniquitatem? Causa est, quod utrisque animitùs remiserit; nec vestigium retinebat amaritudinis in corde, ut Oleaster notat his verbis: *Audis iusti prudentiam & charitatem, ut neminem velit damnari, neque nominat Autores malorum suorum, sed solius innocentiæ suæ memor est.*

713. Idem dilucidè confirmat, quod Moses c. 42. Gen. refert. Jam præfectus erat Josephus universæ rei frumentariæ, & regiis decoratus insigniis, annulo signatorio, purpurâ, torque, curru, totius Ægypti proclamatur Prorex, cùm vidit, & illico agnovit humi affusos ac supplices fratres, perhibente Sacrâ Scripturâ, *recordatus Somniorum, quæ aliquando viderat.* Gen. 42. v. 9. Somnii duntaxat meminit Joseph? Quid ita? equidem obiecta fuit dormienti species, quomodo & manipuli suis pedibus advolvantur, & stellæ undecim prolapsæ coràm venerentur; indubio omine, quod fratres sibi aliquando subderentur, ex alterâ tamen parte vidit apertis oculis, & nimium quantum comperit duritiem fratrum, qui latronum in modum sua se prætexta versicolore spoliârunt, odio canino detrusêrunt in puteum, mortem sanguinolentam furiosè machinati sunt, execrabili malitia vendiderunt exteris: An igitur oblivio hæc omnia obliteravit, & solius somnii speciem reliquit intactam? ita est, magna illa anima tanto charitatis fervore abolevit memoriam malefactorum, multiplicis atrocis iniuriæ, ut ne obiter recordari vellet, & nos imbueret, quantâ benevolentiâ complecti debeamus infensissimos hostes, & universali amnistiâ delere, quidquid sinistri illatum est. Quod rursum optimè docuit Hieron. Oleaster: *non dicit eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum, ut nos doceat, non esse memores, sed oblivioni tradere iniurias fratrum nostrorum.*

714. Quis vero addubitet, quin laudati Patriarchæ prudentia huc spectarit, cum cernens se prolibus felicem, primogenito imposuit nomen Manassis: quod oblivionem denotat? ut ipse gratissimus DEO exposuit:

Obli-

Oblivisci me fecit DEUS omnium laborum meorum & domus patris mei. Gen. 41. v. 51. Existimabat pientissimus Patriarcha, nato eo filio maximopere sibi congruere, si præcedentes labores, tolerata exilia, horrendos carceres, fraternas etiam insidias & capitales persecutiones in ædibus paternis exhaustas, penitus ex animo abjiceret, & perpetuâ oblivione sepeliret, paradigma ostendens, quomodo cum fratribus gratia & charitas esset redintegranda.

Non abs re fore autumo, si allatis documentis subnectam insignem quandam reflexionem doctissimi Philonis in c. 42. Gen. Ad Josephum adducuntur fratres, supplici demissione venerantur Principem, & rogant: annonæ sibi coëmendæ fiat copia: Mox *fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis*, inquit eruditus Philo lib. de Joseph. Aveis scire, undenam hoc provenerit? evolvam mysterium, ait Hebræus Doctor: *DEUS vultum eius mutavit in augustiorem speciem.* Tantamque Maiestatem contulit, ut supra humanam evectus conditionem, Angelum referret paradisi. Sed ulterius rimatur Philo, quid causæ fuit, quod bonitas Divina eo in congressu tantopere voluerit ornare vultum Proregis, tam insolitos addere splendores viro cæteroquin abunde instructo, tum oris gratiâ, tum facundiâ & peritiâ gubernandi? Respondet, ex fratrum adspectu recurrisse animo probra & contumelias olim irrogatas, aperuisse se se funestam Scenam, quæ ad vivum repræsentabat, quosdam in caput suum consultantes, alios venditionem infamem suadentes, alios polymita togula exuentes, hos manibus arctè ligandis & ferociter in foveam dimittendo sibi intentos, plures communi calculo conspirantes, ut venniret in servitutem. Quid Joseph inter has viscerum convulsiones in tragico isto spectaculo molitur? Regiâ & immotâ perstat autoritate acerrimos insultus retundit, se ipsum vincit, *non elatus*, ut loqui placuit Philoni, *posteritate, de vindictæ occasione cogitavit, sed imperavit suis affectibus, premens atque recondens eos in animo.* Idcirco disponente sic DEO adspectus apparuit solitò magnificentior ac nobilior: *Deus vultum suum mutavit in augustiorem speciem.* 715.

Hactenus de Joseph innumeris encomiis illustri, qui præter alia festis vocibus Salvator Mundi salutatus typum gessit verbi Incarnati, sed iam movemus à figurâ ad figuratum. DEUM immortalem! quot præceptis cælestibus, quot vivis exemplis, quantâ Energiâ Christus Dominus docuit & veniæ largitionem, & oblivionem iniuriarum? Interrogat S. Petrus, Apostolorum vertex, Matth. 18. v. 21. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittã mei? usque septies?* Quid ain tu Petre? patet profectò humili de casâ prognatum, qui Spiritu tam pauper es, & adeo abiecti animi? vox Senecæ fuit lib. 1. de Clem. c. 5. *magni animi est proprium, placidum* 716.

cidum esse, tranquillúmque, & iniurias atque offensiones semper despicere. Quid igitur miri, si Redemptor occurit Petro: *non dico tibi septies, sed usque septuagies septies.* Quod si nunerus signatus cursum totius vitæ nostræ designat, divino illo oraculo instruimur, autore S. Clem. Alexandrino l. 7. Strom. c. 8. *Qui DEO assimilari contendit, per maximam iniuriæ acceptæ oblivionem remittens septuagies septies, utpote per totam vitam, sit benignus & Clemens in quemlibet.*

717. Oppidò gratiosum est, quod sacri expositores observatum eunt in planctu, quo Salvator Regii vatis ore gravissimas deplorat ærumnas, passionis suæ tempore perlatas, *supra dorsum*, inquit, *meum fabricaverunt peccatores*, Ps. 128. v. 3. At verò edocemur Evangelio plures sceleratos Ministros, sonantes colaphos insregisse adorandæ faciei; *prætorii milites* fœtidissimis sputis os Domini conspurcasse, spinis incinctam fuisse venerabilem frontem, & incredibili cruciatu caput penetratum, lanceâ transverberatum latus, & nullum corporis membrum suis immanibus caruisse doloribus: quid ergo lamentatur ictus hostium & tormenta soli incubuisse tergori? *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores?* sed advertunt Doctores, unumquemque mortalium duplici quasi Ascoperâ instructum esse, quarum altera per pectus dependeat anterius, in ea quisque pro arbitrio observat singula, & articulatim discernit, altera in humeros rejicitur, nec adeò dignoscere licet, quid contineatur. Unde Catullus ad var. *Non videmus Manticæ, quod in tergo est.* Quapropter Clementissimus Salvator etiam vertice tenus immersus Oceano amarissimæ passionis contestatur, iniurias & opprobria palam & in faciem cumulatè irrogata se post tergum locasse, ut demonstraret, omnium se deponere memoriam, ac paratum esse, oblivione delere perpetuâ.

718. Ne porro gratuitum hoc videatur comentum, firmant assertum testimonio infallibilis ac æternæ veritatis. Post gloriosam Anastasin iunxit se Dominus duobus discipulis iter Emaus versus carpentibus, & *audiens* sub tristi colloquio retexi funestam tragædiam tormentorum *passionis*, quasi nihil ipse perpessus esset, percunctatur Lucæ 24. v. 19. Quæ vos memoratis supplicia? Quis ea & qua mente sustinuit? quo suo merito tantam accendit Pharisæorum invidiam & odium? tantum concitavit in se furorem populi? En Agnum Divinum, quod facies contusa fuerit alapis decumanis, quòd tergus flagellis diriſsimè concisum & carnificatum, quòd vepribus & sævissimis iuncis fuerit dilaniatum, quod trabalibus clavis perforati pedes ac manus, quod sacratissimum corpus è crucis imani patibulo suspensum pependerit; hæc omnia Christus videtur ita ex animo misisse, ut nullam penitus acerbam retinuerit memoriam, & amicè roget,

roget, quænam acciderint? Atque ut famosus ille Cato, cum forte ac præter opinionem non nemo graviorem inflixisset colaphum, ac enixè flagitaret veniam, blandè respondit: *me non memini percussum*, Senec. de Constāt. c. 14. ita profectò filius Dei videri poterat deposuisse memoriam palmariū dolorum, qui corpus animamque prorsus absorbuerunt. Etsi juxta vetus diverbium, ut recitat S. Isid. Pelusiota l. 1. Ep. 215. *Inimicitiam in aquâ oportet scribere, ut quamprimum obliteretur.* Dulcis Jesus voluit sub vitæ terminum ex aperto latere rivum fundere salientis aquæ, ad eluendas, abstergendas & penitus abolendas injurias, viis innumeris acceptas.

Prætermittere hìc loci non possum, cum sermo inciderit de patiente Christo, quæstionis non invenustæ enodationem. Nullus credo ignorat, 719. quantum Salvator noster gestierit haurire calicem, utut horrore ac amaritiâ refertum: Nota vox est, *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*, Joan. 18. v. 11. Interim liquet, cum hostes tigribus & leopardis sæviores in Monte Golgothæo felleum propinarent calicem, *dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*, Matth. 27. v. 34. ubi extremis vix labris delibavit, recusasse potum: *cum gustasset noluit bibere*: sive, ut legimus in S. Marco ne quidem attigisse: *dabant ei bibere myrrathum vinum & nō accepit*, Marc. 15. v. 23. Si Dominus incredibili desiderio patienti plura & plura flagrabat, quare subterfugit molestiam hujus amarissimæ potionis? Scio perbene, varia & doctissima reponi quæsito huic argumenta à SS. Patribus, sed abunde in præsens mihi satisfacit Purpuratus Doctor S. Cyprianus, quod videlicet moriens Jesus in abysso tormentorum fel respuerit, ac Myrrham, ne ulla vel levissima suspicio oriri queat, aut in vulgus spargi, quod aliquam adversus inimicos in corde vel ore senserit amaritiem, cum alienus ab omni ultionis Spiritu, proclivis fuerit & paratissimus ad omnibus & singulis indulgendum. *Venena fellis*, ait B. Martyr. apud Mendoz. viridar. probl. 36. n. 100. *evomuit, ne aliquis existimaret, Christo Domino suos in hostes aliquid esse amaroris, qui levissimam saperet vindictam.*

Quàm laudabiliter opera sua huic amussi conformabunt Canonici Regulares. 720. Esto diversæ ingruant, & multiplices offensæ, injuriis obruantur, ultionis tamen consilium libenter abjiciant, in corde pariter & linguâ dulcedinem charitatis DEI conservent, proximum diligant; si enim pisces innati & assueti amaris aquis eas veluti suaves assumunt & ceu lacte nutriuntur, ut præcipuè in illis locum habeat illud Moysis Deut. 33. v. 19. *inundationem Maris quasi lac sugent.* Tu quoque ô bone Religiose, hortante S. Joan. Clim. in schola parad. grad. 4. *quotidie subsannationes & ludibria velut lac & mel bibe*, pro certissimò tenens, hac ratione agendo ac patiendo, quod fortium est, ad felicitatem paradisi, *ceu terram fluentem lac & mel*, Baruch 1. v. 20. evectum iri, imo participem fore pinguissimæ hæreditatis, quanta filios DEI addecet: sponsorem habes, fallere, & falli nescium DEUM incarnatum Matth. 5. 9. *Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur.*

Ex

CAPITE X.

Et ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere.

Qui offensus, reconciliari, haud gravetur.

DISCURSUS LXXIII.

721. INficias nemo iverit, eminentissima fuisse merita ac virtutes eorum, quibus communis plausus & acclamatio Magni cognomentũ *adiecit*, ut titulus illustris responderet gestis eximiis, & honore *anteirent* cæteris, qui heroicis factis antecelluerunt. Eam *nominis prærogati*vam, si quis alius iure promeruit Christophorus Columbus Tiphys Tenuensis, qui pauculis navibus subegit Oceanum, periculis plenissimum, scopulis malefidum, monstris terrificum, fluctibus æstuosum, procellis fervidum, assiduo turbine furibundum; qui vitæ suæ discrimine iter aperuit hactenus incompertum, & felici omine Castiliæ regno coronam inseruit dimidii Orbis. Magnus quoq; haud dubiè fuit animus Alexandri, Cæsaris, & Pompeii qui morte contemptã nunquam vibrarunt hastam, quæ non converteretur in Sceptrum, nunquam inierunt prælium, unde non triumphales reportarent lauros, nunquam cum hoste manus conseruêre, ut non eius cruore pallium suum tingerent, & *ita purpurati* reverterentur. Quid porro de magnis illis ac planè sublimibus ingeniis Salomonis, Pythagoræ, Alberti, Thomæ, Augustini dicamus? aciè suã penetrarunt cœlos, lustrarunt abyssos, illustrarunt obscura, enodarunt intricata, evolverunt recondita, & Mundum totum doctrinæ radiis feliciter illuminarunt, digni, qui conferrentur prodigioso Phænici, & aquilæ præferrentur ob altiorem volatum. At verò si meam edicere sententiam iubeor, *ait Se-*

[illegible] neca, non possum non condecorare epigraphe magni generosos illos & egregios viros, qui minimè moventur, etsi maledicis impetantur linguis, convitiis proscindantur, & sannis ac dicteriis acerbè cribrentur, qui surdâ aure prætereunt voces cynicas. Audiatur Seneca l. 2. de ira c. 32. ***Magni animi est iniurias despicere*** : *ac iterum* : ***Ille magnus ac nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit.*** Hac præstantissimâ virtute Religiosos suos excellere mirandum in modum desiderat S. Augustinus, iniungens singulis, ut si quando contigerit iniquiùs cum aliquo agi, & tractari adversus iustitiæ leges, quantocyus omnem acceptæ iniuriæ memoriam ex animo deleant : ***meminerit & ille qui læsus est sine di-***

scepta-

sceptatione dimittere. Atque hoc ipsum esse specimen præclaræ, generosæ ac Magnanimæ indolis, comprobare præsenti discursu constitui.

Aurea Salomonis sententia solidum mihi subministrat fundamentũ: *Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est, iniqua pratergredi* Prov. 19. v. 11. Splendida Sapientum integritas, magis elucet in exercitio tolerantiæ, quàm copiâ verborum & documentis subtilibus: quos unusquisque alat spiritus, apertè prodit, si constanti & inconcussâ mente adversa accipit, & paratus ad patiendum magis, quàm operandam grandia, nominis celebritatem comparat, qui corde Leonino adspernatur irrogatas contumelias, & sensisse dissimulat: quippe *gloria eius* est *iniqua pratergredi:* quod, interprete Cornelio, est *iniurias sibi illatas alto pede, & animo excelso transgredi, despicere, & transilire.* Quo ipso sensu iubetur à S. P. Augustino: *Ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere.* 722.

Circumducite per Orbem animos oculósque, lustrate elapsa sæcula, præsentem mortalium statum pensiculatiùs considerate, & constans docebit experientia, non modo perpetuum intercessisse dissidium inter vitium & virtutem, semper oblatrâsse sceleratos viris bonis, sed etiam hos adamantino corde obstitisse, durâsse imperterritos, & instar Marpesiæ cautis imotos elisisse insurgentes procellas. Testem locupletem addûco S. Laur. Just. de interiori conflictu c. 2. ubi subscribit experimento his verbis: *semper bonorum conversatio malorum persecutiones pertulit.* Verùm proscindatur terra liratim rostrante ferro, non sentit illa, sed idonea efficitur producendæ lætiori segeti, *vomere scinditur ut germinet.* Circumcidat Vinetor palmites, & surpiculâ luxuriantem vitem quotannis deputet, non odium rependit, sed copiosiorem spondet vindemiam, & *uberiorem fructũ exhibent.* Haud secus famuli DEI, ut terra fertilis, abundantem fructum afferent in patientiâ, vel tanquam spirituales vites negligendo, aut libenter indulgendo, quas molestias acceperunt, pergit laudatus Doctor l. c. *ab adversariis veritatis iusti opprimuntur, & tacent, temporalium damna patiuntur & diligunt, calumniantur & obsequia impendunt, &c. Non enim hostibus suis irroganda mala, sed æquanimiter patiendo adversa, de huius sæculi stadio triumphaliter discessêre.* 723.

S. Evangelista Marcus c. 11. historiam recitat observatu cumprimis dignam; paulo antequam trajiceret Redemptor noster torrentem amarissimæ passionis, ac mortis, Bethaniâ movit Hierosolymam, & famelicus circumspiciens advertit non procul à viâ frondosam ficum, accessit famelicus, & nuda folia, fructum reperit nullum; patrocinium tamen suscipit sacer historiographus, & iustam obtendit causam infæcunditatis, *non erat tempus ficorum,* v. 13. nihilominus diris devovet, & perennem sterilitatem 724.

 im-

imprecatur Dominus eâ verbi efficaciâ, ut extemplo areſceret. Quis non miretur hanc agendi rationem in manſuetiſſimo Salvatore? arbor ſuâpte naturâ incapax erat culpæ, quid igitur pœnas tam acerbas perſolvat? quid tantopere infinita Chriſti bonitas in eam excandoſcit, & fulminat? præterea Evangeliſta ipſe inſontem pronuntiat, & excuſat, cur tantâ maledictione percutitur? Myſterium explicemus. Teſte Apoſtolo ad Gal. 5. v. 22. ſervi DEI nequaquam debent infæcundi eſſe, at verò *fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas.* Cuiusmodi fructus Divina providentia non ſolùm produci vult aëre ſereno, tranquillâ & felici tempeſtate, cùm videlicet liberaliter ac benignè tractamur à proximo, & ad votum omnia fluunt: nec adeo magnæ molis eſt benevolentiâ proſequi amicos, beneficia rependere fautoribus, amare, & viſceribus charitatis complecti, quos novimus nobis optimè affectos, ſed jubet DEUS etiam inclementi ac auſtero tempore eſſe fertiles, cum habemur maligniùs, & violenter divexamur, cum meta ponimur opprobriorum, cum iniuſto odio laceſſimur ac opprimimur; hic labor, hoc opus, oblatrante naturali propenſione, dulces fructus progenerare, inſitum genium & amaritudinem reprimere, rancorem ſuffocare, diligere eum, qui offendit, ignoſcere, qui rebus noſtris perniciosè incommodavit, hoc exigit DEUS, &, ſuadente Africano oraculo: *ille qui læſus eſt, ſtatuat ſine diſceptatione dimittere.* Hi fructus certè Divino palato arrident, & deſiderio ac guſtui ſatisfaciunt, quod eleganter expreſſit Origen. hom. 16. in Matth. ita perorans: *Cùm amicus tuus tibi benefacit, ſi charitas tua eum diligit, reddit ficus fructum in tempore ſuo, quod ſi inimicum diligas, tunc ficus profert fructus in tempore non ſuo. Porro Chriſtus non ſolùm vult fructus in tempore ſuo*, amando ſcilicet qui ſerviant genio noſtro & benefaciendo, viciſſim à quibus munera recipimus, *ſed etiam cum non eſt tempus fructuum opitulando inimicis*, & veniam largiendo iratis hoſtibus. *Vult enim ſuos meliores eſſe omni naturâ, à quibus exigit opera magis DEI, quàm hominum.*

725. Hinc perſpicuè intelligetis, quamobrem vultus Moyſis ſtupendo quodam privilegio irradiatus, tantâ luminis copiâ perſtrinxerit Iſraëlitas, ut nequaquam pares eſſent ſuſtinendo fulgori, perhibente Tharſenſi 2. Cor. 3. v. 9. *Non poterant filii Iſraël intendere in faciem eius propter gloriam vultûs eius.* Moyſes, omnium confeſſione, erat vir *mitiſſimus ſuper omnes homines*, nec facile quis verbis explicet ſatis, quantâ benigitate ſupportarit pervicaciam populi ſui, nunquam non inceſſentis iniuriis atrociſſimis, vel ipſum adeo exitium molientis. Quantâ obſecro veſaniâ & improbitate apertam ſeditionem non ſemel moverunt? quoties ſerpentinas linguas acuerunt adverſus optimum ducem, & ſua venena eructarunt? Nunquid

ſacrilego auſu etiam lapidibus obruere decreverant? Et tamen, rem planè admirabilem! inter turbines ita concitatas, in ſævâ hac omnia ſuſque deque vertente tempeſtate, malatia perſtitit in generoſo Moyſis pectore, tranquillitatem nunquam amiſit. Struthionis calore concoxit ac digeſſit ferro, & calybe duriora opprobria; hauſit amariſſimum potum velut ambroſiam, & extremam ſubditorum malignitatem, ac fatalia odia compenſavit ſummâ benignitate, charitate atq; beneficentiâ. Mellcâ ſuâ Suadâ Archipræſul Mediolanenſis applaudit l. 2. off. c. 7. *Quantas Moyſes à populo illatas abſorbebat contumelias? quàm miti ſermone poſt iniurias appellabat populum, conſolabatur in laboribus, deliniebat oraculis, ſovebat operibus.* Et quoniam proferebat dulciſſimos fructus etiam *in tempore non ſuo*, eoq; pacto prodebat *opera magis Dei quàm hominum*, idcirco ſtipatus fuit glorioſis ſpendoribus, & Deo proprior quàm hominibus cum mirâ apparebat Maieſtate: *Meritò æſtimatus eſt ſuper homines*, *concludit* magnus ille Archi-Epiſcopus, *ut vultui eius non poſſent intendere.*

Facundia Ambroſii admodum fluminis ubertim profuſa in laudem ac comendationem manſuetudinis, quâ Moyſes præfulſit in tolerandis tot iniuriis, ab ingrato & contumaci populo in ſe congeſtis, latiùs exuberat, 726.
ubi in filium Dei incidit, quando in horto Gethſemani ſpectaculum edidit, quale poſt homines natos non vidit Mundus. Deſcivit ex caulâ cœleſti ovicula, & in diabolicum imigravit lupum: extendit Judas ad collum Divini ſui Magiſtri non iam humana brachia, ſed ſpiras & volumina colubrina, quibus affligatur humi, qui terram ſuſtentat: ſub amici ſchemate, & ſuco baſii, velut virulenta ſurdaq; aſpis toxicum lethale in vitæ autorem evomuit, atq; ut cum Ambroſio loquamur: *amoris pignore vulnus infligit, & pacis inſtrumento mortē irrogat.* Et tamen o prodigium inexhauſtæ pietatis! Jesus tam propudioſè habitus, ut amicum excipit traditorē perfidum, admittit oſculum, quod intimè perſpexit execrando ſacrilegio contaminatum. Equidem oſtendit, proditionem ſe non latere *Juda oſculo filium hominis tradi*? ſed flamas non vibrat iuſtæ vindictæ, vel ardentis iræ: ſupplicium non exigit, peramanter ſuſtinet, unde attonitis exclamat S. Ambroſ. *Magna Divina ſignificatio poteſtatis, magna diſciplina virtutis! & conſilium proditoris aperitur, & adhuc patientia non negatur.*

Portentum hoc eſſe Divinæ tolerantiæ palam eſt, quamvis non in eo
duntaxat evētu mirabiliter eluxerit, ſed per totum ignominioſæ paſſionis 727.
decurſum in cumulo ærumnarum, primas ſibi ubiq; vendicârit: etſi enim vinculis & catenis oneratus, & conſtrictus fuerit in horto olivarum, alapis & ſputis fœdiſſimè tractatus in ædibus Caiphæ, flagellis & ſpinis dilaniatus in prætorio Pilati, clavis confoſſus, aceto ac felle potatus, & imani ſævitiæ

sævitie interemptus fuerit, & potuisset solo nutu vel fulmenè cœlo in hostes vibrare, vel dehiscente terrâ in arcum præcipites agere, vel Angelis Ministris ad internecionem delere. *Attamen*, ut optime notat S. Greg. Nisſ. l. de profectu Christian. form. *hac omnia miti, patientiq; animo pertulit vitæq; suæ per se ipsum leges patientiæ dedit*, ut tanto incitatus exemplo ille, *qui læsus est, addiscat, sine disceptatione dimittere.*

728. Hanc patientiæ semitam sanguineis vestigiis signatam ô quàm feliciter decurrerunt Christiani Heroes! Stephanus saxorũ tempestate obrutus, non in pedes erectus, pro se ipso deprecabatur propitium Numen, at genibus flexis humi fusus exoravit pro inimicis ac interfectoribus, volens æquissimo animo, qui mortiferè *læsus est, sine disceptatione dimittere.* Saulus attonatur cælitùs, nobilissimo usu oculorum orbatur, terræ *affligitur*, & tremebundus percussorem affatur. *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. v. 6. ita qui læsus est, parat sine disceptatione dimittere. Jacobus minor, Judæorum feritate deturbatus, è pinaculo templi, cum fractis cruribus ad metam vitæ properaret, supplex accidit Divinæ bonitati: *Ignosce eis Domine, quia nesciunt, quid faciunt*. Brev. 1. Maij. Jacobus alter Germanus S. Joannis frater, cum veniam flagitaret, qui detulit ad judicem, & necem violentam adscivit, affectu prorsus mirabili Deum interpellans: *Pax*, inquit, *tibi sit*, Brev. 25. Jul. Constantinus Magnus, ut S. Chrysost. meminit, hom. de principatu, certior factus enormi crimine quorundam seditiosorum in statuâ suâ se fuisse offensum, quod ea lapidibus impetita, ac frustatim comminuta jaceat, exporrectâ fronte, læto ac renidente ore applicuit manus pectori, genis, capiti: Et nullum, inquit, ego vulnus, nullam læsionem comperio, *nihil sentio damni*: nimirum, qui supra modum *læsus est, vult sine disceptatione dimittere.* Theodosius Imperator id etiam sancivit l. un. Cod. si quis, ne Majestas Cæsarea sese demittat ad vindictam à maleferiatis læsoribus exigendam: *si enim id ex levitate processerit contemnendum est, si ex delirio condolendum, si ab injuriâ, dimittendum.*

729. Sed ubi relinquimus eximiam Concanonici Nostri S. Ubaldi charitatem? Eugubinam rexit Ecclesiam eo justitiæ zelo, & probitatis exemplo, ut omnium *bonorũ* dignus evaderet amore, malorum verò odium non effugeret: Manus *violentas* injecit faber quidam, nescio quâ causâ irritatus, & S. Episcopum in *foveam calce vivâ* refertam grandi sacrilegio præcipitavit. Totam civitatem pessimè *habuit* ea optimo pastori illata injuria, & nefario homini pœna debita adornabatur, at B. Præsul dolẽs ex animo ærumnosum statum viri, facinus proprium jam *detestantis laxavit* brachia in asylum reo, & quantumvis læsus, ad pacis osculum lætissimus excepit.

730. Exemplar absolutum, quod omnis bonus Canonicus Regularis imitetur! ostendat externâ facilitate in remittendis injuriis, qualem in corde benignitatem foveat; sequatur prudens consilium Senec. 2. de ira c. 32. *sæpe satius fuit dissimulare, quàm ulcisci.* Arbitrum propriæ causæ Deum constituat, qui sententiam, ferret æquissimã, & cuiq; pro merito rependet. Nullus ambigat, talem se inventurum Deum Judicem, qualẽ se præstitis in reum proximum, & liberali delictorum veniâ aliis impertitâ movebit cælestem Patrẽ ad Clementiam, ità perorat Aureus Ecclesiastes hom. de prodit. Judæ *Cùm de inimici culpâ dissimulas de tuis delictis solitâ benignitate Dominus exoratur.*

Ex
CAPITE X.

Quando necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit - Non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis, &c.

Non teneri Prælatũ veniã petere à Subditis, licet duritie excesserit.

DISCURSUS LXXIV.

IN spectabili hac universitatis machinâ suis quæque ordinibus ita disposuit providentia divina, ut inferiora regerentur à superioribus, & ista imperio subderentur Omnipotentis Monarchæ. Custodiendis gregibus præsunt pastores, & populos gubernant Reges & super hos extenditur sceptrũ supremi Numinis, accinẽte Venusino vate l.3.od.1. 731.

Regum timendorum in proprios greges.
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Porrò in mirabili hac leges dantium & recipientium serie illud observandum, quod licet maiestas regnantis, si forsan duriùs tractavit subditos, nõ teneatur se submittere, ream fateri, culpam deprecari, minimè tamen immunis sit à rationibus supremo tribunali reddendis, & erratis suis profundâ submissione ac pœnitudine expungendis. Atq; hæc est maxima, quam suos docuit Prælatos S. Aug., sunt illi tanquam Pastores, Præpositi candidis Canonicorum gregibus, si ergo contingat, quod hominum est, obtentu Zeli gloriæ Divinæ & regularis observantiæ abripi in rigorem æquo duriorem, ac insolitam austeritatem, *quando*, inquit, *necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos verba dura compellit*, excusatione opus non est, ne autoritas iminuatur, *non exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis, sed petenda est venia ab omnium Domino.* Huic argumento paucis enucleando accingor.

Et verò si Prælati numeris suis absoluti, totisq; præcordiorum affectibus in vigorem disciplinæ, & Dei honorem incumbentis officium suis momentis libremus, dubitare non possumus, correctiones nonunquam adhibendas esse ignitas & malleorum ictibus ad diffringenda durissima saxa necessariis haud absimiles. Paradigma cernere est in Jerem.c.23.v.29. *nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus & quasi malleus conterens petram?* Eiusmodi acrimoniâ & rigore percutit S. Noë impium filium cum posteritate suâ: *Maledictus Chanaan Servus Servorum erit*, 732.

Gen. 9. v. 25. & mitissimus Jacob duriùs invehebatur in filios suos Simonem & Levi compellans *vasa iniquitatis bellantia*, Gen. 49. v. 5. & subdit, *Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Isaias quoq; Hebræum populum asperiùs obiurgat c. 48. v. 4. *Scio quia durus es, & nervus ferreus, cervix tua, & frons tua ænea est.* Quo agendi stylo longè ante utebatur Magnus Moyses, superbam pervicacemq; nationem suam affatus Deut. 32. v. 27. *Scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam.* Quis ignorat invectivam planè peracerbam Israelitis à S. Steph. Act. 7. v. 51. intentatam? *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis*, &c. Nec Tharsensis Præco mollibus semper & blandis usus est hortamentis, vox eius est: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* Gal. 3. v. 1. Et Tito de Cretensibus tractandis modum præscribens: *Increpa illos durè*, ait 1. Tit. 1. 3. Quid dicamus de maximo præcursore Joanne Baptistâ? Palæstinos sine palpo, ut merebantur, vocat *genimina viperorũ*, Luc. 3. v. 7. Quid de Salvatore ipso? num pepercit Judæis asserens, *vos ex patre Diabolo estis, non auditis quia ex DEO non estis.* Joã. 8. v. 44. En quantis exemplis condoceatur Prælatus, vitiosam subditorum duritiem edomare & retundere duris etiam increpationibus. Qua de re sapienter Humbert. c. 152. ita ratiocinatur: *sicut enim propter duros lapides inventi sunt mallei duriores, sic quorundam duritia requirit, ut causâ disciplinæ duris verbis corrigantur.*

733. Arescentibus in horridâ & vastâ solitudine præ siti Israelitis, præcepit Dominus Moysi & Aaroni vicinam alloqui rupem, quæ continuo in scaturiginem vivam raro prodigio sit immigratura, & laticem fusura, non minore limpiditate, quàm copiâ, ad sitim unà & obmurmurationem extinguendam: *Loquimini ad petram & dabit vobis aquas.* Num. 20. Moyses arripiens Thaumaturgam virgam semel ac iterum, ut Voti damnaretur, saxũ verberat, *percutiens virgâ bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ:* Quasi tacitè ita secum reputaret, ut imota rupes obtemperet, verba haud evincent; vi maiori opus, accomodare oportet duriores ictus indoli saxosæ, in perenne documentum, cor durum asperis mediis & rigoribus subigendum esse, qui planè conceptus est Præsulis Africani: *Necessitas disciplinæ in minoribus corrigendis dicere vos verba dura compellit.* Quin ipse Altissimus & Omnipotens DEUS noster in obstinatis cordibus patraturus prodigia instar tonitrui vocem attolit: *Deus Maiestatis intonuit*, Ps. 28. v. 3. emphasi tam stupendâ, ut confestim subdatur: *vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ.* Cedri Libani, genuina superborum symbola disiiciuntur, & stirpitus evelluntur; *vox Domini confringentis cedros;* flammæ iracundiæ, & cypriæ libidinis faces dissipantur, *vox Domini*

inter-

intercidentis flãmam ignis. Tesqua inhospita, & sterilia cõmoventur, & abeunt in fœcundam planitiem: *vox Domini concutientis desertum*; Cervi per saltus & nemora vagabundi mutantur in purissimos Spiritus, & templum, venerandi Numinis ergò, frequentant: *vox Domini præparantis cervos, & in templo eius omnes dicent gloriam.* Unde perspicuum fit, voces reprehensionis, & verba duriora non parum cõmodare spirituali proximorum nostrorũ profectui; etiamsi eam facile non sit, limites non egredi; & zelo stimulante non plus æquo succensere: veruntamen si contingat illud, necesse non erit se submittere inferioribus ne vilescat & enervetur regiminis potestas, quod sapienter cautum voluit S. Legislator: *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur Autoritas.*

In sacro Deuteronomii Codice Moyses cõmemorat tres refugii ci- 734.
vitates providè assignatas fuisse, quæ securum præstarent, quisquis homicidium absq; suâ destinatâ culpâ, sed mero casu quopiam ac præter intẽtionem admisisset. Deut. 19. v. 5. ponamus exemplum, ait Divina pagina in allegato loco: Amici duo ingrediuntur sylvam, lingua cæsuri, & securis unius fugit manum, ferrúmq; lapsum de manubio alterum percutit & occidit: profectò nullius culpæ reus est ille amicus, nec etiam pœnæ subjiciendus: sed potiùs asylo protegẽdus, ne detrimentum aliquod patiatur. Non aberraverit à vero, qui simile quid multoties, contingere dixerit in correctione, quam Prælatus adhibet delinquenti subdito. Certè Hugonẽ Victorinum habebit efficacem Patronum, ita cõmentantem in istum Regulæ locum: *Cùm delinquentium vitia piâ intentione resecamus, & securis manum fugiat, cum se se increpatio plus, quàm necesse sit, in asperitatẽ protrahit*, quoniam intentio superioris ritè ordinata est, quemadmodum offensa imputari nequit, *& reus perpetrati homicidii non tenetur, ita pariter im̃unis est ab onere*, se se vel submittendi, vel causam tutandi, adeoque ut S. Augustinus monet, *etiam si modum vos excesisse sentitis, non à vocibus exigitur, ut à nobis subditis veniam postuletis.*

Concordem tum Romanorum veterum, tum Græcorum comperiet 735.
sensum, qui annalium replicare monumenta voluerit. Plut. l. Qua quis contra invidiã, &c. perhibet, illustrissimum Archistrategum Periclem, cũ argueret nonnullorum malignitas, plura consilia minus feliciter, cessisse, imperterritum, nec aliâ excusationis mentione factâ respondisse: *Nemini vestrûm cedo, vel peritiâ rerum, vel elocutione intellectorum, vel amore patriæ, vel pecuniæ despicientiâ.* Tantùm aberat, ut se pateretur deprimi, ut potiùs ipse buccinator propriæ gloriæ ac meritorum palam se cæteris nec parcè nec falsò anteferret, ringentibus quantumvis furentibúsq; æmulis, atq; subjungit: *Et altitudinem animi, & virtutis declaravit magnitudinẽ, quæ dejici ac frangi non est passa.*

Titus

736. Titus Livius, ut aliorum prætercam testimonia, l. 8. Decad. 4 Meminit Scipionis Magni, victoriis & rebus præclarè gestis celeberrimi, quo pacto eluserit vel contempserit accusationem: Tribunus plebis proditionis crimen intulit, eo, quod acceptâ in privatum comodum magnâ vi pecuniarum, pacem cum Rege Antiocho pepigerit. Is præfixo depellendi criminis die suggestum conscendit, & insuper habitis cavillis mirâq; fiduciâ animi perorat in hæc verba: Eia Romani cives, quandoquidem fortunatissima hæc dies est, qua memorabilem reportavi victoriam, fuso truculento Hañibale, quà superbam Carthaginem sub iugum Romanorum misi tributariam, qua patriam totam periculo extremo, & calamitatibus iam iam impendentibus eripui, fugiamus turpem ingratitudinis labem, convolemus ad Capitolium Diis imortalibus victimas & incensa imolaturi. *Ita defensione* omissâ, tota Concio festis acclamationibus triumphanti *quàm Reo* similiorem comitata est in templum, & gratulata omnium *lætitiâ*.

737. Sed ecce occurrit recentius simul ac longè præstantius exemplar! Mariam Stuartam laudatissimam Scothorũ Reginam nomino, mulierẽ sanè fortissimam & Heroinam invictam: viginti omnino annos tetrum carcerem sustinuit tribunali quorundam Judicum, qui cruentæ morti destinârunt, antequam vel culpam agnoscerent, vel patrociniũ admitterent, præsentata, & obiectis aliquot perduellionis sceleribus, defendere se iussa, negavit rotundè, Judices eos competentes sibi esse, nec ullâ in se autoritate pollere, utpote quæ soli Deo subiecta, in terrâ temporarium superiorem non agnoscat libera & absoluta Regina: Nec animo cecidit, quantumvis humanam opem videret omnem præcisam, sed maluit millies oppetere mortem, quàm latum unguem cedere, vel minimum Regiæ dignitati suæ inferre præiudicium. Eandem prævivit semitam Servator Mundi; Luctuoso passionis tempore, cum Innocentia fieret rea, gloria infamis, Dominus universorum servituti subiectus, cùm Christus spoliaret se se lætitiâ cordis, decore adspectûs, salute corporis, lumine honoris, thesauro vitæ, cùm cruciatus perferret incredibiles, Prô quanta obiectata fuerunt ab *iniquissimis* accusatoribus flagitia! quot calumniis impetitus fuit? at neq; verbulum ullum reposuit, silentium observans prorsus stupendum. Idem sæpenumero quæstiones pauperum discipulorum placidè enodavit, Scribis econtra & arrogantibus Pharisæis offensis satisfacere noluit, probè gnarus, nihil emolumenti inde capturũ esse, ut scitè adnotavit Humbertus c. 135. *Neque enim Dominus*, inquit, *Judæis scandalizatis ex eius dictis vel factis legitur unquam satisfecisse, & hoc, quia sciebat, quod non proficerent ex hoc, quamvis discipulis interdum simili causâ satisfecerit.*

738. Nullâ igitur ratione convenit, maiorem subiici minoribus, & opera

sua,

sua, quæ censurâ quadam inurenda, vel nævo possint videri infecta, eorum comittere disquisitioni. Equidem nimis temerarius sit ille calculo omniũ, qui præfidenter Dominum Deum, supremum rerum Molitorem & arbitrum, incesseret, & operationum exigeret motiva. Unde Job c.9.v.12. loquens de DEO interrogat: *Quis dicere potest cur ita facis?* Qui ausit rimari aut petat rationes sibi exponi, quare Omnipotēs manus vastissimam aquarum molem ripis concluserit velut carcere, cum innocens sit Oceanus? Quare terram inhabitationem mortalium destinatam extenderit alibi in sterile ac aridum desertum, alibi in arenosum æquor diffuderit, ingentes tractus ob vitium climatis, aëris, Cœli, aquarũ insalubritatem, effecerit inhabitabiles? Quare pretiosos lapides, mytras, Pontificum, & Regum diademata exornaturos, absconderit in abysso maris, in cæcis terrarum latibulis? Quis *dicat, cur ita facis?* si videat ærumnis opprimi Justos, sceleratos natare deliciis, ac omni felicitate? Herodes, Nerones, Diocletianos radiare & adorari super solio Regali, Petrum, Joannem, Jacobum gemere inter manus carnificum? si advertat exercitus Catholicorum ab infidelibus expugnari, cædique, barbaras ex adverso nationes palmis & victoriis insolentes sæpius triumphare? Quis obganniat, *cur ita facis?* si audiat Jacob & Esau priusquam meritum aut demeritum ponerent, boni malive quidquam gererent, alterum electum fuisse, alterum reprobatum? Populum Israeliticum, tot Divinis cumulatum beneficiis, eò tandem devolvi, ut fontem vitæ, & Principem gloriæ in crucē ageret? Ipsum filium Dei, cum penitissime dispiceret, quidquid eventurum esset, voluisse tamen in discipulũ adlegere Judam, qui proditurus erat, & assumere in vas electionis Paulum, qui persequebatur Ecclesiã, & iñumeris Christum blasphemiis lacessiverat?

Jam verò quemadmodum nefas est Christiano, si mentis obtutum defigat in recondita Divinæ providentiæ mysteria, interpellare Dominum ac importunè sciscitari: *cur ita facis?* sed oculis clausis potiùs ratum habere, ac approbare tenetur, quidquid illa disposuerit: ita rationi cōsentaneum est, subditum Religiosum, si fortè Prælatus, personam numinis repræsentans, rigore quodam ingrato utitur, & asperiùs tractat occinere? *cur ita facis?* Nec superior debet, si mansuetudinis excessit limites, & prorupit in verba iusto duriora, errorem purgare, aut reum se agere coram subdito qui altiores inde Spiritus conciperet, autoritas gubernandi vilesceret, ac hebetaretur. Quapropter in eiusmodi eventis *petenda est venia ab omniũ Domino:* illo nimirum DEO conditore & Judice nostro, qui corda scrutatur ac renes, huis impensè supplicandum, indulgere dignetur, quod perperam, aut per intrensecs animæ cupiditates, aut zelum præfervidum sed minùs oculatum, aut aliter dictum factúmque fuit. 739.

Ex

CAPITE XI.

Honore coram homninibus Prælatus sit vobis.

Prælatis reverentiam deberi.

DISCURSUS LXXV.

740. APum indoles, mille cæteroquin titulis admiranda, in eo prorsus est prodigiosa, quod tantâ veneratione in Regem suum ferantur: alveari egreditur? mox omnes strictis aculeis, *alisq; explicatis* insequuntur, latus stipant, & obsequiosè *adhærent.* Volatũ designat in hortorum delicias, velut recreationem capturus? omnes impigrè circumdant, procerum in morẽ famulantur. Floridos colles aggreditur, nectareas plantarum divitias expilaturus, & innocenti prædâ sibi suisque alimoniam, nobis mel & ceram paraturus? nulla subterfugit laborem, omnes impensè desudant in opere comuni: declinaturus solares æstus, cubile suum & quietem repetit? applaudunt & personant rauco bombo, ac domum officiose redeunt. De quibus apum proprietatibus Philosophorum Alpha l.9. hist. animal. testatur. *Reges nunquã prodeunt foras, nisi universâ cum plebe*: suffragatur Plin l.11. c.17. *Miræ plebis circa eum obedientia, cum procedit una est totum examen* Et Virg. 4. Georg. v. 215. *Illum admirantur, & omnes circumstant fremitu denso, stipantq; frequentes.* Unde Emblema efformatum fuit cum epigraphe, *æmulantur obsequiis.* Dignum prototypon, quod Religiosis in præsens, quomodo Prælatum omni affectu, honore & obsequio prosequantur, ante oculos constituam. Eius quippe imitatione non modo Ecclesiastici documento c.10. v.24. *in medio fratrum rector illorum in honore*, verùm etiam S. P. Aug. paternæ voluntati satisfacient: *honore coram hominibus Prælatus sit vobis*, persuadente quoque rationis lumine, ut Humbert c. 167. interpretatur: *quod à subditis habeatur in reverentiâ & honore.*

741. Fundamentum discursûs perquam solidum Doctor gentium subministrat, cum Timotheo suo perscribit: *qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt.* Si cunctis Christi fidelibus, cunctis Religiosis, cunctis Sacerdotibus sua debetur existimatio, respectus, ac veneratio, Pastoribus animarum profectò & Prælatis duplici nomine, & longè maior reverẽtia est exhibenda, in quibus nempe honorẽ meretur & virtus propria & gradus dignitatis; eminent doctrinâ & auctoritate à Deo collatâ præfulgẽ-

cul

cultúsq; eorum redundat in supremum Auctorem, ita comentatur Hugo Vict. hic, *ideo scilicet honorari debet, qui Christi vicem in monasterio tenet*, & B. Humbertus l.c. *honor enim exhibitus Prælato exhibetur Deo, quia ipse dicit, qui vos audit me audit.* Quamobrem esto, Prælatus suis laboret defectibus, & ideo minùs videatur dignus, quem observantiâ & veneratione multâ afficiamus, nihilominùs quia potestate Dei vicariâ gaudet, & assumptus est in ministrum vices Numinis sustinentem, si non merita propria, certè officii dignitas exigit deferri honorem, ut mellifluus docuit Ber. ser. 3. de advent. inquiens: *etsi manifesta inotuerit indigna Prælati alicuius vita propter eum tamen, à quo est omnis potestas, excelsum reputare debemus non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, & dignitati ipsius officii deferentes.*

Cui veritati roborandæ non parùm conducit locus ex S. Apocal. pensiculatiùs consideratus: Filius Dei aliquot ibi Epistolas consignat septem Episcopis septenas civitates aut Ecclesias Asiaticas gubernantibus: eos profitetur esse totidem Stellas præfulgidas, aut Angelos humanâ vestitos carne: *septem*, inquit Apoc. 1. v. 20. *stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum.* Quales stellæ aut Angeli? nunquid pleriq; illorum videlicet Episcopus Ephesi, Pergami, Thiatyræ, Sardis, Laodiceæ arguuntur gravieri noxæ, & palmarii erroris? Quid ergo homines imperfecti, vitiis irretiti, & rei grandium culparum tam honorificâ stellarum & Angelorum compellatione afficiuntur, qui non sidereum fulgorem, sed Cimerias referebant tenebras, nec puritatem Angeli, sed multiplices nævos oculis Divinis objiciebant? sed evolvamus Mysterium: Antistites illi non equidem vacabant compluribus erratorum maculis, quia tamen Prælatorum eminebant potestate ac sublimitate, non jam vita reprehensibilis, & perversi mores cribrabantur, sed Ecclesiastici statûs prærogativa ostendebatur suspicienda. Quod appositè ex Rup. Abb. discimus: *Ecclesiarum Præsules*, ait, *quamvis aliqui pro vitâ propriâ reprehensibiles sint, & Angelos, & Stellas appellare maluit, &c. & rectè quidē, quia Sacerdotes, sive præsides, quamvis interdum pro suis actibus sint obscuri, pro officio tamē lucent*, &c. Pari sententiâ cum suis alumnis ratiocinabatur B. Pet. Dam. opusc. 13. c. 30. *Nolite de priorum vestrorum perperam fortè viventium meritis disputare, & non qua viâ gradiantur, sed cuius vice fungantur attendentes, illis in Christo humiliter obedite.* Hæc una sit amussis, ad quam componatur vestrum parendi studium, & reverentiæ affectus. 742.

Quis unquam mortalium, miserabilior & abiectior Saule, quem dereliquit Clementissimum Numen & furiæ orcinæ fœdum in modum excruciabant. Nihilominus David profundissimâ observantiâ *Christum Domi-* 743.

ni vocat, & honorem defert, inquit Hypponensis Præsul Quæst. 35. vet. Test. eo quod à DEO sublimatus fuerit ad culmen dignitatis regiæ, idcirco tanquam à DEO electum, & velut ministrum DEI suspexit indesinenter, *ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decrevit.* Cùm autem nullus in dubium vocare possit, fastigium celsitudinis regalis, perinde ac eminentiam Ecclesiasticæ hierarchiæ à DEO, liberali manu suâ munera distribuente derivari, Deique peculiarem in utroque statu tam Principum, quàm Prælatorum relucere providentiam: *Dei enim imaginem habet Rex*, subiungit S. Augustinus, *sicut & Episcopus Christi, omnino honorandus est*, si *non propter, se saltem propter ordinem*, ne DEO iniuriam facere videatur, qui his ordinibus honorem decrevit.

744. Et verò non decrevit solummodo DEUS, sed cumulate ipse *honorem* impertivit viris, cæteroquin planè consceleratis, ab ipso tamē *ad culmē Ecclesiasticæ* dignitatis evectis. Aaron immani se crimine obstrinxerat, obmurmurans Moysi, & temerariâ linguâ Sanctissimam eius vitā impiè proscindens. Attamen cum Sacerdotali gauderet prærogativâ, tanto eum honore dignatus est Dominus, ut grassante in seditiosam plebem horrobili incendio, quo vastabatur, quidquid castrorum & multitudinis tabernaculum DEI ambiebat, unóq; natabant æstuario terræ, viri, mulieres, parvuli, iumenta, facultates; illico exaudiret orationem, ulteriorem cladem inhiberet, spatiumq; pœnitendi factiosis concederet. *Aaron pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Num. 16. v. 48. Heli, supremus Hebræorū Pontifex, ob nimiam indulgentiam, qua satis habuit improbos & omni flagitiorum genere contaminatos filios, submonuisse sacerdotalis muneris, cum severiùs castigare, & refractarios exauctorare debuisset sacrorum mysteriis, meruit quidem & Sacerdotali officio, & ipsâ vitâ incontinenti exui, quia tamen benè precatus est Annæ, voluit benignissimum Numen ratam habere Sacerdotis Sanctam benedictionem, & supplicem fæminam, absterso probro sterilitatis, fæcundam reddere, qua de re S. Pet. Dam. sic loquitur libello gratiss. c. 10. ad fin. *Eius benedictione non fuit sterilis uterus Anna, cui nimirum fæcunditatem imprecatus est vulva.* Subdit porro: *Hanc benedictionem efficacem reddidit non meritum hominis, sed officium Sacerdotis, & quod non habebat causa ministri, virtus exhibuit ministerii.* Homo sceleratissimus erat Caiphas, & tamen placuit DEO tam impiâ uti linguâ ad oracula prophetica fundenda: *expedit ut unus moriatur homo pro populo*, Joā. 18. v. 14. Sic honoravit DEUS dignitatem Ecclesiasticam, licet turpiter eâ vir nequissimus abuteretur, de quo S. Joan. l. c. *cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit.*

745. Pronum iam esse iudico inferre conclusionem, si DEUS tam cautè ac ho-

honorificè tractat Sacerdotes, quàm rationi consonum sit, & æquitati, præceptum S. Pauli ad Rom. 13. v. 1. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Deum igitur oppugnat, qui Prælato protervè obluctatur, consequens est, eum gravissimis excipiendum esse suppliciis. Hinc alio loco Tharsensis magnâ emphasi inculcat: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis,* Heb. 13. ac si apertè moneret interprete S. Thom. Villan. Conc. Dom. 3. Adv. *Revereamur fratres Prælatos, & honoremus, & obediamus* illis, quod ipsissimum est regulæ nostræ præceptum. *Honore invicem coram vobis Prælatus sit vobis.*

Plerique Orbis nationibus solemne semper fuit Principes demereri donis & certis pensionibus profiteri subiectionem, advertit illud Haymō in c. 2. Matth. ubi scribit: *vetus consuetudo fuit, ut nullus intraret ad Regem sine muneribus.* In Perside testatur Philipp. l. 13. c. 16. fixâ lege sancitum fuisse, ut Regi provincias suas obeunti, lustrantiq; unusquisq; subditorū pro facultatū ratione quidpiam largiretur: hinc nescio quis colonus, cum nihil occurreret doni ad Regem munerandum, ad fontem cucurrit, & volâ manuum haustam aquam in donum obtulit. Apud Parthos more antiquitus recepto, Senecâ teste Epist. 17. *nemo Reges salutare poterat sine munere.* Japoniæ Princeps ac Satrapæ statis temporibus supremum Insulæ Monarcham revisunt, reverentiam simul & donaria copiosa deferentes. Magnum Orientis Dominum Turcarum Tyrañum, si Oratores ac Legati adire cupiant, viam amplis muneribus coguntur aperire. Pariter è Sacris paginis liquet, Hebræos ad Eylon Moabitarum Regem destinasse munera Jud. 3. v. 17. Reginam Sabæ imensis opibus Salomonem cumulasse, 3. Reg. 10. Sanctos Magos parvulo Jesu in Bethlemitico stabulo vagienti mysticos thesauros consecrasse Matth. 2. Ex adverso perhibent Regum historiæ, malignos & inquietos nonnullos, cum eveheretur ad solium Israël Saul primus Rex: sive invidiâ stimulante, seu propriis impellētibus compendiis, prælicenter oblatrâsse, *despexerunt eum*, & *non attulerunt ei munera,* 1. Reg. 10. v. 27. quod Scriptura velut indignum facinus execratur. Sed quorsum isthæc comemorantur: nempe in Prælatis, teste Apostolorū Principe, fulget *Regale Sacerdotium,* 1. Pet. 2. v. 9. quod grato agnoscit animo Apocalypticus Vates: *fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes,* Apoc. 5. v. 10. Consequens proinde ac necessarium est, dona illis offerre, obsequii, venerationis ac honoris, ut optimè docuit Humbert. c. 167. ita perorās: *cùm homo tenetur Deum honorare, Prælatū debet honorare in corde, eum diligendo, in sermone reverenter ei loquendo, & reverenter eum audiēdo, in opere promptè obediendo, devotè serviendo, reverenter assistendo.* 746.

747. Paradigma cupitis, & vivam imaginem eiusmodi remunerationis obsequiosæ Prælato exhibitæ, mentis oculos in Samuelem intendite; à primâ pueritiâ mancipatus erat servitio Pontificis Heli, tabernaculi, & altaris, adolescentem deinde vatidicus spiritus afflavit, rerúmque arcanarum cognitorem effecit, cuius illustre cumprimis documentum fuit prænūtiatio cladis Pontificiæ familiæ impendentis. Fortè noctu somnum capiebat pro more intra tabernaculi septa, cum tertiùm voce cælesti expergefit, & minas à Divinâ iustitiâ domui Helianæ intentatas edocetur: & subiungit Sacer textus, quod insolito correptus pavore, ne mutire quidem, nec verbulo renuntiare Pontifici ausus fuerit: *Samuel timebat indicare visionem Heli*, 1. Reg. 3. v. 11. Timebat, nec satis dispicere poterat, quo pacto duodecennis puer præsumat vel obiectare scelera, vel incubitura denunciare supplicia Sacerdoti, ob devexam 80. añorum ætatem venerando, & plurimùm observando. Timebat quoniam Religiosa prudentia animíque demissio abscōdere docuit, & non gloriari, & propalare tam sublimes sibi cælitus comunicatas revelationes, unde inflari posset Spiritus, & evanescere in prætumidis sensis: sed quod plus momenti adfert, timebat, quod indecorum crederet, si discipulus præsumeret instruere præceptorem, subditus corrigeret superiorem, & Levita castigaret Sacerdotem supremum. Nec latuit, quanta deberetur veneratio Prælato; ea propter non inveniebat rationem, quomodo sustineret affligeret ac amaritudine replere Pontificem, quem toto pectore amabat, & reverebatur: Nam, teste Greg. M. in hunc locum: *Timor Samuelis non pavorem servilem insinuat, sed reverentiam debitam culmini pastorali.* Jam verò si veretur Samuel animam contristare sui Prælati, hominis imperfecti ac vitiosi adeoq; acerbas ingruentes pœnas celare nititur, quibus verbis obsecro æquabimus execrandam temeritatem quorundam subditorum, qui Prælatos optimos, & pari morum innocentiâ ac sapientiæ laude conspicuos impudenter lacessunt, irrident, detrahunt, vipereis linguis proscindunt, convitiis & ignominiis onerant? Audiant eiusmodi flagriones & turbulenta capita sententiam laudati Gregorii, tametsi contingat, Prælatū ob crimina & defectus suos reprehensibilē fieri, nihilominus *timorē reverētiæ exigit ejus ordinis celsitudo, i. e.* ipsa præeminentia status omni, & loco, & tempore magnifieri ac suspici meretur.

748. Quamvis amarissimæ passionis tempore nostrûm omnium maturâ iæ saluti tot Sanctissimi corporis plagas, & verbera, tot animi tormenta exhauserit Deus Homo, ut omnem creatum intellectum transcendāt, in modum tamen agni ad occasionem ducti constanter obmutuit, demirantibus triumphale silentium iuratis hostibus: At sonante colapho exceptus à Sacrilegorum ministrorum uno lamentari cæpit, & conqueri adversus iniuriam

tiam: *si malè locutus sum testimonium, perhibe de malo.* Joã 18. v. 22. Res mira! cum supra venerabile tergum, tanquam supra æneam incudem, horrisoni ictus præcipitantur, totúmq; subinde corpus flagellis discerpitur ac dilaniatur, ut vix ossibus suis caro hæreat; cùm sacro capiti per vim ac violentiam intruduntur paliuri, cùm fœtentibus sputis adoranda facies cõspurcatur, cum trabalibus clavis perforantur pedes & manus, altùm tacet, ubi verò alapa infringitur, dolori cedit, & palam in quiritationem errumpit? Per summam accusatur calumniam, quod demoliri, solóq; æquare Augustissimum Dei templum voluerit, quod peragrando provincias concitarit turbas incentor seditionum, quod tributum denegarit Cæsari, quin ipse regium ambiret diadema. Et ne unum quidem verbum pro defensione reponit, quamprimum verò alapa inflicta fuit: *rationabiliter, prudenterq; respondit*, ait Ephrem ser. in Pass. Dom. Quid ita? Scelestus ille lavernio præter colaphum impactum etiam insimulat Christum, quod condecentem subtrahat honorem sumo Sacerdoti: *sic respondes Pontifici? Quapropter respondere voluit Dominus, ne fateri videretur crimen obiectum irreverentiæ adversus Pontificem, cui magnus honor debetur cuiq; magnum honorem impendi volebat.* Quo facto reliquit exemplum posteris, quantâ veneratione afficiendi sint Prælati Legis Evangelicæ ab ipso electi, assumpti, & consecrati. Qui eâ observantiâ coluit Caipham sub larvâ Pontificis sacrilegum, impium, & sanguinarium Latronem.

Quapropter ex Paulo repetendum censeo: agite *obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* Heb. 13. quod ita explicat S. Th. de Villan. *Revereamur fratres, Prælatos, & honoremus, & obediamus illis*: Molestum non sit colla subdere iis, & reverentiam præstare, qui unicè procurare satagunt æternam nostram salutem; *ipsi enim invigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes*: Sin verò miser Prælatus vilipensus: *ingemiscet adversus te ad Deum*, inquit Theophilactus, pro certò teneas, *quod maiorem pœnæ ac supplicii pyram accendit, acrius vindicem ac punitorem Deum promovens*: iustæ illius querelæ cœlum penetrabunt, & ultrices flammas in caput tuum consciscent. 749.

Ponite ob oculos horrendum spectaculum in Coren Dathanam, & Abironem, perinde infames delicto, ac supplicio miserandos. Supremum Sacrorum Pontificem Deus Aaronem, Moysen verò tum civilium causarum iudicem, tum Divinæ internũtium voluntatis declaravit, quod non parùm pungebat Coren de optimatum numero, & Leviticâ propagine. ut ergo Moysen unà & Aaronem magistratu depelleret, Dathanem & Abironem adiunxit, homines potentes & factiosos, atque cuncta mox tumultu miscuit, crescente pessimorum hominum colluvie, sed Divinæ nemesis non otiosa in impia capita illico animadvertit, interierunt complices incendio, dicam an præcipitio, unà omnes, prius tumulati quàm occisi, disruptâ terrâ, voragine latè diducta uno temporis articulo in orcum deturbantur viventes. Sic legimus in Sacro Codice Num. 16. v. 31. *disrupta est terra sub pedibus eorum, aperiens os suum, devoravit eos, descenderúntque vivi in infernum*, quod patheticè describit Amb. Ep. 82. *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, & ita ab omnibus Mundi huius ablegantur* 750.

tur elementis, ut nec aërem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro. En quomodo cæleſtem iram provocet, qui Prælatos invadit! Perduelles illi & veſani ſanctis ſuis paſtoribus inſultabant, obmurmurabantque, ſed *ſicut oves in inferno poſiti ſunt.* Peſſima illa hominum lues ex toto comercio naturæ proſcribi debuit, ne contagione creaturas inficeret. Ad eorum exitium dicit Mediolanenſis Archi-Præſul terram immugiiſſe, quaſi graviſſimè vellet exhortari *diſcite iuſtitiam moniti & non temnere Divos*: & intuentes quam acerbas perſolvant pœnas obſtinati & imorigeri ſubditi, aliorum damno ſapite, *atque honore coram vobis Prælatus ſit vobis.*

Ex

CAPITE XI.

Timore coram DEO ſubſtratus ſit pedibus *Veſtris*, Qui inter vos quantò in loco ſuperiore, tantò in periculo maiori verſatur.

Prælatos habere quod timeant.

DISCURSUS LXXVI.

751. MUltiplicem Stellas inter & Eccleſiæ Præſides analogiam non ſolùm Apocalypticus Angelus edicens Apoc. 1. v. 20. *ſeptem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*, ſed etiam Sancti Patres uno ore, calamóque agnoſcunt. Stellis aſſimilantur Prælati, quoniam ad apicem dignitatis evecti, Autore Richardo Vict. ſtationem ſublimis perfectionis tenentur imobiliter cuſtodire: rectè inquit, *Eccleſiarum Epiſcopi ſtellis comparantur, non Planetis, quia in eodem ſtatu iuſtitiæ debent ſtare.* Stellæ ſunt Prælati, & propriâ virtutes luce præditæ, & aliorum comodis affulgentes, ita mellifluus Abbas à Sylv. hic q. 61. n 524: relatus verbum explicat: *Epiſcopi & Prælati debent lucere in ſeipſis per puritatem conſcientiæ, debent etiam illuminare ſubditos per charitatem.* Stellæ ſunt Prælati, quarum proprium eſt conſolationis ſplendorem affundere, præſertim iis, quos umbræ calamitatum infeſtant, ita commentatur S Aug. in Pſ. 46. *Stellæ ſunt quædam lumina in Eccleſiâ conſolantia noctem noſtram.* Stellæ ſunt Prælati, quandoquidem ſubditis alto ſopore oppreſſis pervigilant illi, & utilitatibus ſuorum ſtudent influxu vario. Mittamus ſimilitudines alias, & dicamus ad inſtitutum noſtrũ: quemadmodum ſtellæ in altiſſimâ ſpeculâ collocatæ: anxiâ quadam inquietudine, quaſi timore aſſiduo correptæ lucem tremulam pallidámq; eiaculantur, ita Prælati, edito loco poſiti, nunquam formidine imunes perpetim contremiſcunt. Unde B. Humbertus S. 68, *licet omnis homo ſemper debet eſſe*

esse pavidus, tamen Prælatis est magis timendum, quam subditis, & longè ante ipsum S. August. Legislator: *timore coram Deo substratus est pedibus vestris*: infelix quippe Prælatus, *quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur.* Quapropter timeant Prælati, tum ratione sublimitatis periculorum & curarum plenissimæ, tum subditorum intuitu, quorum gravantur vitiis, & plerumque odiis præmuntur, tum denique ob iustitiam Divinam severissimè olim in errata sua animadversuram. Quæ tria capita modò articulatiùs pensare constitui.

Si ordiri placeat à celsitudine dignitatis ac sedis, mox S. Gregorius 752.
Papa occurrit, expeditâ phrasi conficiens, quod firmatum imus: ita scribit in 1. Reg. c. 8. *praesse aliis non habemus in appetitu desiderii, sed in magnitudine timoris*, Consonat Ecclesiast. aureus in Ps. 9 *nemo de potestate sibi magnificè placeat, nec intumescat, locus enim est & lubricus & praeceps, & eos, qui non attendunt, facillimè subvertit.* Ut roboremus, lubet componere genuinum Scripturæ testimonium: Duabus vicibus Pater æternus incarnati verbi Divinitatem luculentiùs propalavit: ad Jordanem statim atq; Christus baptismate fuit ablutus, aperto cœlo vox intonuit, quam omnis turba distinctè percepit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*, Matt. 3. v. 17. Rursus in Thaborao monte viderunt discipuli suũ Divinum Magistrum imẽnso lumine coronatum, & unà audierunt è sinu mirabilis nubis resonantem vocem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Matt. 17. v. 7. Sed memoratu dignissima intervenit differentia, quod allabente cælitùs voce ad ripam Jordanis nemo unus legatur perterrefactus, nec minimè comota turba, cùm discipulos in vertice montis Thabor horror invalerit, ac propemodũ examinatos affixerit humi: *& audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde;* Miratur Chrys. & inquit hom. 57. in Matt. cum ante in Christi baptismo vox de cœlo delata est, nullus ex turbâ, qui aderant, tale aliquid passus est, quomodo discipuli in monte ceciderunt? Verùm en causam discriminis: Ad Jordanem confluxerunt turbæ, puta homines subiecti, & infimæ conditionis: in Thabor verò Apostoli primores, Prælati & Principes sanctæ Ecclesiæ convenerunt: ad littus Jordanis erat humilis situs, exors periculi planities; in Thabor minitabatur prærupta acclivitas, & arduum præcipitium: *duxit illos in montem excelsum.* Matt. 17. v. 1. Idcirco nihil metuunt turbæ, quoniam qui parum recipit, sine metu rationem reddat: trepidant verò Apostoli, ut qui elevatos se conspiciunt ad culmen dignitatis, lapsuique vicinos, & fulgor nimius excæcat oculos. Ita est, ait os aureum, *quia solitudo & altitudo & silentium erat multùm, & lumen purum, & nubes extensa, ex quibus omnibus stupor in eis congregabatur.* Nunquid &

vos cernitis, ò Prælati, in loco positi eminentiori, dignitatis lumine præfulgentes, & velut ex nubibus fulgura & fulmina vibrantes, magnam undique incumbere materiem formidinis ac trepidationis? Certè qui clavo semel admotus est, atque regimini præfectus, *quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur.*

753. De Maximo quodam ad sumas dignitates & præturas consulatúsq; comuni applausu promoto litteris consignatum reliquit Sidonius Apollinaris l. 2. Ep. 13. in supremo felicitatis statu spiritu vertiginis fuisse exagitatum, & reperisse sub splendore prensatæ coronæ felleam amaritudinē & deplorandam calamitatem: Autoris verba sunt: *Cùm venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum, quandam potestatis imensæ vertiginem sub coronâ patiebatur.* Ecce vobis vivam miseræ Prælatorum conditionis imaginem, tiarâ caput ambitur, & vertigine ac cerebri intemperie discruciatur, quò efferuntur sublimiùs, eo profundiorem casum verentur instare; adscendere creduntur quadrigâ præeminentiæ ad solium Jovis, & pronius est trisulco fulmine deturbari.

754. O quàm Nobilis, pomposa, sublimis fuit arbor Nabuchodonosori secundùm quietem obiecta! ad invidiam æris & adamantis *erat magna arbor & fortis*, arbor, quæ vertice sustentare videbatur nubes, & cœlis ramos inserere, *& proceritas eius contingens cœlum.* Arbor, quæ foliorum explicatu latè terram inumbrabat, magna fructuum ubertate turgescens: *adspectus illius erat usq; ad terminos universæ terræ.* Quid augustius, quid amænius hac arbore? sed heu! præter omnem expectationem, tanta fortitudo, sublimitas, magnitudo & Maiestas momento deficit; adest subito cælestis executor, & Divinæ minister Justitiæ, minaciq; vultu imperat: *succidite arborem*, Dan. 4. & absq; morâ consternatio & excidiū mirabilē eius celsitudinem ac robur excipit: ut Prælatus, quilibet cōdoceatur, neutiquam fidendum esse honoris fastigio, adulationi moralium; fortunæ ridentis blanditiis, vulgi acclamationibus, sed maneat perpetuò memor: *quoniam, quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur.*

755. Contingit nonunquam testudinem è palustri suâ sede ab aquilâ extractum, & unguibus correptam ad cœli confinia attolli: gratuletur eam exaltationem qui volet, nobis liquidè constat, eam non cedere in emolumentum, sed medium esse depressionis ac ruinæ, utenim sapienter dixit Academicus: *elevat, ut allidat*: evehit, ut totâ virtute illisam petræ diffringat, & opiparum inde pabulum sibi procuret, Diffiteri sanè non possumus, idem accidere permultis mortalium: *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Plures, sic permittente aut disponente Providentiâ supremi Numinis, ad primarias eluctantur dignitates, ut inde inopinato fulmine

ne deiecti, fluxam rerum naturam agnoscant, & animo submisso, cum vate Regio profiteantur: *à facie iræ & indignationis tuæ, elevans allisisti me.* Ps. 101. v. 11. atque iterum: *exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus.* Ps. 87. v. 16. Vultis veritatem testibus confirmari? acquiesco. En luciferū cælestium geniorum nobilissimum primipilum; præceps corruit ex cœlorum sedibus in barathrum abyssi, nullo sæculo erigendus! En Adamum, Paradisi civem, alumnum beatitatis, gloriâ & honore mirificè exornatum; extorris factus, ad rastrum, ad aratrum, ad vultus sudorem damnatur! En Saulem initio *electum & bonum* 1. Reg. 8. v. 2. qui sceptrum & coronam pro merito adeptus est, sed postmodum violenter excussus throno, & vitâ orbatus! En Davidem, quousq; privatam exigebat vitam, vir erat *secundum cor DEI*, assumptus verò in Regem, duplici decumano crimine, adulterii videlicet ac homicidii, se se obstrinxit! En Salomonem, qui à primis, ut aiunt, unguiculis, *puer ingeniosus*, ut ipsemet non dissimulat Sap. 8. v. 19. *& sortitus animam bonam*, deflexit in provectiori ætate, factus turpe libidinis mancipium, Sacrilegus Idololatra, & impius ac scandalosus dæmonū cultor. Timeat ergo Prælatus, gnarus altiora esse minùs secura, & in sublime evectos, rariùs descendere, quàm delabi: usque adeo verum est effatum S. Augustini: *quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versatur.*

Verùm est, quod sibi Prælatus metuat præcipuè à malitiâ subditorū, 756.
non rarò professorum hostium. Haud obscurum eiusce rei argumentum, meâ quidem opinione, depromere licet ex S. Matthæo, ubi Salvator vix Apostolis impertiit potestatem pellendi morbos, fato functos in vitam revocandi, aliáq; mira comodo proximorum patrandi: *infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite* Matt. 10. v. 8. cùm paucos post versus subiungit: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, v. 16. Hac supremâ dispositione arbitror egregiè prorsus adumbrari miserū statum Prælatorum, qui nimirum velut administri DEI accinguntur maturandæ subditorum Saluti, reducendi ad gratiæ vitam iam mortuos, puritatem cordium quærendæ, & maculis lepræ contagiosæ extergendis, dæmoniis, quæ stabulantur in vitiosis mentibus, eliminandis: illi adversus Præsidem ringuntur, solicitū pastorem instar rabidi canis, vel lupi feracis impetunt, & totis viribus affligere conantur. Ita quasi nexu individuo Autoritatem sequitur invidia, alienatio mentis & odium vatinianum, quod præmonere voluit benignissimus Salvator Matt. 10. v. 36. *inimici hominis domestici eius.*

Venerabilis Patriarcha Jacob antequam fato concederet, benè pre- 757.
caturus filiis, & singulis, quæ eventura essent, vaticinaturus, ubi ad Joseph descendit,

descendit, in amabilem hanc benedictionem animum explicuit: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus adspectu.* Gen. 49. v. 22. Quātacunq; autem fuerint incrementa Josephi seu eximiarum virtutum, seu excellentium honorum, seu famæ publicæ ac existimationis reverentiæq; à totâ Ægypto præstitæ, proprii tamen fratres Josephū non ferebant, implacabili exarserant odio, livore torquebantur: *exasperaverunt eum, & iurgati sunt, invideruntq; illi habentes iacula.* Quid quæso accomodatiùs adducatur infelicitati Prælatorum exprimendæ? Quamvis eâ virtutum gloriâ excellunt, ut Mundum in æstimationem sum̄am, amorémq; sui rapiant; quamvis perfectionem non tam sectentur, quàm vivo exemplo sectandam proponant suis subditis & fratribus, quamvis sint integri vitæ, scelerisque puri, nihilominus isti student omnem splendorem *basilisci halitu* obfuscare, si non extinguere, sustinere nequeunt, ab *eo, ceu peste* abhorrent, sinistrè interpretantur, & carpunt, quæ gessit laudabilissimè, ubi possibile est, creant molestias, impigrè insistunt, sagittis *livoris*, odii, & malignitatis feriunt, & conficere adlaborant, mihiq; in *memoriam* revocant conatum Philistæorum in infelicem Saulem, quo de memorat Sacra pagina: *totumq; pondus prælii versum est in Saul, & consecuti sunt eum viri sagittarii, & vulneratus est vehementer.* 1. Reg. 31. v. 3. Haud secus in Religiosâ familiâ fit aliquando, ut perversi subditi contra Prælatum *insurgāt*, vituperent, si Clemens est; virgâ censoriâ perstringant impii Momi, si rigidus disciplinæ exactor; contemnant si benignè tractat; odio prosequantur, si austeriùs instat: quidquid agat, eorum *tela* non effugiet, quem barbarâ feritate sauciare, vel perditum ire decreverunt. Hinc scitè observant Richard. noster Vict. & Hugo Card: per *quatuor animalia plena oculis ante & retro,* quæ insuper *& in circuitu & intus plena sunt oculis.* Apoc. 4. v. 6. & 8. designari Prælatos, quibus incumbit ad modum Argi oculatos esse intus ad se ipsos probè inspiciendos, considerandos, componendos, foris ad com̄uniendos, atque à lapsu & periculis cautè præservandos subditos, ut impensè curent conscientiam propriam, nec unquam negligant statum & salutem gregis sibi com̄issi. Præterea oculis scatent *in circuitu,* quia ab omnibus attenduntur, omnia verba, & *operationes ad trutinam* revocantur, atque à malignis subditis cribrantur, *taxantur,* condemnantur. O quantâ opus est diligentiâ, qua circumspectione, ubi tot malevoli non Cantones, sed crabrones insidiantur!

758. Porro, quamvis memorata iustos Prælatos metu percellant, omnium tamen terribilissimum est, quod Sap. 6. v 6. intentatur: *Judicium durissimum his, qui præsunt fiet.* Divinum tribunal perhorrescant Ecclesiarum Præsides, quia, ut deploravit S. Bern. serm. 33. in Cant. *pauci, profectò*

qui utiliter, pauciores, qui & humiliter præsunt. Magnam partem indulgent genio, gregem custodiæ suæ creditum, susque deque habent, vanisque curis sæcularium negotiorum implicantur. Plures eò deveniunt arrogantiæ, ut non pastores iam, sed tyrannos agant, merito fulminandi ultrice irâ Numinis & exterminandi. Quare Apocalyptica Christi verba: *habes pauca nomina in Sardis*, Apoc. 3. ponderans Hugo Vict. notat vocabulum *Sardis* significare idem, quod *Princeps*, aut *Principatus pulchritudinis*, atque istud inde documentum eruit: *pauci in principatu constituti sunt in statu salutis.*

Huc perappositè facit consilium S. Loth: suaserat equidem cælestis genius, ut deflagrationi ac excidio Pentapolitarum se se subducturus cum suis in edita montium confugeret, *in monte salvum te fac*, Gen. 19. v. 27. ille tamen neutiquam consentire voluit, sed efflictim fugæ metam ac diverticulum petiit oppidulum Segor: *est civitas parva, & salvabor in eâ.* Censuit nimirum tutiùs fore adversus trisulcum irati Numinis fulmē habitaculum humile, ac tenuem urbeculam, quàm montis fastigium frequētioribus periculis obiectum, quod S. Greg. observatum reliquit: *ab adscensu montis abstinuit, & in parvulâ civitate declinavit.* Itaque subditus Religiosus securè potest æviternā salutem sperare in paupere recessu, in angustâ cellâ, vitam transigens in humili virtutum exercitio: at verò Prælatum, qui montis in morem aliis imperiosus incumbit, qui aut ambitione transversus, aut fædâ voluptate præceps in vitia ruit humana Divináq; iura flocci non facit, & omnia effrænatæ cupiditati permissa credit, eo pacto scilicet tangens cœlum, in quo erecta visuntur idola avaritiæ, vindictæ, Scandalorum, in quo velut in monte Lothi triumphat crapula, ebrietas, incestus, qui pestiferâ umbrâ subditos pessumdat, ac pari secum involvit pernicie: Prælatum eiusmodi, aio, quid tandem defendet à fulmine ultionis Divinæ? Quid eripiet orci faucibus? 759.

Neque Prælatos duntaxat manet tremendus rigor & severitas supremi Judicis ob noxas à se comissas, sed insuper exigetur districta ratio propter subditorum crimina: *Prælatis*, ait Humbert. c. 158. *est magis timendum, quàm subditis, ipsi enim habent reddere rationem non solùm de se, sed etiā de subditis.* Quippe quo amplioribus est ditatus talentis, eo graviori subiacebit iudicio, & atrocioribus suppliciis punietur, si minùs rectè collocaverit. *Valdè timendum est, & horrendum prælationem accipere*, teste purpurato Hugone. Eccur autem? quoniam fatali die, quo in vitam revocabitur universum genus humanum, & pro se quisq; apud Divinum tribunal causam dicet, ex quolibet Prælatos Dominus iratâ voce quæret: *Quomodo intrasti? quomodo vixisti? ubi est grex, qui datus est tibi, pecus* 760.

inclytum tuum? Quibus te fraudibus & technis in dignitatem penetraſti, ô ſuperbe? an præces adhibuiſti armatas & violenta media, ac Principũ patrocinia? an eligentes ſuâ libertate ſpoliaſti? quomodo tuo in regimine te geſſiſti? Patrem exhibuiſti an crudelem tyrañum? adminiſtrum æquitatis an iniuſtitiæ? an publicæ obtentu autoritatis turbidas tuas effectiones impleſti ſub pallio diſciplinæ, odium & privatam vindictam exercuiſti? Quos eventus ſortita eſt gubernatio tua? an regularium obſerva tionũ laxamenta? an ſubditorum libertates & diſſolutiones? an ſcãdala ex tuis tuorumq; culpis in vulgus emanantia? Quid ſi grex tibi à DEO conſignatus tuâ ſocordiâ emarcuit? ſi oves debito conſilii & exempli alimento deſtitutæ contabuerunt in deſerto? in extremis ærumnis à te non *paſtore ſed* mercenario derelictæ? ſcito latã eſſe ſententiam: *potens potenter tormẽta patientur*. Vos igitur ô miſeri, qui primas ſedes ambiiſtis, & *cupido animo* involaſtis, non poſſum non alloqui verbis melliflui Abb. quæ ſcripſit Ep.207. Eugenio ſuo diſcipulo recens ad Chathedrã S. Petri evecto. Heu! *in promotione veſtrâ conſidero gradum, & caſum vereor, conſidero faſtigium dignitatis, & intueor faciem abyſſi iacentis deſuper, attendo celſitudinem honoris, & è vicino periculum reformido.* Quocirca quisquis es, ô Prælate, *noli altum ſapere*, ut monebat Tharſenſis Rom. 11. v. 20. *Sed time.* Timor DEI indemnem te ſervabit, quia Autore Tertulliano: *timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus.*

Ex
CAPITE XI.
Timore coram DEO ſubſtratus ſit pedibus Veſtris.
Prælatus ſeſe in humilitatem coram ſubditis ſubmittat.
DISCURSUS LXXVII.

761. NObiliſſimum Judææ Regnũ per omnem equidem *provinciarũ* ambitum amænè divitias ſuas explicat arborum, plantarum, fructuum & florum: gloriari tamen haud vanè, ceu propriâ ſibi prærogativâ poteſt Cedrorum copiâ, quæ arbores ſunt adeo excellæ ac pompoſæ, ut regius vates *Cedros Dei* appellet Pſ. 79. v. 11. Nec vulgare encomium eſt earum, quod Salomon in Auguſtiſſimũ DEI Templum firmamenta iuxta ac ornamenta adhibuerit cedrina: ut verò nubes cacumine ſuperat cedrus, & cœlum pulſat vertice, ita radices agit oppidò profundas; loquatur S. Hier, in c. 11. Oſeæ. *Cedri Libani quantùm*

tùm in auras consurgunt vertice, tantùm radicem ad ima demittunt. Per cedros foliis perpetuo virentes, argentum floribus, fructibus aurum referentes, arcentes succo putredinem, ligno cariem nescientes, ego Prælatos Jure denotari asseram, omni virtute cultissimos, à Deo in ministerium & fulcimentum templi destinatos, in collegiorum electas columnas, atq; id solumodo ex votis haberem; ut quemadmodum cedri, quo altiùs eminēt dignitate gradûs, ideóque pluris æstimantur coluntúrque à subditis, tantò affabilitate & benignitate humiliores se se exhibeant: & quantùm ad auras consurgunt vertice, tantùm radicem ad ima demitterent. Et sicut autoritate & *honore Prælatus est vobis*, ita comitate morum, *substratus sit pedibus vestris.* Verbo edisserit Hugo Vict. *quantò plus honoratur exteriùs, tantò oportet, ut semetipsum despiciens, eos, a quibus honor impenditur, sibi in cogitatione præponat.* Id quod animus est insinuare præsente discursu.

Et ecce ô Venerandi Præsides, documentum eximium ab Ecclesiastico suggestum, qui c.3.v.20. hortatur: *quantò magnus es, humilia te in omnibus,* quantùm antecellis, comentatur HugoCard. *generis nobilitate, vel scientia sublimitate, vel honoris dignitate,* humilia te in omnibus: *id est, coram omnibus salvo jure gradus*: & rursus c. 32. v. 1. *Rectorem se posuerunt*, adscivêre in directorem, in Pastorem, in Abbatem, in Patrem & Caput Canonicæ, *noli extolli*, noli typho superbiæ inflari, & pedibus conculcare subditos, *sed esto in illis, quasi unus ex ipsis*, sumâ qua potest svavitate tractâ, *non ut dominantes in Cleris*, quod prohibitum legimus 1. Pet.5.v.3. Sed conformiter mandato Christi Domini nostri Matt 20.v. 26. præcipientis, *quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit Minister, sicut filius hominis venit, non ministrari, sed ministrare.* 762.

Non adeo inficetâ, imperitáque, & primâ fronte videri possit, est ratiocinatio illius, qui capillos esse Prælatorum Symbolum pronuntiavit; 763.
ut enim supremum illi obtinent locum, & caput exornant, ita disponente sic æternâ sapientiâ, Clerum hi statúmque Ecclesiæ solent condecorare: Crines utut emineant situ, indolem tamen minimè superbam nacti sunt, in genas descendunt, ad collum & humeros non inviti defluunt, quin etiam ad terram usque, atque ad pedum extergendas sordes demittuntur. Neminem later, Antistites, quod nomen postulat in Ecclesiâ, & officium, cæteris antecellere dignitatis prærogativâ, ut tamē impleant planè, quod exigit muneris iniuncti ratio, sæpenumero necesse habent, imitari flexionem capillorum, quos constat aliquando sudores frontis abstergere, aliàs contorqueri in funiculos, applicandos pro nervo arcus, ad hostes retundendos, modò in fascias comigrare pro vulneribus obligandis, non rarò etiam famulatum præstare pedibus, quæ quidem varia obsequia superio-

rem

rem non dedecent, imò, Cassiodoro teste in Gnomologiâ, *sic est in Principibus*, puta in Episcopis & Ecclesiæ Prælatis, *humilitas Gloriosa, quemadmodum in mediocribus odiosa potest esse iactantia*.

764. Sed metaphoram amæniorem in huius argumenti confirmationem proferamus, quod suggerit Plinius, industrius naturæ indagator, & præcipuus Encomiastes lilii, candore nivibus invidiam moturi, croceo suo in medio sinu colore animatam aurifodinam referētis. At propositum verò nostrum testatur Plin. l. 21. c. 5. quod tametsi *nulli florum excelsitas maior*, & *regius flos*, proinde salutari mereatur, eâ tamen nobilitate, præstantiâ ac celsitudine nihil obstante, visatur *humili semper collo*. Videtis opinor, ô Præsides Ecclesiastici, quomodo vos deceat, inter sublimes dignitatum gradus incedere & instar candicantis ac rutilantis lilii eminere, *sed eiusdem nolite seponere demissionem, ac benignitatem : sentiant subditi*, vos clementer inclinari ad suas necessitates, mirentur excellentiam, amēt morum suavitatem. Ita vos gerite, ut vestrum quilibet cum psalte Regio valeat profiteri : *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me*. Ps. 130. v. 1. Et licet officii *honore Prælatus sim vobis, humili semper collo vivam*, ô Charissimi mei Canonici, *substratus pedibus vestris*.

765. Mystica illa animalia currui Divinæ gloriæ promovendæ iuncta memorat Ezech. c. 1. v. 6. singula fuisse quadruplici adspectu prædita, *quatuor facies uni*; vultum referebant humanum, & simul speciem leonis, nec non aquilæ & bovis. Quid formæ tam discrepantes in famuli DEI portendant, varia est interpretum sententia, nos dicamus, visione illâ Prælatos ad regenda Canonicorum collegia & Ecclesias assumptos instrui, prudentiâ sibi humana, magnaque circumspectione opus esse, ad moderationem aliorum; nec rarò exigi leoninam quandam magnanimitatem, ad retundendam vim hostilem, & iura fortiter propugnanda : cæterùm non ita temporaneis hisce immorandum esse curis, ut non frequenter cum aquilâ se se in altum mens efferat, ac supernarum rerum contemplationi amorique se impendat : Denique cum tria hæc *muneris* autoritatem spirent, potentiam ac dominatum, quartam addendam esse figuram bovis labores subeundos, iugum cum subditis impigrè ducendum, atque ita mansuetudine, charitate & humilitate omnes officii sui numeros implebunt.

766. Si transire placeat à Cherubinorum facie ad pedes sumi Hebræorum Pontificis, ornatum reperiemus omni admiratione dignissimum : sive enim varietatem colorum, sive fulgorem auri, sive pretium spectemus coruscantium gemmarum, sive pompam & Maiestatē universi amictus, non possumus non obstupescere. Aurea lamina incingit frontem, pectus inerrant scintillantes lapilli, & cælestes hyacinthi artus obtegit regalis purpura, vestimenti oram ambiunt mala punica, mixtis in medio tintinabulis aureis. Cultus plane exoticus à vertice capitis usq; ad plantas pedum : verùm ipsi pedes, veluti bases tam pretiosi Colossi negliguntur, operimēto carent, nudi terræ vilitatē premūt. Sed cur cæteris corporis partibus tā magnificè adornatis, soli pedes tegmine suo spoliātur? Atheniēses calceos gestabāt *elaboratæ artis*, ut scriptū reliquit Alex. ab

ab Alex. l. 5. c. 18. Apud Romanos, eodem teste, Patritij, & qui nobilitate præstant, quique honestè geniti, & liberaliter educati erant, bullam in pectore, lunulas in pedibus habebant: erant enim, inquit Author, fibulæ eburneæ, instar Lunæ corniculantes: Matronæ insuper Cothurnos distinguebant gemmis plurimis. Demetrius quoque, Antigoni filius, calceamentis utebatur deauratis, & Diocletianus rarissimis pedes unionibus exornabat; quid igitur Summus Judæorum Sacerdos, cæteroquin vestitu tam splendido instructus, nudis pedibus jubetur incedere? verùm recolendum ex Cælio Rhodig. l. 2. antiq. lect. *denudatos pedes servitutis signum, subjectionis notam reputari*: quapropter arcano & mirabili consilio Divina Providentia disposuit, ut Sacerdotum Princeps, & Maximus Prælatorum nudis incederet pedibus, quò commune fieret in apice Authoritatis Principem esse sese unà ac servum, Prælatum & subditum, qui potestate cunctis præsit, timore Dei, & charitatis affectu procumbat, *substratus pedibus eorundem*, quibus dominari poterat. Quæ videtur eadem causa, quod Romanus Pontifex, triplicis regni coronâ redimitus palam se fateatur *servum servorum Dei*.

Hæc dominatûs & servitutis consociatio mirificè in Centurione Evangelico elucet: erat is ductor cohortis, imperabat pro munere, quo fungebatur, militibus, dictum factum; etiam ad nutum obtemperabant omnes & singuli, quod in mandatis acceperant, nullâ morâ executioni mandabant: *habens sub me milites, dico huic, vade, & vadit, & alij veni, & venit, & servo meo, fac hoc, & facit.* Matth. 8. An igitur hoc potestatis munere intumuit? minimè gentium, sed uno loco, ut superior mandat, altero ut servus mandata conficit: nec minori gloriæ ducit, milites moderari pro imperio, quàm obtemperare majoribus devoto obsequio: contestatur enim, *& Ego homo sum sub potestate constitutus*; unde calculum videtur adjicere effato Antigoni apud Plutarch. in Lacon. *Regnum nostrum non esse aliud, nisi splendidam servitutem.* Quod sanè Prælatus quilibet sibi dictum arbitretur, electus namque fuit, ut præciperet, atque onus imponeret, simúlque præstaret servitium, ut subditos coërceret, & in timore contineret, & eosdem omni benevolentiâ adjutum iret, sustineret partes Principis, sed etiam Patris, baculum gestaret, non modò ad castigandos sceleratos, sed pariter ad sustendandos ac fulciendos debiles, ut omnibus præesset simul tamen, ubi è re fuerit, substratus sub pedibus nunquam non memor: *Regnum suum non esse aliud, quàm liberam servitutem.* 767

768 Joannes Evangelista, scripto consignaturus, altissimæ humilitatis exercitium à Salvatore nostro susceptum, ut dociles nos redderet, ac attentos pro merito causæ hujusmodi apparatum c. 13. v. 2. adstruit: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* Unigenitus Dei intimè cognovit, se potestate æquali cum Patre Dominum esse absolutum rerum omnium visibilium juxta ac invisibilium, nihilque subterfugere suam potentiam ac sapientiam gubernatricem, nutui suo subjacere immensa cœlorum, terrarum, & inferorum regna: genitum se ante originem Mundi ex fœcundissimâ Patris mente sciebat, unde processit ineffabili claritate circumdatus. Ille igitur supremus Monarcha, & stupenda proles æterni Patris reposuit vestes, linteo se præcinxit, iisque manibus, quibus stellas fabricavit, iis digitis, quibus librat terrarum molem, eâ dexterâ, quâ sceptrum tenet, ac dominatum universi, parat se in famulatum pauperum piscatorum, eorum genibus accidit, & *cœpit lavare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo, quo erat ipse præcinctus.* O admirandam combinationem supremæ Majestatis cum submissione inexplicabili! O Prodigium post homines natos inauditum! Manus gloriâ & divitiis refertæ applicantur eluendis pedibus lutulentis. Empyrij cœli Omnipotens Monarcha demittit sese in abjectissimum terræ ministerium! Quid prætexant religionum Præsules, quantumvis prosapiâ generis, eruditionis copiâ, opum affluentiâ, dignitatis gradu præcellant, ne promptâ voluntate servis suis & subditis paratum obsequium præstent, si animum oculósque in hoc Redemptoris exemplum intendant? Validè profectò hinc roboratur gnome Balduini apud Tilm. Eccl. 3. v. 20. *Secundùm magnitudinem dignitatis æqua sit mensura humilitatis*, nam reverà *humilitas in honore, honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis.*

769 Quos arctissimum amoris vinculum, & morum similitudo maxima conjunxit, separare nefas duxerim, quare Filio Dei sanctissimam Virginem Matrem necesse est adjungere. Salutem è cœlo nuntiavit Archangelus Gabriel Mariæ, & augustissimam Dei Parentem fore prædicavit, perinde ac si Reginam cælitum ac Dominam universi collaudâsset. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* Lucæ 1. v. 35. *Ipsa* verò profundissima sui despicientia reposuit: *Ecce Ancilla Domini.* Et quid ain, O Beatissima? legit te Dominus non in famulam, sed in Matrem, non ad serviles operas, sed in altissimam, quam capere potest creatura, dignitatem, & Tu ultimam te compellas ancillam? Verum ita est, inquit S. Petrus Chrysologus serm. 142. *Quæ vocatur ab Angelo Domina, ipsa se co-*

se cognoscit & confitetur ancillam, quia devotus animus infulis beneficiorum crescit ad obsequium. Nimirum concepta Sanctissima Virgo, inter immensa gratiæ lumina; nata inter copiosos Sanctitatis splendores, exinde non tantopere profecit ætate, quàm purissimis Spiritûs Sancti charismatis, tandem ad summum Genitricis Dei evecta Decus, ancillam se profitetur: unde condiscat quisquis laudabilis Prælatus, auctus honoribus, mytris, & dignitatibus, seu *infulis beneficiorum*, non fastu surgere, non erigere supercilium, ac magnificè sese circumspicere, sed beneficam Dei manum venerari, *ut crescat ad obsequium.*

Nullus ambigo, quin S. Ambrosius præcisè huc collimârit, ubi pensiculatiùs considerans Virginem accinctam itineri, ut visitaret cognatam 770
Elisabetham, admonet: *Contuendum est, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur, Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.* Genitrix Dei molestum suscipit laborem, suppetias latura Matri Præcursoris. Maria invisit ad Elisabeth, & Verbum Patris ad vocem in deserto, ut omni tubâ sonantiùs edoceret fideles, quantùm decreat altiori etiam dignitate locatos, non subtrahere minoribus servitia charitatis, *ut infulis beneficiorum crescant ad obsequium.* Ita S. Raymundus noster, quod recitatur in offic. Can. Reg. 21. Jun. in Abbatem electus, *humilitatem ac mansuetudinem sic coluit, ut suis potius servierit, quam imperarit.* Ita S. Guarinus pariter Regularis Canonicus, licet à Lucio II. sacrâ purpurâ dotatus, atque in Prænestinum Episcopum consecratus, nullâ tamen arrogantiâ inflatus, sed benignus in omnes, afflictissimis mendicabulis ipse *alimenta & vestimenta suis manibus ministrabat.* Offic. Can. Reg. 7. Feb. S. Vinocius Abbas virtutum & miraculorum gratiâ clarissimus: *Fratribus etiam sibi subditis multo tempore ministravit.* Martyrolog. 6. Novemb. S. Birgitta Princeps perquam illustris, *pauperibus & maximè infirmis domo ad id muneris dedicatâ, inserviebat quam diligentissimè.* S. Helena Mater Constantini M. tanta edidit humilitatis specimina, ut in admirationem raperet virtutum Christianum Orbem: inter Deo dicatas commorabatur, ut postrema ancillarum, studiosè intenta, quomodo vel assidentibus mensæ, vel domesticis in necessitatibus aliquod exhiberet obsequium. Marian. Mon. l. 3. terræ sanctæ c. 10. De S. Gallicano, summis domi bellique honoribus functo, perhibent historiæ Ecclesiasticæ, totum incubuisse in peregrinos hospitio excipiendos, ægros refocillandos, egenos fovendos, ut adeo virtutum ejus famâ multi à remotis terris excirentur, qui stupentes, *videbant virum ex patritio, consule, ac Imperatoris Genero lavantem pauperum pedes, ponentem mensam,*

aquam pedibus affundentem, languentibus sollicitè ministrantem. Et Carolus V, gloriosissimæ memoriæ, colloquio longius cum legato Ferdinandi Fratris protracto, & cubiculariis, ephæbisque hac illac interim dilapsis, candelam ipse arripuit, volens servile obsequium exhibere, quibus incitatus exemplis Prælatus propriis subditis suis, *prostratus sub pedibus, eos, quibus honor impeditur, sibi in cogitatione præponat.*

Ex

CAPITE XI.

Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum.

Prælatus bonis exemplis prælucedt.

DISCURSUS LXXVIII.

771 CÆlum, primogenita Dei creatura, in modum spatiosi fornicis supra nos expansum, & capacissimo flexu circumdans omnia; syderibus, planetisque veluti gemmis distinctum, motu assiduo revolvitur ab ortu ad occasum, & rursus inde ab occasu ad ortũ regyratur incredibili velocitate, sine lassitudinis periculo. Quot numeramus planetas proprio singulos insistẽtes cursui, tot admiramur præcones sapientiæ ac potentiæ Divinæ. Prodeunte in scenam Sole, *reliqua* astra mox sese adspectui subducunt, quæ, Principe suo digresso, noctu iterum amænè collucent: quædam ita variant suum circuitum, ut æstate sublevantur ad summam Aurem, in hyeme propiùs nos revisere videantur, & credas penitus à nobis discessisse, sed eandem continuò stationem repetunt: atque hac vicissitudine dierum ac noctium inducunt discrimen, hinc quasi partita anni tempora alternantur. Hanc syderum constantem inconstantiam notat Tertullianus, à terrâ quoque veluti docili quadam discipulâ in usum deduci, ut quæ arbores modò frondibus spoliat, ac prorsus denu-

denudat, iterúmque pompose vestit, quæ hortorum delicias brumali tempore pessumdat, sed redeunte vere denuo animat; & florum spectaculo exornat. Sed audiamus Tertullianum lib. de resur. carnis ita disserentem: *Reducuntur & stellarum globi, adducuntur & syderum absentia, quas temporalis distinctio eximerat, revolvuntur hyemes & æstates, verna & autumna, quippe etiam terra de cœlo disciplina est, arbores vestire, post spolia flores denuo colorare.* Ingeniosa hæc Metaphora, quod nempe sub schola cælesti addiscat tellus se floribus & herbis reparare, suum ornatum, mihi memoriam refricat, vivísque coloribus exprimit, quod usuvenire inter subditos & superiores experimento crebro didicimus. Quod gerunt majores, exemplum solet esse minoribus, & illi quidem per cælum adumbrantur, quod alijs emineant. Isti verò per subjectam terram, quo sensu Moyses: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Deut. 32. v. 1. Sicut enim diversum astrorum situm & influxum diversa sequitur in terrâ eventorum successio, ita subditi, si Prælatos videtur pleno virtutum lumine irradiare, ceu terra fertilis eo exemplo flores germinant sanctitatis, & optatæ fragrantiæ, ita scilicet: *terra de cælo disciplina est.* Unde Augustin. Legislator noster apprimè desiderans *Prælatum, circa omnes seipsum bonorum operum præbere exemplum*, interprete Hugone, voluit, ut, *sicut præcellit honore & dignitate, ita eos præcedere debeat sanctitate ut eius exemplo discant subditi, qualiter vivere debeant.*

Si quando aliàs, certè in nuptijs vires suas exserit magnificentia & pompa humana, tunc ærarium panditur liberali manu, aulæ peristromatis exornantur, festis melodijs personant atria, opipera convivia celebrantur, & superbo cumprimis apparatu Sponsa honoratur, pretiosissimisque cumulatur muneribus. Nec heri primùm hæc invaluit consuetudo, è primis sæculis deducta est: ita providus Abrahæ Legatus & famulus in desponsatione Rebeccæ protulit, *inaures & armillas* Gen. 24. v. 22. In nuptijs Salamonis Sponsa regia comparuit, in *vestitu deaurato, circumdata varietate* Psal. 44. & Beatissima Agnes, virgo intemerata, & Divino Sponso animitùs dedicata tripudians gloriabatur: *Induit me Dominus cyclâ de auro textâ & immensis monilibus ornavit me* Brev. 21. Jan. Hæc quidem inter homines vigent; in Empyrio autem cælo alium receptum esse morem memorat S. Joannes Apocl. 19. illic namque *venierunt nuptiæ agni, & uxor eius præparavit se*, verùm cimelia, vanúsque mundus proscriptus fuit, & *datum est ei, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Quid igitur? an omnis Sponsæ ornatus, lino circumscribatur? omnino, ait S. Joannes Chrysost. orat. de Paralythico: nam *cultus corporis mulierem*

amabilem non facit, sed virtus & pulchritudo Animi. addit Tertullianus de habit. fœm. *vestite vos serico puritatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ, taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Quæ cùm ita habeant, si Sponsa Christi est sancta Mater Ecclesia, imo quæcunque fidelis anima maximè, quæ in Ecclesiastica dignitate constituta est, ut exponit S. Antonius Patavinus in fragm. Apoc. *Uxor Christi, id est Ecclesia sancta, vel qualibet anima fidelis,* non abs re bysso duntaxat memoratur vestita, sed bysso candido & splendenti, quoniam Justi, præsertim Ecclesiæ Præpositi, non solùm ornati esse debent candore puritatis internæ, sed necesse est quoque foris splendescere, ut eorum exemplis & laudatis moribus illustrentur, ac in bono firmentur subditi: sint ergo ex mente melliflui Abbatis apud Sylv. c. 19. Apoc. n. 140. *Candidi interiùs quo ad seipsos, splendidi exteriùs quo ad alios.*

Porro quod Vates Apocalypticus notavit in Sponsa Cœlesti, idem te-
773 statum facit de ipsomet Deo Psalmographus: *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem.* Ps. 92. v. 1. Deus spectandum se Mundo exhibuit magnificentia plusquàm regali, nec qualicunque contentus cultu, sed ipsum *decorem indutus*, cui alterum adjecit vestimentum heroici & invicti roboris: *indutus est Dominus fortitudinem.* Qui apparatu tacitè insinuavit Prælatis, quanto vigore mentis, ac magnanimitate sit opus, non solùm ferendo gravissimo regiminis oneri, sed maximè vitiorum illecebris repudiandis, & illibatæ conscientiæ puritati conservandæ, ut adeo excellenti virtutum ornatu instructus prodeat, quo suæ consulat existimationi, & proximos ad sequelam potenti exemplo alliciat, mereatur ipse Salamonis Elogium. *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Prov. 31. v. 25. Sed pariter subditis congruat; *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Quivis Prælatus sibi arbitretur dictam quod Bernardus Eugenio Papæ scripsit l. 3. de consid. *Tu quoque esto fortis in fide, decorus in gloria, & probâsti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fiducia bonæ conscientiæ, decor tuus splendor bonæ opinionis, ita quæso induere fortitudinem, induere vestimentis gloriæ tuæ* Infracto sis animo oportet. O Prælate, ut humanis casibus resistas, nec blanditijs emolliaris non deterrearis adversis, nec prosperis efferaris: exigitur præterea insignis morum gravitas, & compositio, qualis dignitatem & gradum, quo emines decet, ut ita subditi velut aquilarum pulli splendore Solis ad amorem ac imitationem virtutum tuarum excitentur.

Agite proin, Venerandi Antistites, morem gerite Filio Dei, qui Matth.
774 4. v. 16. sigillatim vos alloquitur: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

Quan-

Quandoquidem in morem luminis super candelabrum eminentis dignitatis collocati estis, radios dispensate non tantùm lingua & salutaribus consilijs, verùm & multò magis manibus, sanctísque operationibus; etsi enim, ut sapienter advertit Eusebius Gallicanus in c. 5. Matth. *& sermone & opere ducere debetis, magis operando, quàm loquendo proficitis, quia major est splendor operis, quàm sermonis.* Urget verò Servator: *videant opera vestra bona*: ut vobis subjecti operationibus vestris tanquam totidem catenis aureis attracti similiter virtutum exercitio insistant, & *ita glorificent patrem vestrum* qui in cælis est. Quod idem planè à Prælato postulat S. Augustinus: *Circa omnes se ipsum bonorum operum præbeat exemplum.*

Exodi 3. refertur, Clementissimum Deum miseratum esse tandem æ- 775
rumnas Israelitarum, quos Ægyptij in audita immanitate afflixerant, cogendo ad durissimos labores, ad lutum subigendum, lateres coquendos, lana cædenda, calcem miscendam, convectandum sabulum, corradendas arenas, egerendum limum, glebas effodiendas, & obeundum quidquid in omni regno vel sordidi negotij, vel despecti ministerij posset excogitari: præterea obstetrices crudeli lege obligando, ut Hebræorum Masculos omnes, simul ac editi forent, elisis faucibus suffocarent. Hanc barbariem, & inexplicabilem tyrannidem ut amoliretur ab electo populo benignissimum Numen, Moysen elegit, qui legationis munere ad Pharaonem fungeretur, & oppressos contribules in libertatem assereret: *Veni mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum de Ægypto.* Huic imperio obluctatur Moyses humili de seipso sensu, & varijs super imperitia sua tergiversatur excusationibus: Verùm instanti Numinis voluntati se tandem submittit, ac obsequi parat: jàmque operi grandi accinctus erat, cum ecce Deus indignatione justâ æstuans viam obsidet, & stricto gladio inexorabilem necem minatur. *Cùmque esset in itinere, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exod. 4. v. 24. Rem miram prorsus, & præter omnem expectationem audimus! Itane Deus electum tractat Ministrum, ut quem Nuntium designavit ad Regem, jam morti destinet? Itane deleat excidione, quem libertatis & vitæ assertorem legit? Itane jam affliget ad terram, cui prodigiosas promisit vires, & suppetias cælestes? verùm non mutatur consilium Dei, nisi deviet humana perversitas: erravit Moyses, quod legatus, qui calamitosos ex Ægypto Israelitas educeret, ex adverso ipse uxorem propriam & filios introducere constituisset. *Tulit Moyses uxorem suam, & filios, & reversus est in Ægyptum.* Graviter sanè hallucinabatur: *suos ducere secum in Ægyptum non debuit*, notat peracutè S. Augustinus de

ult.

ult. teſt. quæſt. 18. *qui cæteros ibat inde educere.* Quam enim exoticum, eſt, in mandatis habere, Hebræos barbaræ Ægyptiorum ſubtrahere tyrannidi, & ſuam interim familiam illi propria ſponte ſubdere? Aberrabat igitur Moyſes, & negotio commiſſo ea ratione nequaquam ſatisfaciebat: idcirco juſtam incurrit iram Dei, & feralem interminationem, qua cautior effectus, conjugem cum prole in Arabiam reduceret, ac verbis & exemplis præſtaret, quod injunctum officium exigebat, ſéque ipſum & miſerum populum ſervituti eriperet. Hic loci optarem ego Prælati libertini, & genio mundano ebrij altùm inducerent in animum, ac penitiùs conſiderarent quod ſi eos Dominus ordinavit miniſtros, qui ſubditos animarent, ad integram rerum ſæcularium & vanitatum abdicationem, ſi delegit Vicarios ad perumpendas catenas, & jugum terrenarum ſolicitudinum, & *pro virili* promovendos ſuos *in libertatem gloriæ filiorum Dei* Rom. 8. v. 21. *Ipſi verò* præ alijs firmo glutino adhæreant Ægypto, illaqueentur negotijs profanis, carnis & ſanguinis profundiùs immergantur amori, crebriùs procurent cauſas aviti ſui ſtematis, quàm crediti Monaſterij; plus *impendant* amicis & familiæ, quàm Religioni: quo pacto effugient *irati Numinis vindictam*? Caveant, qui vocati ad obſequium Dei, & miniſterium proximi negligunt utrumque, nec doctrinâ, nec exemplis proſunt, ſed toti curis ſæcularibus abſorpti minimè agunt, quod ratio provinciæ commiſſæ exigit.

776 Quo tempore Patriarcha Jacob patrium ſolum vertere coactus eſt, videri poterat aſſumptus in civem paradiſi. Sublimis ſcala dormienti objicitur à terrâ in cœlum uſque protenſa, per quam ſurſum deorſum genij Cælites commeabant, cacumini DEus ipſe imminebat: *Vidit Jacob ſcalam, &c. Angelos quoque Dei adſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Faſtigio ſcalæ inclinabat Majeſtatem ſuam Deus, qui pedem ejuſdem nervoſo brachio fulciebat; ait P. Alcazar, quo Angeli ſecuriores adſcenderent, deſcenderéntque, præſentiâ & adjutorio Numinis animati, nec laſſarentur in obſequio, quod Domino inſpectanti deferebant. S. Hieronymus opinatur, in ſummo ſcalæ adſpectabilem ſe ſe præbere Deum, *ut laſſis manum porrigeret, & adſcendentes ſuo ad laborem provocaret aſpectu.* Epiſt. Conſolat. ad Julian. Ecce Idæam omnibus abſolutam numeris, quam imitemini, O Prælati, & quomodo vos cum religioſis ſubditis veſtris geratis: illi namque Angelorum inſtar perpetim adſcendunt, & in virtutum ac eruditionis ſcalâ eniti ſatagunt, evehuntúrque in vitâ contemplativâ: ijdem rurſus deſcendunt in vitâ activâ, demittunt ſe in munijs Syndici, Oeconomi, Infirmarij, &c. veſtrarum proinde partium

sium erit, ad exemplar Dei præmonstratum? utrisque assistere, brachia extendere ad publica conferenda beneficia, auxiliares ferre manus languentibus, vel fatiscentibus sub onere, vestro exemplo ac præsentiâ accendere studium, & laborem animare: Et sicut aquila tenet pullos suos unguibus, & obtutum docet figere in Sole: sicut cerva inspicientibus suis hinnulis à rupe in rupem transiliens, ut nonnemo Epigraphen adjecerit: *Instruit exemplo*. sicut navis tametsi vastissima gubernatur à manu dirigente clavum: sicut denique Jessæus Rex *in intellectibus manuum suarum* deduxit numerosissimum populum Ps. 77. v. 72. ita dextera Prælati semitam virtutis incedentis, suósque Religiosos ad sequelam incitantis, feliciter dirigentur canoniæ, & omni beabuntur felicitate.

Centurio Evangelicus tam accuratam militum suorum commendavit obedientiam, ut parem vix claustra regularium nutriant. *Habeo sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alij venit, & venit, & servo meo, fac hoc, & facit* Matth. 8. Enim vero admiratione dignum est, homines asperos, tractandis armis assuetos indole suâ duros, pertinaces, superbos, feroces, more agnorum obsequi, & eò promptissimè ferri, quò caput evocat. Verùm desinet mirari, qui observabit, quod Centurio de semetipso testatur: *Et ego homo sum sub potestate constitutus*. Planè ac si ediceret: quoniam ego subditus & minister Romanorum Principum actutum exequor, quod præceptum est, hinc milites mei promptissimi quoque, & ad nutum parent: exemplo provocati meo non detrectant obedire, certántque mutuò prævenire in imperio executioni mandando, ubi viderunt caput ac ductorem suum moras non nectere in præstando, quod jure exigitur. Nempe hæc ipsa ars est, impellendi subditos ad omne virtutum genus studiosè excolendum, si vos Prælati, qui pariter subjecti estis vestræ regulæ, vestrísque superioribus, velociter & exactè obtemperetis, subditi similiter non solùm tacitè magnificent obedientiam vestram, sed facilè etiam imitabuntur, & jussa complebunt. Consilia, præceptáq; vestra instar sagittarum validè penetrabunt in corda eorum, si vis calida & Energia exemplorum comitetur, quæ loco vivi carbonis animabunt, juxta illud Psalmi 119. *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*: ubi Magnus Augustinus: *Sagittæ sunt, cùm agimus verbis, carbones autem vastatores exempla Sanctorum*. 777

Agente ad ripas Jordanis S. Joanne in summâ vitæ austeritate, urbes complures & frequentes spoliatæ incolis migrarunt in solitudinem, & qui remotus ab omnibus degebat in deserto, attraxit cives, & eremum mutavit in celebrem & copiosam urbem: *Exibat ad eum Jerosolyma & omnis* 778

Judæa, & omnis regio circa Jordanem Matth. 3. Qua de re Nilus in Asceticis ita ratiocinatur: *In solitudine versabatur, & civitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant, qui sericis vestibus induebantur ad zona pellicea spectaculum concurrebant.* Magna animorum conversio! Primores urbium, qui vitam inter aulæ delicias & commoditates transigebant, modò in Joannem defixi molestias non fugiunt, somnum vel in cæcis cavernis, vel sub diu capiunt, qui mollibus lectisterniis insueverant, jam in arenâ inter saxa quiescunt: & despectui jam sunt serica vestimenta præ cilicio Joannis, quoniam *virtutis spectaculum labores & incommoda leniebat.* Rigor disciplinæ, maceratio carnis, efficax Baptistæ exemplum temperavit, ac dulcedine quadam perfudit incommoda, ac molestias, ut perlubenter amplecterentur, quod tantopere cordi esse cernebant *Joanni.*

779 Porro quantum in deserto effecit Joannes, præstat *in Monasterio* bonus Prælatus, subditos vivo exemplo religiosæ observantiæ, vigiliarum, abstinentiæ, sobrietatis, tolerantiæ, zeli animarum, aliarúmque virtutum excitat, conformiter regulæ, quæ præcipit, *circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum.* Ejusmodi normam ubi viderint servi Dei, puderet non æmulari, vel detrectare onus, quod alacriter à superiore intuentur subiri. Laudandus est Præsul, qui flagrantem in pectore charitatis fervorem nutrit, sed conniti quoque debet, ut flammulas in alios evibret, Joannis instar *Lucerna ardens & lucens.* Joann. 5. vers. 35. Ut ignem concipiant proximi, & una feliciter in viâ peregrinationis à Patre luminum deducantur.



Ex

Ex

CAPITE XI.

Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat Exemplum.

Residentiam Prælati perquam utilem, & absentiam nocivam esse.

DISCURSUS LXXIX.

QUantumvis immensum sit propemodum illud lucidum corpus, 780
Sol, Planetarum illustrissimus, cui acceptas referimus agrorum segetes, arborum fructus, herbas pratorum, ligna sylvarum, vigorem corporum; quantumvis, inquam, Sol incredibilis sit vastitatis ac molis, velocissimo tamen cursu abripitur, & sine defatigatione revolvitur à tropico cancri, usque ad Tropicum Capricorni, & vicissim, ubique terris & maribus cumulatè diffundens radios, & beneficum influxum dispensans: unde Claudianus canit; *Omnia lustrat.* Et Politicus quispiam Solem in Emblema assumens inscribit, *Rebus adest.* Designare voluit sublime præstantis Principis symbolum, cujus interest, belli pacisque momenta, & cætera majora negotia præsentem & in propriâ personâ conficere: quod documentum Justiniano Cæsari suggessit Agapicus Epist. paræn. n. 26. inquiens: *Optimè reges egregium tuum imperium, si omnia des operam perspicere, nec negligere patiare quidquam.* Sapiens consilium, quo etiam S. Augustinus collimat, cùm Præsidem quemvis stationem tenere jubet, suóque regimini assistere, ut omnibus quà verbo, quà facto abundè valeat prospicere, & quemadmodum *Sol lustrans universa in circuitu pergit.* Eccl. 1. v. 6. Ita Prælatus *circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum*, cujus certè residentiâ bonum publicum sartum tectum conservatur, absentiâ verò pessumdatur.

781 Ad residentiam in Ecclesiâ suâ obligari Prælatos non tam præcepto Ecclesiastico, quàm jure Divino Sacra Synodus Tridentina sess. 23. de reform. c. 1. definivit, & Canonistæ tradunt ex professo, validéque corroborant hanc veritatem oraculo S. Scripturæ. Prælato demandatur provincia pascendi oves : *pasce oves meas.* Joh. 21. v. 17. Præsentia igitur requiritur, alioqui pavisse non dicetur. Pastoris vocem si tenentur auscultare oviculæ, testante S. Joanne c. 10. 3. *vocem eius audiunt* & tunc sequuntur, quando præcedit sanctis exemplis, *ante eas vadit, & oves illum sequuntur* : quis addubitet, requiri viciniam, imo præsentiam, ut verba percipiant, & vestigia premant ? Hunc ipsum in scopum tendunt metaphoræ, quibus Salvator expressum voluit debitum, ac onus Prælatorum : comparat Soli, oculo Mundi : *vos estis Lux Mundi.* Matth. 5. v. 13. Ac procul dubio, ut paulò ante memini, *Sol rebus adest* : Confert terrestri Soli : *vos estis Sal terræ.* Ut verò Sol præservet à putredine ac corruptione, inseri rebus necesse est. Lucernæ appellantur candelabro dignitatis impositæ, *ut luceant omnibus* : hoc porro beneficium impertitur, si eodem conclavi tenetur lucerna claritatem communicans. Verùm propius accedamus ad rem, & aliquot sacræ paginæ allegorijs elucidemus.

Vix Divinus opifex in Damasceno agro è limo formaverat corpus
782 humanum, eique immortalem, juxta suammet imaginem, animam inspiraverat, intelligendi, appetendi, cum ratione, reminiscendi facultate præditum cæterísque gratijs ac primævæ innocentiæ ornamentis decoratum, cum transtulit in felicissimi illius viridarij septa, ut laboraret citra molestiam, & locum deliciarum solerter custodiret. *Tulit Dominus Deus hominem & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Gen. 2. v. 15. Non moror jam sensum litteralem, haud ignarus Adamum invitatum fuisse ad opus non defatigationis, atque ut Procopius dixit, merum obsequium Conditori submissè offerendum : *opus nimirum erat, quo se exerceret lex Dei, & fides in Creatorem.* Cæterum tutelæ ipsius committitur hortus hortorum omnium & gratiarum compendium, quo ipse unà cum posteris suis tranquillè foveretur. Verùm inhærendo expositioni Hugonis Cardinalis dicamus : *tulit Dominus Deus hominem & posuit eum in paradiso*, id est, Prælatum in Ecclesiâ, ut operaretur in se & custodiret subditos Act. 20. *attendite vobis & universo gregi.* Quapropter Prælatus in Adami personâ communefactus, quod speciali favore Numinis è sæcularis vitæ campo traductus in paradisum religionis, ac inibi cœteris dignitate præpositus, teneatur eum excolere, & incrementa virtutum solicitè in omnibus procurare, itáque promovere ad assequendam æviternam

nam mercedem. Hic loci advigilare debet observantiæ legum divinarum, chori disciplinæ, altaris ministerio, custodiæ claustri & regularum, commodis temporaneis ac spiritualibus Monasterij, studiorum profectui, ægrotum solatio ac medicamentis: verbo, tot oculis, quot Argus, tot manibus eget, quot habuit Briareus: Magnam rationem & curam sui, majorem subditorum gerere opus est: laboribus interdiu, noctu vigilijs distinetur, ut quietem capescant alij, ipse vix horam placidam & tranquillam sortitur. Si autem adstringitur, Auctore Apostolo, consulere saluti propriæ: *attendite vobis*, nec familiam negligite: *& universo gregi*, consectaneum est planè ac necessarium residere in loco, & obvijs ulnis amplexari curas oneri suo, nexu quasi gordio, implicatas.

In Exodo consignatum legimus, Arcam fœderis ita præcepto Dei conformandam fuisse, ut facili negotio hâc illac transferri posset, proinde aurei utrinque annuli erant affixi, quibus inserebantur vectes, ijdem auro obliti, qui moveri quidem, non tamen penitus, ut interpretes notant, separari poterant: *Vectes*, scribit Petrus Blesensis Ep. 150. *quibus arca Domini deferebatur, licet moveri & trahi in varias partes possent, extrahi tamen, aut avelli omnino non poterant.* Proclive jam sit conijcere per pastorale pedum Prælatos adumbrari, qui usque adeo dicati sunt servitio arcæ Ecclesiæ. Monasterij, ut licet contingat urgente necessitate aliquantisper distrahi curis alijs, nequaquam tamen fas sit aliquando gregem deserere, aut longiùs evagari ac divelli, ut Blesensis subdit: *Ecclesiæ Prælati etsi ad varias reipublicæ necessitates distrahantur ad tempus a Sponsæ amplexibus, & à populi sibi crediti solicitudine minimè separantur.* Itaque exigit eorum munus à servitute Ecclesiarum ne unquam recedant, nec subditos præsidio destituant, quod Lyranus in c. 37. Exod. his verbis indicat. *Prælati semper debent intendere suarum Ecclesiarum regimini.*

783

784 Cujus rei exemplum licet capere ab ipsomet Deo: nam vidit Patriarcha Jacob in scalâ, *Angelos Dei adscendentes & descendentes*, & præterea, animadvertit, Dominum *innixum scalæ*. Per cœlestes genios intelligo servos Dei in affectu cōtemplationis absorptos, & sic jugiter adscendentes, rursus ex miseratione in calamitates mortalium sublevandas sese dimittentes: in supremo autem gradu Conditor rerum omnium & Conservator præsidet, de quo Boëtius l. 3. prof. 9.

- - Perpetua Mundum ratione gubernat.
- - Stabilisque manens dat cuncta moveri.

Unde addiscant Præsides, dum adscendunt subditi in spirituali profectu, & scientiarum comparatione ad cathedras, homologeteria petitè providenda, ijque descendunt ad erudiendos Idiotas, firmandos debiles, infirmos juvandos, aliáque humilia obeunda munia, ipsi interea Deo similes, ac immoti *Scalæ inniti*, ad clavum imperturbatè sedere, officio & gubernationi toto pectore invigilare: Quò fiet, ut mutuo certent studio Prælati cunctis, quoad fieri potest, sedulo assistendo, & subditi laboribus injunctis impigrè fungendo, cum insigni religionis emolumento. Si nimiam obtendat difficultatem Prælatus, & arbitretur, assiduam ejusmodi vigilantiam & custodiam in perenne Martyrium abire, respondebo, quod eâ ratione imitetur Deum innixum Scalæ, sive ut Beatus exponit Hieronymus in Psal. 91. insistentem cruci: sed animo non cadat, fortitudine *invictâ* si perferat id tormentum, crucem transmutabit in Scalam sub*limem*, quâ gloriæ regnum ter felix conscendat.

785 Visionem Jacobi opportunè excipiet revelatio S. Joanni ostensa: refert is vidisse se in medio, nescio cujus magnificæ sedis, & simul circum secus animalia nonnulla præ quovis Argo oculata. *In medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro* Apoc. 4. v. 6. sed videri posset narratio minùs cohærere, quippe si animalia occupant meditullium nobilis throni, quomodo eundem circa circumsepiunt? *Neque enim* vox est S. Ambrosij, *& ambitum sedis, & medium obtinere poterant*. Id enimverò naturæ vires excedit. Sed mysticè totum congruit aptissimè: Prælati namque uno eodémque tempore commorantur in sede propriâ, & subditos imbuunt virtutibus Christianis, & Evangelicâ perfectione, simúlque lustrant subjectam diœcesin, aut territorium, vallum obducentes, ne vitia prævaleant. *In medio sedis consistunt*, dicit Mediolanensis Archiepiscopus, *quia unumquemque eorum, ut in virtutibus, omnibúsque bonis operibus proficiant, admonere non desinunt. In circuitu sedis stant, quia populum sibi commissum, & à visibilibus & ab invisibilibus hostibus quantâ virtute possunt, defendunt*.

786 Explanabo assertum similitudine domesticâ; dici vix potest, quantâ solicitudine prò pecore agat excubias canis pastoralis, quantâ contentione tueatur; leonino corde propugnat gregem palantem: ad pascua comitatur: in deserto non deserit: noctes ducit insomnes, ac si forte insidias lupi animadvertit, spreto vitæ periculo invadit, & fugat, dignus cui adscribatur: *servat & arcet*: minorem diligentiam non exspectemus à vigile Prælato, cujus est excubare ad ovile, proprium gregem custodire, commodis ejus indefessè studere, tartareos vitiorum lupos propulsare, & quali-

quælibet damna pro virili arcere, ita promerebitur, ut ei accinatur, quod Ecclesia quotannis S. Petri honori decantat 1. Aug.

Ovilis ille pastor & rector gregis
Vitæ recludit pascua, & fontes sacros
Ovésque servat creditas, & arcet lupos.

Hoc Principis Apostolorum Epinicium in memoriam mihi revocat prodigium singulare in Actibus Apostolorum proditum, nempe solenne fidelibus fuisse, variis oppressos languoribus deferre sub Petri transeuntis umbram, usque adeo salutarem, ut è vestigio salvi & incolumes domum remearent; exponebantur in grabatis, *ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Act. 5. v. 15. Insolita profectò res, sanitatis lucem ab umbrâ procreari; & umbra quidem ex vicino corpore projicitur; haud procul aberat Petrus, & umbra Petri miracula patrabat, morbos pellebat, salutem ægris restituebat, ut liquidò constaret, præsentiam Prælati summopere commodare subditis; cùm econtra distantia illius nec obumbrare queat, nec beneficiis recreare. Interpretatio hæc est Cornelij à Lapide, ita interpretatur: *Petri umbra docet, Prælatos debere residere, ut præsentes subditis suis, eos curent, obumbrent, tegant, & regant.* Quare præsentia Prælati instar Palladij commissam Ecclesiam & Canoniam contra hostiles impetus indemnem servat, ætitis lapidis more aquilinos pullos adversus serpentes protegit, velut assistentia periti naucleri navem periculo eripit submersionis: cum ex adverso, Præside aliorsum digresso Monasterium infelix, haud secus, quàm excisa Troia, vel nidus peste infectus, vel navis ventorum & fluctuum furori permissa, exitio sit subjecta, ut Lyran. in 2. Esdr. c. 13. v. 7. perorat: *Absentia boni Principis de terrâ suâ, & boni Prælati de Ecclesiâ suâ frequenter sunt occasiones malorum in illis pullulantium, sicut præsentia gubernatoris est causa salutis navis, & ejus absentia periclitationis.* 787

Illustre quoddam ingenium curavit effingi, currum Solis inclinatum in præcipitium, equis solutis, & sine gubernatore festinantibus ruinam: perversitatis causam ut explicaret, inscripsit: *Hinc abest Apollo.* Perniciem jamjam impendentem accersit, qui se subduxit rector constitutus Apollo. Quod Sapiens confirmat Proverb. 11. v. 14. *ubi non est gubernator, populus corruet.* Experientia docet quotidiana, quantis miseriis inundent Religiosorum domicilia, si Prælatos contingat frequentiùs evagari: Inordinatum & irregulare vivendi genus irrepit, observantiæ Canonicæ 788

nonicæ intermittuntur, silentium exulat, chorus obmutescit, Ecclesia squalet, subditi laxamentis inhiant, libertates variis titulis inducuntur, & mera confusio succedit; quod Zacharias Propheta innuit c. 7. *Percute pastorem, & dispergentur oves*, certè in fugam acto pastore mirum non est, gregem consternari, & quaqua versum mirabiliter dissipari, ita trahente moras longiores supra montem Moyse, Aaron, & totus Hebræorum populus in turpem idololatriam descivit; Esdrâ Jerosolymis absente, Vicarius ejus Eliesib multifariam impegit 2. Esd. 13. Christo non admodum procul in horto à discipulis avulso, mox desidia & sopor invasit, ac oppressit solitarios. Denique S. Paulus, antequam Mileto valediceret, vaticinatur, Act. 20. v. 29. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Et sanè vix gravior potest calamitas accidere pauperi gregi, quàm si destituatur à pastore, & omnis generis exponatur infortuniis ac periculis.

789 Hinc Salomon Prov. 7. introducit mulierem in ornatu meretricio ad animas decipiendas præparatam, garrulam & vagam, absente conjuge, his procum illiciis irretientem: *Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupidis amplexibus, donec illucescat dies: non est enim vir in domo suâ, abiit viâ longissimâ.* Ingrediatur ædes probrosa licentia, quoniam procul digressus est maritus! frenum detractum est cupiditati meæ, indulgeamus genio, & libidinem expleamus: inebrietur anima fœdo adulterio, & noctis spatium exigatur in Bacchi, Venerísque obsequio, absit modestia, verecundia proscribatur, quæ lubent, licent, absentia Mariti ostium pendit, & stimulos pandit ad quælibet flagitia.

790 Haud aliter iniquitatum parens est ac nutrix Prælatorum absentia; proinde quivis satagat regiminis clavo perpetim assidere; ut navis ab eo directa syrtes & scopulos evadat, ac portum felicitatis salva ingredi possit. Alcyonem nonnemo in nido excludentem ova inter rigidissima hyemis frigora prope maris littus figuravit, asserens, illius incubantis adspectu & calore securam à ventis, procellis, nivibus & glacie quietem creari. *Omnia tuta.* Meliori nos jure dicamus, omnem procurari felicitatem, si Prælatus suis assistat præsens, honorari DEum, frequentari Ecclesiam, Sacrum Odæum, altare debitis ministeriis, pios manes suis auxiliis foveri, populum ædificari. Verissimè námque dixit Petrus Chrysologus serm. 1. *Sol Patris rutilat in vultu, si bonus Prælatus suis nos radiis illustrat, fugiunt vitiorum horrores, quia viventi inter tot virtutum duces criminum tenebræ propinquare non possunt.*

Ex

Ex

CAPITE XI.

Corripiat inquietos.

Quòd Prælatus castigare tenedtur vitiosos.

DISCURSUS LXXX.

Lituus in manus Prælatorum traditus & venerandum insigne est, & officij hieroglyphicum non obscurum: quantum in Regis 791 dexterâ valet imperiosum sceptrum, in manu Præsulis repræsentat pedum pastorale; quod unâ parte adinstar thyrsi in circulum curvatur, suóqne flexu placabilem demonstrat benignitatem, alterâ verò in acutum cuspidem terminatum, distractam severitatem indicat: idem servit omnibus placidè gubernandis per modum tenuis virgæ, sed nomen simul retinet pastoralis baculi, pro contumacibus rigide coërcendis. Hinc sapienter quispiam addidit lemma: *dirigit & corrigit.* Quod verò tacitè insinuatur eo instrumento, expressè S. P. Augustinus in Regulâ præscribit: *corripiat inquietos.* Quia superioribus incumbit vi muneris sui per Auctoritatem, quâ pollent, compescere, punire ac retundere subditos turbulentos refractarios, ac flagitiosos; propterea idem Sanctissimus Hipponensium Præsul lib. de corrept. & grat. c. 15. monet, *corripiantur à Præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel majoribus.* Hac etiam ratione commetiendo peccatis supplicia, & morbis remedia Prælatus suum expunget debitum, & castigatio malorum erit bonorum conservatio, & subditi damno aliorum sapere discant, ac semper in melius opitulante Domino proficiant.

Planum est, & extra omnem controversiam, obligari Prælatum corrigere delinguentes subditos: Memorabile tamen existimo, quod per- 762 hibente Isaiâ c. 3. v. 7. nescio quâ occasione non nemo favore plebis in-

 princi-

Principem adscitus detrectârit provinciam, in excusationem prætendens, *non sum Medicus, & in domo meâ non est panis, nolite me constituere Principem populi.* Intellexit nempe vir bonus, teneri Principem more Medici diversa adhibere medicamenta, grata paucula, pleráque amara, nec ferro abstinendum, quo vitiosi humores elidantur, sanguis corruptus extrahatur, Apostemata incidantur; Novit paternè simul providendum esse subditis de alimentis, & quoniam hisce subsidijs ego nequeo præsto esse, idcircò onus recuso principatûs. Quisquis fuerit, qui tam providè onus humeris superius declinavit, laudem promeretur; Vos autem O Præsules, qui colla jam regimini subdidistis, certè obstricti vivitis, & sollicitè procurare, quæ subditis necessaria sunt vitæ adminicula, & juxta mederi tumoribus, cancro spirituali, & varijs infirmitatibus, pharmaca *duriora* reprehensionis & adsperæ correctionis forsan exiguntur, *quin* ferro & igne rigidioris pœnæ nonnunquam opus erit. Sed obstrepit ægrotus, contorquet se, ac in quærelas prorumpit impatientiæ & indignationis? esto, vos unicè in salutem intenti pergatis urendo, secando, cruciando, donec sanitati restituatur. *Est planè*, ait Doctissimus Tertullianus adversus Gnost. c. 5. *quasi sævitia Medicina de scalpello, deque cauterio, de sinapis incendio, non tamen secari, inuri, & extendi, morderique idcirco malum, quia dolores utiles adfert, nec quis tantummodo contristat, recusabitur, sed quia necessariò contristat, adhibebitur.* Addit Humbertus in hunc locum S. 171. *Sicut Domini terrarum, qui justi sunt, exercent justitiam contra delinquentes, ita ad Prælatum justum pertinet corrigere.*

793 In Patriarchâ Aser duæ se offerunt considerationes non contemnendæ: Jacob in communi illo vaticinio & supremâ benedictione hoc ei contulit elogium: *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Gen. 49. v. 20. Aser abundabit frumento, mensas primarijs panibus decorabit, & Orbis Monarchas delicatè reficiet. Moses Sermonem instituens de eodem Deut. 33. v. 25. ait: *ferrum & æs calceamentum eius*, quâ phrasi describit, quo robore, & ferreis calceamentis protriturus sit hostes suos. Sed ipsum etiam nomen mysterio non vacat, duplex *enim* significatum eruunt Sacræ linguæ peritiores: scilicet beatitudinem simul ac ergastulum denotat vox *Aser.* Censebitis vos nimium quantùm distare Etymologias istas, sed ego non dubitem aptissimè in Principem vel Prælatum Ecclesiasticum congruere; nam tenetur subministrare alimenta, & mensam apparare subditis, qui propter Sacerdotalem dignitatem Regibus conferri merentur: verùm si prodantur capitosi, pervicaces, immorigeri, ferro domandi sunt, carcere, cippis, catenis subigendi: sic

glossa

glossa sentit ; *Aser interpretatur carcer ; & convenit statui Principum ad quorum spectat officium, illos, quos paterna castigatio corrigere non potuit vinculis, & carceribus mancipare.* Prælati est, non modo subditos benignè habere, recreare liberaliter, ac fovere solatijs, sed etiam si contumaces obsistant, graviùs animadvertere, ac pœnis debitis coërcere: *corripiat inquietos.*

Robur non mediocre addit memoratis S. Joannes c. 1. Apocalypsis, referens, observasse Dominum, quorundam socordiâ Prælatorum, in 794
Ecclesijs Asiaticis plures pullulâsse errores & abusus: quid molitur, ut eradicaret? primitùs blandè aggreditur, voces suas immittit, suavibus rivulorum susurris haud absimiles; subinde monstrat dextram rutilantem septenis stellis, veluti apertam in liberalem mercedem, tandem vibrat flammas ex oculis, & ore machæram tenet ancipitem; atque totâ ejusmodi procedendi methodo instruere Prælatos voluit, quâ ratione revocarent errantes & sceleratos subditos; præmittenda nimirum est paterna lenísque correctio, ut emundent, perinde ac si limpidâ & gratâ perfunderent aquâ: objiciendus fulgor stellarum, ut spe præmij attrahantur, & saniora cogitent: si irrita hæc cadant, stringendus est gladius, & ferienda contumacia; quod totum Richardus noster Victorinus his verbis indicavit: *postquam dixit, quod habebat septem stellas in dexterâ suâ, ut hoc esset eis ad consolationem, statim addidit, quod gladius ex utraque parte acutus de ore eius exibat; quod esset ad correptionem: ut illud conferret fiduciam de gratiâ, istud incuteret terrorem de negligentiâ, ut inde sumerent securitatem, ne desperarent, hinc cautelam, ut semetipsos emendarent.* Hæc Richardus.

Illustres & instituto nostro per accommodas censeo Metaphoras; 795
quibus Michæas utitur, ad exprimendas *Prælati* optimi dotes; comparat rori è cælis delapso, & Leoni ex saltu prosilienti: *erunt*, ait c. 5. v. 7. *reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi rosa Domino, & quasi Leo in jumentis sylvarum.* Hæret hic loci obstupefactus Rupertus Abbas, interrogat, *quid magis dissimile, quàm suavitas roris à ferocitate Leonis?* Ros dulcis est, & germina refrigerat, Leo horrorem & igneam iram toto pectore spirat: ros amabile nutrimentum pratis affert, Leo prædator nemora pervagatur; ros absque strepitu descendit ex aëre, Leo rugitum velut tonitru edit, & animalia terrore percellit. Verùm hæc omnia non obstant, quò minus fœcundo suavitérque stillanti rori congruè associetur impetus furiosi Leonis videlicet, quia *Magistri populorum, sive gentium Apostoli* fundunt ad profectum animarum saluberrima docu-

menta, roris instar pinguia, & fructuosa, & omnes intendunt nervos, ut revocent ad semitam salutis; si verò deprehendant, callum obduxisse, in malitiâ suâ induruisse, nec benignitate flecti posse, tum rugire incipiunt cum Leone, acriùs objurgant & increpant: *& lenes & severi sunt, lenes in docendo sive exhortando, severi in corripiendo, & ulciscendo.* Ea propter Prælatus sit *ros lenis* ijs, quos caligo miseriarum involvit, *ros pinguis* ijs, quos adversitas emaceravit, omníque solatio exuit: *ros dulcis*, ubi inundat amaritudo subditorum corda; quando autem vitiorum lethargus nonnullos invasit, quando monstra criminum infestant Domum Dei, rugitu opus est ad segnes excitandos, ad profligandas larvas, ad securitatem præstandam. In Sacra Apocalypsi idem Deus celebratus ut regius Leo, & ut mansuetus agnus: Præses Ecclesiasticus stylum vertat, & priùs *benignitate* Agni occurrat, & frustra si fuit, fortitudinem Leonis demum *exerat: si fuit Agnus per mansuetudinem*, inquit, Richardus Noster l. 2. in Apocal. c. 3. *fiat Leo per potentiam, si fuit Agnus bonos redimendo, sit Leo malos puniendo.*

796 Fixum igitur esto, bonus Prælatus *corripiat inquietos*, sicut peritus equiso calcitrantem & præcipitem equum freno coërcet, ut gressus flectat ad nutum imperantis, *corripiat inquietos*, & animosâ manu premendo, eas virtutum effigies cordibus imprimat, quibus maximè egere censuerit: *corripiat inquietos*, & ictibus pulsando iteratis asperæ illi rupi religiosæ vitæ insculpat imaginem: *corripiat inquietos* & chordas citharæ dissonantes ita adducat, ut perfectam obtineat harmoniam: *corripiat inquietos*, & igne consumat infaustam Phænicem, ut renovetur in vitam meliorem: *corripiat inquietos*, & acutâ suâ correctione, quod traditur de famosâ Achyllis lanceâ, vulneret simul, & persanet: *corripiat inquietos*, & caloris efficaciâ virgam distortam reducat ad exactam rectitudinem: *corripiat inquietos*, & delinquentes plectendo demonstret se Justitiæ Divinæ fidelem ministrum.

797 Recenset S. Joannes, subitò in cœlis patuisse *Sancta Sanctorum*, & septem inde Angelos prodiisse, amictu quidem amabiles, sed vindictâ paratâ tremendos: *Ecce, apertum est templum tabernaculi testimonij in cælo, & exierunt septem Angeli, habentes septem plagas de templo, vesti i lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Apoc. 15. v. 5. Ab Angelis istis, ut habitum Canonicorum Regularium in purâ sindone referentibus, ita designatis à Deo, ut animadverterent in flagitiosos, discant Prælati pœnas meritas à subditis consceleratis exigere: culpis respondeant supplicia, ut appareat inter puniendum innocens affectuum puritas,


puritas, quod non perciti rancoris, odij, vel invidiæ stimulis in vindictam ferantur; imò eodem etiam tempore aurea charitatis fascia pectus præcingat, ut mero divini honoris zelo, & amore salutis proximi incitati, flagella distringant in reos: quòdque spectandum maximè, sint ipsi pœnarum instrumenta ex Sanctuario deprompta, cùm sit aperta voluntas & lex Dei, & opus verè sanctum, eliminare peccata, reparare disciplinam, & morbis domesticis commoda applicare medicamenta, reducere ad frugem, qui furore pravarum affectionum in præceps agebatur. Quod si conniveatur, *transeunt in Prælatum culpæ subditorum*, quos non corrigit, ait Humbertus serm. 171. Nec levia inducit mala excessuum dissimulatio: *Punientur enim non solùm in futuro, sed etiam in præsenti Prælati negligentes pro culpis subditorum.*

Genesis 12. narratur, Saram Ægyptum ingressam omnium oculos 798
& animos in mirabilem venustatem suam advertisse; præsertim verò placuisse primoribus regni, ut dignissimam arbitrarentur, quam regni commendatum irent. Pharao tam exquisitâ pulchritudine captus, eam sibi uxorem deposcit, & continuò in regiam atque ultimum pudicitiæ discrimen adducitur mulier, quod tamen divina providentia clementer avertit, nam *flagellavit Dominus Pharaönem plagis magnis, & domum eius propter Sarai uxorem Abraham.* Gen. 12. vers. 17. Quo in eventu mirum non est, Pharaönem pœnam exsolvere, quippe qui libidinis æstro percitus involavit in prædam ac innocentem columbam: Proceres item ac primarios aulæ ministros luere æquum est, quòd nefariam rem consuluerint Regi, quòd instigârint, ansam præbuerint, & promoverint fœdum adulterium, quod verò reliqua turba famulorum, totáque aula plectatur, quæ non venit in partem criminis, plus dubij habet, & difficultatis; sed Philo Judæus occurrit lib. de Abraham, & causam communis supplicij aperit, quòd delictum Regis & scandalosum consilium per totum palatium fuerit evulgatum, quia verò satrapæ, consiliarij, & domestici corrigere tenebantur Regem, facinus dissuadere, ac dimmovere, & illud omittendo, tacendóque consenserint, jure merito dirè vapulârint: *Regis pœnam*, verba sunt Philonis, *sensit & tota regia, propterea, quòd nemo se tantæ iniquitati opposuerat, sed omnes Regis libidini assensi & obsecuti sunt.* DEus bone! si flagellis supernæ ultionis subduntur aulæ ministri, quòd Regem non monuerint, & corripuerint, quantò graviùs judicium manebit eos superiores, qui tot titulis adstricti plectere & emendare subditorum errata, per supinam negligentiam obmutescunt, & dissimulant, quæ optimè norunt severâ censurâ & correctione indigere? cer-

tissimè *punientur non solùm in futuro, sed etiam in præsenti Prælati negligentes pro culpis subditorum.*

799 Graviter proinde ac paternè hortatur S. Patriarcha Benedictus apud Humbertum c. 171. *Non dissimulet Abbas peccata delinquentium, sed mox ut oriri cœperint, radicitùs ea, ut prævalet, amputet.* Sic nempe tum ipse pœnas negligentibus decretas effugiet, & statuta fidelibus DEI vicarijs prœmia feliciter assequetur.

800 Meministis AA. quænam suprema fuerit Redemptoris operatio, priusquam cœleste capitolium triumphans peteret? Recitat S. Marcus, accessisse Dominum Apostolos, cùm vinculo charitatis conjuncti accumberent mensæ, cibúmque unà cæpisse, tum reprehendisse, quòd tam difficiles se præbuissent in credendâ suâ gloriosâ anastasi, tot argumentis manifestata: *Recumbentibus undecim Apostolis apparuit illis JEsus, & exprobravit incredulitatem eorum, ac duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Marci 16. v. 14. Eóque peracto *assumptus est in cœlum.* Si omnia Christi Domini gesta sunt instructio nostra, arbitror illo exemplo, doceri Prælatos, quâ opportunitate utantur ad errantes subditos, ad saniora consilia reducendos, nimirum eo loci ac temporis, ubi congregantur in charitate sanctâ, suaviter esse instillandum cordibus nectar æternæ vitæ, monitáque salubria suggerenda, quando vel maximè iis admittendis videntur parati, prudenter dispiciendum, quâ occasione cordis durities sit emollienda, mobilis suâ naturâ Mercurius figendus, rubigo vitiorum abstergenda. Si bonus Prælatus ad exemplum JEsu ad mensam defectus subditorum reprehendit, & corrigit, aliquando post mensam dignus evadet, qui cum JESU ad cœlestem dignitatem elevetur.



Ex

Ex

CAPITE XI.

Corripiat inquietos , consoletur pusillanimes.

Prælatus pœnæ pietatem conjungat.

DISCURSUS LXXXI.

AQuilam volucrum Reginam, volatu excelsissimam Apennini incolam , adspectu Solis firmissimam , Romanorum militaria 801 signa, quæ exercitum præire consueverunt , quum acies educenda , & manus cum hostibus conserendæ forent , depictam referebant : Aquilam elegerunt Romani in auspicatissimum signum , utpote præcellenti oculorum acie & fortissimis unguibus instructam , quò indicarent & prudentiam & sagacitatem suam à longè prospiciendi Reipublicæ commoda , & robur ac animum tollendi coronas Regibus , & provincias vastissimas & celebertimas ditioni suæ subjiciendi : Aquilam elegerunt , assuetam oculos in principem siderum generoso & irretorto adspectu configere , quoniam & ipsi toto præcordiorum affectu rapiebantur in claritatem coruscantis gloriæ. Aquilam Romani explicârunt in vexillis ceu Armigerum Jovis , alitem & fidelem ministrum , ut ostenderent , se pariter & armorum tonitru formidandos esse regnis , & violento fulmine , si quæ reluctentur potentiæ , edomituros. Verùm etiam moderni Romanorum Imperatores in Symbolum assumunt aquilam , quam nonnemo ingeniosè expressit uno pede coronam , altero fulmen sustinentem cum lemate ***in opportunitate utrumque***! significare voluit, geminum boni regiminis cardinem esse clementiam & justitiam , & Principem modò irrogare supplicia improbis , modò debere præmia conferre obsequentibus , nunc opus esse rigore , nunc lenitate , nec posse sine æquitatis & bonitatis temperamento & conjunctione felicem subsistere gubernationem. Quod verò emblema illud exigit in Principe , Prælatis quoque S. Gregorius 2. p. past. c, 6, præscribit in hæc verba ; ***Erga subditos***

suos

ſuos ineſſe rectoribus debet, & juſtè conſolans miſericordia, & piè ſæviens diſciplina: quod antea jam monuerat Doctorum Aquila S. Auguſtinus, nunc amorem & benignitatem commendans: *Conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos,* nunc ſeveram injungens caſtigationem: *corripiat inquietos, diſciplinam metuendus imponat:* ut ita laudati paſtoris partes adimplens, & ametur à bonis, & timeatur à dyſcolis, quod aggredior præſenti diſcurſu pluribus explicare.

802 Et ecce in propylæo ſpiritualis hujus ædificij duo exhibet ſimulacra Daniel Propheta: uno repræſentat Supremum Monarcham omnium, altero Angelum fidum Glorioſi Dei Miniſtrum: *Antiquus dierum ſedit.* Dan. 7. v. 9. Videmus hîc proponi æternum Patrem, prototypon accuratiſſimum omnium Prælatorum: quo apparatu? *Veſtimentum ejus candidum, quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda,* ita quidem ornatu externo refrigerium nivis in tempore haud inamænum, & Lunæ teneritudinem in cæſarie voluit exprimere, mera charitatis & clementiæ inſignia; ſed terror formidandæ juſtitiæ non procul abfuit, nam ſolium flammis undique cingebatur, & rotæ currûs quaqua verſum ardenter ſpargebant ſcintillas, quin ipſo etiam ex vultu ignium totiens videbatur dimanare. *Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accenſus, fluvius igneus rapidúſque egrediebatur à facie ejus.* Nec diſſimilis eſt adſpectus Angeli c. 10. v. 5. deſcriptus: *Ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo, & corpus ejus quaſi chryſolitus.* Quâ hypotipoſi demonſtratur veſtium candor in teſſeram liquidæ jucunditatis, aurea zona lumbis circumdata in ſignum flagrantis charitatis, belliſſimus ſplendor chryſoliti pro ſymbolo internæ quietis ac felicitatis. Verùm non deſunt varia ſimul terroris incentiva: *Facies ejus velut ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens, & brachia ejus, & quæ deorſum ſunt uſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis:* quaſi ad morem Æthnæ ſub nivium tegumento flammarum cælaret æſtus, & ſub aurea pietatis faſcia loricam abſconderet juſtitiæ: ita eſt, ſubdit interlinearis gloſſa ſub violento incendiorum fragore denotatur, *velocitas & ſeveritas judicij in peccatores,* quos divina juſtitia atrocibus ſupplicijs in præſenti futuráque *vitâ, ni* reſipiſcant, addicit. Interim vos Sacri Præſides in figuris *iſtis* obſcurioribus luculentam cernitis Ideam tractandi ſubditos, ſicut exemplo Dei & Genij cæleſtis lino vos lanâque veſtitis, ita quos ſortiti eſtis ſubditos morigeros, diſciplinæ tenaces, virtutibus ornatos, fovete omni benignitate, amore, comitate, ac liberalitate: ſi verò deprehendatis rubiginem vitiorum, iniquitatis maculas, culparum ſordes, ah ne moram nectatis, ignitum torren-

torrentem effundatis, quod puritati restituendæ conducat, ne omittatis: *Erga subditos rectoribus inesse debet, & justè consolans misericordia, & piè saviens disciplina.*

Capite 5. Apocalypsis S. Joannes latè recitat, emersisse difficultatem non vulgarem in reserando volumine quodam pluribus sigillis occluso; cùm senex quispiam coronâ redimitus, solióque Omnipotentis Monarchæ locatus asseruit, pertinere id muneris ad Leonem è tribu Judæ, victorem, hunc mirificè, quæ recondita essent mysteria propalaturum: *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David aperire librum* v 5. Subinde agnus totus conspersus sanguine accingitur operi, librum pandit, & abditissima quæque prælargè revelat. At quomodo reservatum dicitur negotium istud Leoni, & agnus exequitur? si ardua fuit adeo causa, ut terrore ac invictâ leonis fortitudine terminanda esset, quì fit, quod placida & innoxia indoles agni subierit onus, & feliciter confecerit? Mirari desinet, qui meminisse voluerit, volumen illud à Filio Dei fuisse apertum, qui merito suo sibi vendicat titulum & Leonis & Agni: Leonis ob virium infractum robur, agni propter summam mansuetudinem. Leonis stupendæ fortitudinis, agni incredibilis benignitatis, Leonis adversus sceleratos ignem & vindictam spirantis, agni pro justorum salute sanguinem sponte fundentis. Hinc appositè Richardus noster lib. 2. in Apocl. c. 3. scribit. *Redemptor est Leo per potentiam majestatis, agnus per mansuetudinem. Leo fortitudine, agnus pietate, Leo malos puniendo, agnus bonos redimendo.* Effecta certè, quæ pluries redemptor noster præstitit; Nam idem, qui præsens refocillavit tres juvenes in fornace babylonicâ tripudiantes, sub specie lapilli percussit & humi afflixit statuam, arrogantis & barbari Regis iconem, idem qui fidelibus suis sub ignis formâ præluxit, ac noctis horroribus exemit, hostes è cœlo vibratis fulminum telis profligavit, idem qui ut Psaltes cecinit in solatium amicorum, *Dominus regnavit, decorem indutus est*, inimicos validissimè impugnat: *indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Psal. 92. ubi glossa: *Amicus ergo decorem inimicis fortitudinem ostendit.* 803

Et sanè *decorem indutus est*, quando in Monte Thabori, nterpretante eadem glossa, *coram tribus discipulis resplenduit*: quis autem nostrûm ignorat, super illo monte amabilem faciem Solis instar effulsisse, & vestimenta candori nivium certâsse? En viva justitiæ severæ in ardore Solis, & quæsitæ bonitatis in refrigerio nivis symbola? sed addamus, quod Dominus sibi assistere voluerit Moysen & Eliam: ille mortalium fertur mansuetissimus fuisse Num. 12, v. 2. iste contra in quos Zelo exarsit justæ 804

vindictæ 3. Reg. 19. v. 10. ut discipuli lecti in futuros Ecclesiarum Rectores *fierent*, ait Chrysostomus, *mitis ut Moyses, Zelotes ut Elias*, & benignitatis teneritudini conjungerent justitiæ terrorem, rursum temperarent ardorem pœnæ rore clementiæ, quo tendebat S. Augustinus: *corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, disciplinam metuendus imponat.*

805 Jam inde à primis sæculis hunc morem tenuit Deus Optimus Maximus. *Deus æmulator, & ulciscens Dominus*, dixit Nahum Propheta c. 1. v. 2. *ulciscens Dominus, & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos.* En quantum exardescat in ultionem! ignem ejaculatur & immanem cladem hostibus intentat, verùm, quod mireris, illico subjungit Vates: *Dominus patiens & magnus fortitudine* v. 3. ita irritatus Leo *in agnum* migrat, aliorúmque errata clementer potentérque condonat. *Dominus in tempestate & turbine via eius increpans mare, & exiccans illud, montes commoti sunt ab eo* v. 4. Viden, quas cieat tempestatum motus? quas marium procellas? quas montium trepidationes? *& tamen bonus Dominus, & confortans in die tribulationis* v. 7. Tremendus Judex naturam inducit amantis Medici, ferit, ut sanet; Diffiteri equidem nullus poterit, *in diluvio prætereunte consummationem faciet loci eius, & inimicos eius persequentur tenebræ* v. 8. adversarios suos malis inundabit, & contepeliet in abysso; verùm propediem pax evulgabitur, & funestis cupressis lætæ fragiferæque succedent olivæ: *Ecce super montes pedes Evangelizantis & annuntiantis pacem* v. 8. Ita Leonem unà & agnum agnoscimus, Dominum exercituum & Principem pacis severum Judicem, & benignum Salvatorem, ex quo apparet qualem se quivis Prælatus exhibeat, innocentibus nimirum & justis agnum, vitiosis refractarijs Leonem, suavitate demulceat afflictos, duritiâ pœnæ contumaces frangat, benignè complectatur obedientiæ filios, rigidè percellat temerarios regularum prævaricatores: Verbo: *corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, disciplinam metuendus imponat.*

806 O quàm accurate ex monstratâ hac normâ suas composuit actiones S. Raymundus noster! Evectus ad Abbatialem dignitatem, verè *decorem indutus*, omni mansuetudine tractavit subditos, *ut suis potiùs servierit, quàm imperârit.* Prop. Latron. 21. Jun. viscera pietatis explicavit in omnes, neminem dimisit solatio vacuum. Idem tamen Episcopali sedi Barbastensis Ecclesiæ præfectus, ut vidit crimina catervatim ingrassari, nec fidē, nec pudorem, nec charitatem Christianam in pretio ullo haberi; tum enimverò bellum indixit vitiorum monstris, ut Leo irrugijt, & acerrimè abys-

lus

lus passim vigentes perstrinxit, nec adeo Regis Alphonsi Majestatem, quum arma in Christianos movere decrevisset, arguere reformidavit, monuit, objurgavit, absterruit, ut liquidò pateret, & *erga subditos consolans misericordia, & piè sæviens disciplina.*

Unanimi consensu asserunt Sacri Interpretes, Aaronis virgam fuisse 807
typum haud obscurum & Prælatorum & ipsius Prælaturæ, & observatu dignum est, quod illa pro varietate situs varia patrarit prodigia: posita enim in tabernaculo Dei viget, gemmescit, frondet, floret, ut Num. 17. v. 8. refertur: Moyses *invenit germinâsse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* In aulâ verò Ægyptiacâ faciem assumpsit horrendi serpentis, qui faucibus dilatatis virgas magorum in totidem angues mutatas deglutivit: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone & servis eius, quæ versa est in colubrum, & devoravit virga Aaron virgas eorum.* Exod. 7. v. 10. Mirum perfecti Prælati symbolum, qui tortuosos Ægypti serpentes, id est, homines consceleratos & exitiales animosè persequitur, severè plectit, & Zelo flagrante consumere laborat, justos verò & innocentes Dei famulos in tabernaculi & Altaris ministerio indefessos suaviter tractat, flores & fructus progerminat, quibus in Domino recreentur. Quod assertum egregiè firmat alia virga, de qua Isaias c. 11. ita vaticinatur. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice eius adscendet.* Verbum unigenitum æterni Patris ex radice Jesse, qui Davidis erat Progenitor, nasciturum, virga erit æquitatis & justitiæ simúlque florem exquisitæ suavitatis & pulchritudinis producet. Sed quare per virgam & florem adumbratur? ut impios percutiat tanquam virga ultrix, & veluti flos bonos Solatio perfundat, quod Origenes hom. 8. in Num. acutè perpendens: *nec hoc ipsum*, ait, *videtur otiosum quod exire dicitur virga, & flos adscendere: sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga, qui autem proficit ad justitiam, adscendit in florem.*

Posteaquàm sermo incidit de Aarone primario & spectatissimo Israe- 808
litarum Prælato, tum etiam Christo Domino nostro supremo pastorum Principe, consentaneum est, utrisque adjungere S. Petrum, qui successit illi in lege novâ, & hujus vices præpotenter sustinuit. Petrum bifariam voluit Dominus insudare piscationi, semel jussit sagenam adhibere, è lineis tenerisque filis contextam, in maris sinum expandendam, & pisces absque ullo tormento vel sensu doloris in littus protracturum: *Laxate retia vestra in capturam* Lucæ 5. v. 4. Rursum præcipit insidiari piscibus hamo, qui acuto suo unco violenter carpit, & cruciat inescatos: *vade ad mare*

& mitte hamum. Matth. 17. v. 26. eo confixi pisces velint, nolint, ex undis proripiuntur. Apposité S. Ambrosius in cap. 5. Luc. *Bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ captos non perimunt, sed reservant & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad superna perducunt. Est & aliud Apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari Dominus jubet, dicens, mitte hamum, & eum piscem, qui primus adscenderit, tolle.* Hinc unus quisque Prælatus, retia & hamum conspiciens in manibus Petri, commonetur, rete in familiarem usum destinari & frequentius connitendum, ut subditi benignè habiti, & suaviter provocati, mandata exhauriant, & obsequantur non inviti; nonnunquam tamen indigere adminiculo hami, seu duriore ac justâ in perduelles vel immorigeros animadversione quia, ut Magnum Gregorium monere memini, *inesse Rectoribus debet, & justè consolans misericordia, & piè saviens disciplina.*

809 Memorabile est, quod proditum legimus in Sanctis Evangelistis Matthæo & Marco: Salvator Bethaniâ Jerosolymas adscendit, fame stimulatus, *vidit fici arborem unam secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in eâ, nisi folia tantùm, & ait illi, nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea* Matth. 21. v. 19. Quid dicamus ad factum isthoc? AA, si planta vacavit omni penitus culpâ, cur adeo acerbæ pœnæ subditur? si S. Marcus in favorem ac tutelam ejus contestatur, *non erat tempus ficorum* Marc. 11. v. 13. Quare Dominus infinitæ bonitatis tam dirâ fulminat execratione ac sterilitate mulctat? scitè dubium enodat Orator aureus hom. 86. in Cat. aur. *Quia ubique benefaciebat, nullum autem puniebat, oportebat & punientis ejus virtutis demonstrationem tribuere:* ac si apertiùs diceret, quoniam filius Dei passim ostendit argumenta immensæ benignitatis, gratias cumulatè omnibus elargiendo; visum integrum restituit cæcis, audiendi facultatem surdis, loquelam mutis; famelicis subministravit panem, munditiem contulit leprosis, mortuos ad vitam revocavit, febriles corporum ardores extinxit, malos genios ex energumenis ejecit, & pellendo mala, bona ubertim communicando, bene de omnibus meruit, ut igitur palam faceret, officium principis postulare, non solam pietatem sed etiam rigorem justitiæ, arborem infæcundam perculit sententiâ perennis ariditatis, atque sterilitatis, insinuans speciatim Sacris Præsidibus, quo pacto favere debeant bonis, malos verò & virtutum vacuos frustra Monasterij terram occupantes meritis affligere suppliciis; *corripiat inquietos, & disciplinam metuendus imponat.*

Sapientia

Sapientia incarnata, ut indicaret munia Apostolicorum Prælatorum propria, Soli pronuntiavit similes: *Vos estis lux Mundi* Matth. 5. vers. 14. 810
quod variis conceptibus illustrant Doctores, ad meum institutum propriè servit, quòd diversa operetur effecta Sol, prout alias & alias reperit dispositiones materiæ: uno loco generat aurum, alio argentum, ferrum vel cuprum: hîc producit elegantissimos flores, vel fructus delicatos, ibi horrentes tribulos & spinas, idem amaro succo inebriat myrrham, & suavi dulcedine replet Hyblæ calamos, & sacchari cannas in Brasiliâ, hinc epigraphen tulit: *mortificat, & vivificat.* Haud aliter perfectus Prælatus aurum progignere debet remunerationis, & ferrum æqui supplicij: floribus abundet ac spinis necesse est, ad justos coronandos, & castigandos iniquos: diffundat calorem vitæ in addictos virtutibus, stringat mortificationis rigorem in scandalosos regularum osores; ita quidem geminis pietatis & justitiæ alis evehetur ad thronum gloriæ, ubi per æterna sæcula *fulgebit sicut Sol in conspectu Dei.*

Ex

CAPITE XI.

Consoletur Pusillanimes.

Prælatus subditos timore, tristitiáve perculsos erigat.

DISCURSUS LXXXII.

GRandis aberratio dicam, an infelicitas ea est ingenij humani, 811
quod ubi contendit res objectas summis encomiis condecorare, laudaréque, ut gradu supremo perfectas, effingat monstrosas: ut explicaret virtutem, & multijugam efficaciam Solis, quam in corpora inferiora mirificè propagat, tot mirabilia operando, repræsentavit Briareum, centum brachiis armatum, ut

 expri-

exprimeret inconniventem Argi vigilantiam, assimilavit Cherubinis primò Ezechielis & 4. Apocalypsis capite descriptis, toto corpore oculatis; ut Ephesij Dianam diviuâ liberalitate conspicuam ponerent ob oculos, *mammis multis*, ut scribit Minutius Felix, *& uberibus instructam* efformârunt. Portenda quidem hæc artis sunt, & monstra naturæ, utcumque tamen referunt infinitas Dei perfectiones, qui perhibente S. Augustino Epist. 111. non solùm *totus oculus est, & totus manus est*, quoniam intuetur omnia, & singulis providet, verùm etiam ipso *Sadduci* vocabulo, quod *Deum uberum* notat, in sacrâ linguâ colitur, quia per modum universalis nutricis cunctas res creatas, præsertim calamitosas & afflictas dulcissimo consolationis lacte demulcet, ac reficit, nuncupatus propterea à Doctore gentium *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ* 2. Cor. 1. v. 3. Divinam hanc teneritudinem cordis optabat S. Augustinus elucere in suis Prælatis, unumquemque monens: *Consoletur pusillanimes*, subditos ut filios amet, verba consolationis exerat, pascat, recreet, & laudem mereatur, quam postmodum Gilbertus Abbas apud Ramir. in Cant. n. 1413. attribuit *Paulo Apostolo, tot videtur abundare mammis, quot modis arte ingeniosâ capacitati se infirmorum coaptabat*, qui sanè de semetipso testatur 2. Thessal. 2. v. 7. *Factus sum in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Mærorem igitur suorum Prælatus verbis lenibus, & amore, comiseratione que plenis levare satagat, languentes & malis oppressos erigat, & officium, ut demonstrare propono, Angelicum, imò divinum exequetur.

812 S. Gregorius Nazianzenus pro fundamento discursûs pretiosum hoc suggerit consilium orat. 16. Audi, quisquis ad gubernaculum, ad Dominum, ad Principatum promotus emines: *Cura, ut proximo tuo idcirco præstantior sis, quia benignior, fac calamitoso sis DEus, Dei misericordiam imitando.* Consonat Plinius lib. 2. c. 7. *DEus est mortali juvare mortalem;* proximè prærogativas æmulatur Divinas, qui proximum complectitur visceribus pietatis; & ita sacris Præsidibus convenit, quod Seneca de Regibus edixit in Medea Act. 2.

- - - - Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies
Prodesse miseris, supplices fido lare protegere.

Et sanè Prælatis incumbit, dolorem animi lenire in subditis, & confirmare afflictos, ut Tharsensis profitetur Rom. 15. vers. 1. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, siquidem DEus nos suo provocat*

eat exemplo, & consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt. 2. Cor. 1. v. 3.

Optimè Prælati boni speciem Apocalypticæ Olivæ ac candelabra referunt, quæ origine primævâ Enoch & Eliam, ex mente verò Ecclesiæ 813
nobilissimos Martyres Joannem & Paulnm significant: *Isti sunt duæ Olivæ, & duo candelabra* Apoc. 11. v. 5. Olivæ sunt Prælati, quorum operâ in Ecclesiâ eorum & Collegio sarta tecta conservatur pacis felicitas; Olivæ sunt Prælati, quorum pretiosus doctrinæ liquor opimat subditos, & velut Athletas inungit ad vitia heroico vigore propulsanda. Verùm Olivæ sunt Prælati maximè, quòd affectu pietatis & misericordiæ foveant, excitent, consolentur miseros, tristitiæ procellis submersos, ærumnis fractos & languidos. Candelabra insuper evadunt lucernis abundè instructa ritu solenni, quo fulgebant vel in tabernaculo Moysis vel in templo Salomonis, ut luce pariter & calore succurrant ijs, qui tenebris spiritualis mœstitiæ involuti gemunt, vel frigore pusillanimitatis correpti, obriguerunt. Quemadmodum verò vices agunt Christi, qui significationis virtute unctum denotat, ita stillant oleum clementiæ & saucijs applicant præ acrimoniâ vini, ut benignitate allecti ad sanitatem revocentur: ita ceu periti Medici phacmaca adhibere malunt refrigerantia, quàm cauteriis cruciare: præferunt baculo Giezi calorem vitalem Elisæi, & Spiritu Sancto se plenos demonstrant, qui *Consolator optimus* consalutatur ab Ecclesiâ. Atque documenta hæc omnia uno complectitur verbo S. Augustinus: *Consoletur pusillanimes.*

Calculum huic thesi nostræ promere lubet ex lapide sepulchrali. Lazarus Salvatori cumprimis familiaris & gratus concessit fato, & computrescere in tumulo occepit. 814
Christus pro suâ in amicos clementiâ decrevit restituere vitæ defunctum, & sepulchræ jam proximus, vertit se ad Apostolos, cohortans Joan. 11. *Tollite lapidem.* Præceptum hoc singularem movit admirationem S. Petro Chrysologo, qui combinare satis non valens, quòd præpotens & Divina virtus Christi sociam exigat industriam, & conatum humanum, quod repagula perfringens duræ mortis, suppetias quærat contra obstaculum saxi, quod reserans portas æreas inferni, hæreat ad tumbam mortui, exclamat serm. 65. *Inter divinas virtutes humanum Christus requirit auxilium? Non sufficit amovere lapidem, qui mortem sufficit effugare? Sepulchri claustra reserare non valet, qui portas tartari prævalet aperire?* Poterat utique, vocavit tamen discipulos, ut operam conferrent, piásque jungerent manus, pro instructione Prælatorum, quos promptâ condecet accurrere voluntate, ubi advertunt, angustiis con-

flictari

flictari subditos, levaminis & solatij summopere indigos. Sententia est S. Ambrosij lib. 2. de pœnit. cap. 7. *Poterat tacitâ vi operationis occultâ transferre saxum sepulchri, sed hominibus jussit, ut removerent lapidem, in typo, quod nobis donaret, ut levaremus delictorum onera, moles quasdam reorum.* Quare obligatio nos urget, O Episcopi, & Pastores, O Prælati, ad animas nobis concreditas, & duriùs afflictas eximendas, dulcíque solatio refocillandas: *Nostrûm est*, concludit S. Ambrosius, *onera removere.*

815 Quod theoricè ostensum est hactenus, exemplo practico Angelorum potest confirmari. Primam cœlestium geniorum mentionem facit Sacra Pagina Gen. 16. Cùm Agar in horridâ solitudine cum Ismael *filio oberrans* viribus paulatim, & penu, præsertim aquâ destituitur, & *filij languidum* corpus amplius sustentare non valens, subter arborem *se se* abjicit, excutiente supremâ necessitate utrique lachrimas efflictim opem Numinis implorant: nec frustrà; Angelus enim è cœlo submissus puteum ostendit siticulosis, Matrem officij sui communefacit, & ambos *solatio* ingenti perfundit: ubi notatu dignum est, Magnum illum *Dei Ministrum*, non esse legati munere perfunctum ad Monarcham quempiam Orbis, aut præcipuum Principem, sed fuisse destinatum ad ærumnosam, pauperem, derelictámque mulierem, ut constaret, quantopere cupiant mentes Angelicæ consolari afflictos, & animos sufficere desperatis & languentibus. Eâdem in historiâ est etiam observandum, quòd Angelus ille noluerit se spectabilem præbere in majestate congenitâ, vibrando scintillas & fulgura ex oculis & terroribus miseram percellendo, sed fronte explicatâ, *amabili* vultu, ita verba & mores componendo, ut solo obtutu excitaretur, infelix fæmina & spiritum resumeret. Hunc Angelum S. Bernardus credit Prælatorum esse Magistrum, atque instruere ipso facto, ac si pleniùs peroraret: *O Præsides, Ecclesiarum Angeli, discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos, studete magis amari, quàm metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit non tyrannica: Matres fovendo, patres corripiendo vos exhibeatis: Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera,* quod compendio docet S. P. N. *consoletur pusillanimes.*

816 Si primum Angelorum munus perhibetur, fuisse in lege naturæ, consolari vagabundam Agar in deserto, præcipuum ferè fuerit tempore gratiæ in horto Gethsami solatio JEsum afficere: extremâ conficiebatur tristitiâ Dominus, & doloribus mortis conflictabatur, cùm ecce, ait S. Lucas cap. 22. v. 43. *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* Quæso vos, quæ fuit necessitas tam longè accersendi lenimen? nunquid proximi aderant charissi-

charissimi discipuli, Petrus non tam armis magis quàm leonino instructus animo? Nonne Jacobus, ceu filius Tonitrui, fulgore suo horrorem tristitiæ fugare, ac mærorem poterat abstergere? Quid amabilius, quid dulcius Joanne? eccur ergo non adhibet solatium propinquum? Sed noluit Christus à dolore vindicari per homines illos, quos novit pusillanimes ipsos, jam & mœstos, brevique in tædam fugam agendos, & adeò consternandos, ut consolatione indigeant, non verò afflictum à mærore animum alterius excitare valeant: Angeli proinde advocantur, qui velut ab omni corporis concretione separati, mortísque periculo exempti, contra timorem mortis armare poterant agonizantem Dominum, & præ mœstitiâ fatiscentem erigere. Angeli advocantur, qui sicut fidelem jam famulatum Dei Filio exhibuere, postcaquam quadragintadiali inediâ confectus languebat, ita modò confortent, ac reficiant, ubi pavore terribili prostratus humi cum morte luctatur. Quid plura? Comparet Angelus, quoniam super homines novit, & prensat afflictum sublevare, & solatio demulcere, quàm potest maximo.

Atque hoc propensum Angelorum in homines studium in divinis 817 litteris frequentissimè traditur: jam gladium strinxerat Abraham, cæsurus hostiam Isaac filium, & spem promissorum decollaturus nepotum, malens exuere naturam, quàm obsequium, cùm Angelus è cælo allabitur, ictum inhibens, & cædem filij. Testatur, sat magnum de Patriarchâ fidei & obedientiæ captum jam esse experimentum: quanto utriusque solatio quis tandem explicet? Ingens Israëlitas pavor invaserat, cùm objiceretur à fronte Erythræi, maris abyssus, à tergove instaret exercitus Ægyptiorum, ut adeò hærerent & trepidarent inter sacrum & saxum, nec quo se verterent, haberent: Sed ecce Angelus Domini se in columnâ nubis medium inter Hæbræorum dorsa, frontémque barbarorum insequentium collocavit, illos quidem antrorsum longè latéque fuso lumine mirabiliter illustrans, ac recreans, in hos verò tenebras spargens, & fulgurum terroribus iter præpediens, dum illi sicco pede transirent mare, non minore solatio, quàm prodigio. Judæam vastabant Midianitæ, locustis & numero & ingluvie similes, populus Dei cum veri Numinis cultu animi robur amiserat timidissimus, in speluncis & sylvarum recessibus latitans, nec hiscere ausus ad sui despoliationem. Gedeonem revisit Angelus, ostentis contra hostem animat, & spe victoriæ indubiâ confortat. Machabæos in extremum adductos discrimen in medio conflictûs ardore, prævalente barbarorum copiâ, tutati & consolati sunt Angeli. Daniel in antrum demissus leonum prædæ inhiantium securus triumphat, concludente bestiarum fauces An-

gelo, & Prophetam suaviter deliniente. Tres Juvenes, in ardentem clibanum conjecti, exultant illæsi, quoniam Angelus Domini dudum affudit rorem & refrigerium. Petrus illuvie Herodiani carceris afflictus, Angelum experitur, tenebras pellentem claritudine, vincula solventem, æreas perfringentem portas, & asserentem in libertatem ac gaudium Ecclesiæ. Paulus sævâ tempestate jactatur in mari, navigantes de vitâ actum esse conclamant, sed Angelus Apostolo se visendum dat, securitatem spondet, & timorem omnem tristitiámque dispellit.

818 Verùm ita officium consolandi miseros, proprium est Angelicis Spiritibus, ut non multò magis ipsemet gloriosus DEus sibi arrogârit, & afflictos famulos suos omni dulcedine refocillârit. Loquatur pro me *Abraham* Patriarcha, egressus patriâ, vexatus diversis casibus, mille *angustiis* oppressus, nunquam non apertum habuit sinum Divinæ clem*entiæ*: hinc curæ mitigatæ, hinc vires restauratæ, hinc animæ mœrentis optatum levamen. Loquatur Jacobus, seu fugiat patriam, & fraternum *furorem* Esau, seu domum remeans Labanis iniquis fraudibus, & violent*æ persecutioni* se subtrahat, semper propitium invenit DEum, *maternis solatiis* affluentem. Loquatur Moyses sive patriâ extorris, sive oberrans in deserto, sive in aulâ prematur, fatebitur nunquam DEI præsidium & dulcedinem defuisse. Loquantur Filij Israël, ad incitas redactos pavit Deus cibo suavissimo cælitùs delapso; potavit frigidâ è petrâ scaturiente. Loquatur Elias, cui cæterà derelicto corvus stravit mensam, attulit annonam, panibus & carnibus sustentavit liberaliter. Placet adire monumenta Evangelij? bene habet: Quid majori procuravit contentione Filius Dei, *quàm* ut gratias impertiret calamitosis? assidet nuptijs Canæ? solatur sitibundos & generoso vino miraculosè suppeditato convivas exhilarat. Judæam circuit? famelicis mensam panis & piscium lectorum copiâ instruit. Adducuntur coram eo infirmi? nullum à se dimittit mæstum, è luto ceroma format, & cæco limpidum visum restituit: virtute digiti surdo *reserat* aures, salivam applicat labris elinguis homini, & facundum reddit, dextram extendit ad sandapilam, & vitâ functum ad mortales revocat; clamore valido è lethali somno Lazarum excitat, & vestimenti orâ *sanguinis* profluvio. Liberat infelicem fæminam: attactu manus *incendium* febrile à Socru Petri propulsat, simplici jussu maculas *lepræ* abstergit, Solo nutu tremores paralysis coërcet: Verbo, ut omnes bonitatis suæ efficeret participes, altâ voce invitat Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, ut agnoscatur, *Deus totius Consolationis*, cunctos consolans *in omni tribulatione eorum.*

Nec

Nec illud hìc loci omittendum censeo, quod licet Salvator noster, antequam vale huic Mundo diceret, superr àsque repeteret sedes, multoties insinuârit : *Ego ad Patrem vado* Joan. 14. *Vado ad eum qui misit me, expedit vobis ut ego vadam, &c.* Nihilominus noluerit iter cæleste ingredi, nisi Sacrosancta ipsius anima lustrâsset tenebricosa limbi ergastula, & patres inibi detentos : *descendit ad inferos.* Cur obsecro descendit, qui aliud animo versare, aliud non solebat proloqui præter gloriosum Patris regnũ. Præter Empyrei cæli thronum jam magnificè apparatum? Eò permovit flagrans charitas, & incredibilis erga miseros benignitas, nec satis habuit communicâsse viventibus cælestium consolationum nectar & ambrosiam, voluit derivare ad defunctos, ad inclusos miserabili carcere, his solamen ut adferret luculentiùs, Divinâ præsentiâ recreavit, quod indicat Zacharias Lucæ 1. v. 18. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris sedent. Sic enim*, ut amplius exponit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. c. 3. *plena misericordia ostenditur, si non solum vivis in hoc Mundo, sed etiam morte oppressis, & in tenebrosis abyssi recessibus sedentibus dimissionem prædicaverit.* 819

Quemadmodum ergo unigenitus Dei Filius Patres in limbo revisere dignatus est, & favore superni luminis recreare quos centrum terræ in spissis tenebris captos detinuit, ita Prælatus satagat pro suâ prudentiâ non tam occurrere calamitatibus eorum, quos generis splendor, vel meritorum aut virtutum præclarior comendat ubertas, ut excitentur in stadio, & animentur ad perfectionis studium alacriter capescendum & prosequendum; sed etiam illos paternis solatijs complectatur, qui obscuro loco nati, nec talentis naturæ adeo illustres, nec alijs prærogativis eminent, sed multis infirmitatibus ac miserijs premuntur, ne penitus inter religionis onera elanguescant, aut amaritudine repleantur. In memoriam identidem revocent Prælati, quod sicut Redemptor noster postquam *descendit ad inferos*, mox *adscendit ad cælos*, ita ipsi, si charitatis Religiosæ impulsu sese ad inferiores demittant, timidos animent, languentes erigant, omnes suavi solatio permulceant, inde promovendi sint ad regnum cæleste, & coronam æternæ retributionis. 820



Ex

CAPITE XI.

Suscipiat infirmos.

Prælatus magnam ægrotis charitatem exhibeat.

DISCURSUS LXXXIII.

821 QUantùm symmetriâ membrorum, & oris gratiâ corpus humanum præstat belluinis, tantò densioribus *subjacet incursionibus* morborum, & frequentioribus *miserijs atque cruciatibus* gravatur. Quàm pronum est febribus conflictari ex calore accenso in corde, & hinc diffuso in totum corpus, ut pectus æstuet initar ardentis fornacis, & non tam sanguinis rivi per venas commeent, quàm vivæ scintillæ emicent in arterijs, mox afflictæ languent vires, frons in morem incudis dolorum ictibus pulsatur, labia livent, cor tantâ concutitur violentiâ, ut nativis propemodum fibris avellatur, & sicut miseranda navis decumanis hinc inde fluctibus jactata in momenta *me*uit submergi, sic infelix eiusmodi & mille angustijs, & ærumnis divexaus æger indesinenter ferale mortis spiculum præstolatur. Verùm quo major est Religiosi valetudine adversâ correpti miseria, eo pretiosior est misericordia Prælati, qui solicitâ vigilantiâ & opitulando studio assistit, & ægrum nunc brachijs complectitur pietatis, ceu naufragum in *portum* subtrahat, nunc instar Delphini dorsum supponit periclitanti, *nihil*que stætermittit, quod ægritudini levandæ conducat. Hanc charitatis demonstrationem, ut quisque suorum Prælatorum præleferat, injungit S. Augustinus: *suscipiat infirmos*, quod B. Humbertus c. 175 his *verbis* declarat: *illos subditos, qui propter infirmitatem mentis vel corporis sunt onerosi, non debet proijcere, sed potiùs humeros ad portandum supponere.* Idem placet in præsens pluribus constabilire rationum monumntis.

822 Maximus ille promus Condus mysteriorum Divinorum, Paulus Apostolus contuens immensam Christi Gloriam, sublimia animi sensa his verbis

bis explicat Hebr. 1. v. 5. *Cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portánsque omnia verbo virtutis suæ, sedet ad dextram majestatis in excelsis.* Mira disjunctissimarum rerum conjunctio! Verbum Dei in splendoribus æternis effulget, ac supereminet omnibus, & Paulus asserit, eo res omnes fulciri & sustentari? Verbum Dei dicitur in Sacris litteris super alas Cherubinorum invehi pompâ solennissimi triumphi: quî ergo Tharsensis Præco sub onere constituit, & molem totius Orbis gestandam imponit? quomodo vultus gloriâ coronatus, cum dorso sic gravato consentit? verùm si quæratis ex S. Joanne Chrysostomo, quid denotet illud assertum: *portans omnia*; respondebit: *siquidem cadentia & ad nihilum tendentia continet*, gubernat, dirigit, ac in esse suo conservat creatas res, ingenitâ suâ debilitate ad exterminium proclives: quo pacto non solùm infinitam suam demonstrat potentiam, sed etiam supremum gloriæ thronum à Patre æterno promeretur: *portans omnia, sedet ad dextram majestatis.* Unde præclarum Prælati documentum capiant, qui Deo similes illustrissimum diadema adipiscentur, perlibenter humeros supponunt Religiosis suis, qui morbis fracti & afflicti decumbunt: quod sane est *cadentia, & ad nihilum tendentia continere*, Deúmque propiùs æmulari ut Sidonius Apollinaris l. 6. Ep. 12. tradit: *Ego*, inquit, *illum præcipuè puto suo vivere bono, qui vivit alieno quique fidelium calamitates, indigentiámque miseratus facit in terris opera cœlorum.*

Non immerito historiæ extollunt charitatem tenerrimam S. Germa- 823
ni, qui, per alpes in Italiam contendens, quum ad torrentem deveniret, advertetétque, aliquem è comitatu viribus defectum, & claudum ægrè transiturum, sustulit eum, & humeris impositum in adversam ripam transportavit Bonfin. l. 4. Decad. 1. Haud paulo tamen superior fuit Evangelici pietas Pastoris, quippe qui cernens aliquam abesse oviculam, in eremo erroribus circumactam, & periculis extremis à fame, lupo, luce obnoxiam, actutum se viæ accinxit, vestigia sollicitè rimatus est, languidam invenit, miserabili sarcinæ libens scapulas supposuit, atque lætus & hilaris ad gregem retulit: *imponit in humeros suos gaudens* Luc. 15. Quod factum aliquantò profundius expendens Tertullianus l. 8. advers. Marc. c. 9. ita discurrit: *Novus Rex Novorum Ævorum Christus Jesus nova gloria & potestatem & sublimitatem suam humeris extollit*: Non igitur Majestatem Regiam in sceptro aureo, non in Coronâ Margaritis fulgidâ sed innovato sæculorum usu, ac æstimatione in clementiâ & benignitate erga perditam ovem collocavit. Plinius multis encomijs celebrat Titum & Vespasianum Augustos, quod intimo commiserationis sensu afflictas pro-

provincias sublevarint ; *cælesti passu*, inquit l. 1. c. 7. cum *liberis suis vadit maximus omnis ævi Rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens.* Quod totum egregiè in bonum Prælatum quadrat, qui viscera misericordiæ in ægrotos suos explicat, sedulam eorum curam gerit, lectulo maternâ pietate assistit, fovet charitatis alis, *cælesti passu* vestigia premit Salvatoris, *& facit in terris opera calorum.*

Quis commodet pro meritis insignem illam Centurionis in famulum
824 suum infirmum pietatem ? adversis ejus indoluit, ut qui maximè, sensitq; cruciatum in corde suo, quem paralysis in servili corpore inflixit, non horruit illum ceu minùs servitiis suis jam idoneum, non adspernatus est vilem conditionem, sed miseratus calamitatem, confugit ad pedes Salvatoris, enixè flagitans salutem: *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus*; *servum non spernit*, commentatur S. Basilius Seleuciensis orat. 19. *præ ægritudine corporis tabescentem*: *non servi contempsit afflictionem herili fastu turgens, verùm obibat, investigans periculi remedium.* Observari velim, quibus verbis exprimat comiserationis sensum: *Domine puer meus jacet*: ac si palam diceret; miserabilis ille *Juvenis ita ex integro* meus est, ut infirmitas pariter, quâ conflictatur, sit mea, sors utrique communis est, idcirco, quod supplex contendo pro servo, mihi deposco, quoniam charitatis est sympathia *morbus est meus*, ut Hugo Cardinalis interpretatur. Atque hunc ipsum compatientis naturæ consensum ab unoquoque Prælatorum suorum exigit S. Augustinus, ordinando: *Suscipiat infirmos.* Avertant Superi, ne saxea gestes viscera erga miseros, & omni solatio ac lenimento dignos! Ne sublimitas Prælaturæ *surdam* efficiat, ac insensibilem ad mala subditorum! sit Pater in regimine, sit tamen etiam Mater erga oppressos variis ærumnis: meminerit quemvis subditum, qnibuscunque defectibus corporis laborantem, esse omnino suum, & imitetur S. Paulum apertè profitentem: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* 1. Cor. 11. v. 20. utatur eâ diligentiâ in refocillationem aliorum, quâ ipse curari cuperet: ita se subditis afflictis ostendat solertem, providum, blandum, compatientem, ut sincerè possint illi attribuere illud elogium: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Isa. 53. v. 4.

Religioni mihi ducerem tractans de Centurione, si omitterem ali-
825 am quandam ejusdem S. Basilij reflexionem, adeò ingeniosa & opportuna mihi videtur; advertit laudandus Doctor loc. cit. servum lecto affixum, omnibúsque artubus captum evadere ductorem, viamque hero suo ad DEum commonstrare: ex militis ægritudine promoveri ducem ad Dominum

num exercituum, & salutem æviternam: Patronum pro sanitate servi sollicitum ad agnitionem elevari supremi rerum opificis, & authoris sui Optimi Maximi: Venatorem alterius inhiantem saluti ab ipso Salvatore capi summo suo compendio, pro tantillo impendio. *O miraculum!* verba sunt S. Basilij: *Puer membris dissolutus jacens præ Domino ducatum præbet ad Dominum: servi morbus hero sanitatem conciliat, servi sanationem perquirens Dominum reperit, dúmque servi valetudinem venatur, fit ipse Domino præda.* Ita profectò infrequens non est, Prælatum sibi lucrari plurimum, quando impellente charitate miseris fert suppetias, ex patientiâ ac plenâ in Divinam voluntatem resignatione in ægro notatâ, in sancto timore Dei apprimè proficere, ex morbo corporali subditi vigorem animi resumere, atque ex mortuali alterius conflictu validè in vitâ spirituali animari.

Mittamus jam Centurionem, ubi oculis se se infert benignitas ipsius Salvatoris. Languebat magnis febribus exæstuans Socrus Petri, cùm Majestas Divina non dedignatur subire humile piscatoris tugurium, & accedere lectulum infirmæ; omni comitate affatur dejectam, & roscido refrigerio perfudit pectus fornacis instar conflagrans: Lilium convallium mirificè floret, nec vaporibus exhallatis deteritur fragrantia paradisi: Christus apprehendit manum, fugat violentiam morbi, & integræ sanitati è vestigio restituit, ut si quando alicubi, hîc maximè apparuerit *benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Tit. 3. v. 4. eò processit, ut omnes perfecti Medici partas adimpleret, juxta illud D. Augustini celebre effatum: *Magnus de cælo descendit Medicus, quia Magnus in Mundo jacebat ægrotus.* 826

Memini, me legisse, quanto favore ac studio ægrotantes amicos prosecuti fuerint Imperatores, Trajanus, Adrianus, & Alexander Severus, ut immemores, quâ eminebant, majestatis, ædes etiam privatas intrarent, visitarent ægros, solatiis refoverent, consiliis sublevarent. Gratianus positâ tantisper personâ Cæsaris, archiatrum induit, & medicantia adhibuit fomenta. Paulus II. Pontifex Maximus frequenter suis symptomate quodam correptis subministravit salutiferum oleum, pretiosum balsamum vel theriacam, quibus semper instructus erat. Matthias Corvinus Rex Hungariæ proprijs manibus cibavit milites suos, & obligavit vulnera. Sanct. Gallicanus, ut Martyrologium habet 15. Jun. post consularem dignitatem, post triumphales fasces, ardore Christianæ charitatis succensus totum se impendit exceptioni & servitio hospitum, infirmorum curæ, pauperum subsidio: quorum abluit pedes, instruxit mensam, fercula intulit, aquam 827

affudit

affudit manibus, languentes pro virili sublevavit, & omnibus, quâ potuit maximâ benignate ministravit. Quæ omnia tametsi magna, vilescunt tamen, si oculos convertamus in Filium Dei: Jam diximus, ingressum fuisse Lazari & Petri ædes, ut morbos expelleret; non erat quispiam tam fœdâ deturbatus leprâ, quæ Christi absterreret laborem: *singulis manus imponens sanabat eos.* Ipse pietate motus famelicis non semel sufficit panes, ipse mærentes dulci solamine demulcebat, *sanat contristes corde*, Psal. 46. v. 2. Ipse consolidabat membra dissoluta vel contusa, & *alligat omnes contritiones eorum.* Ipse Magicus est, *qui sanat omnes infirmitates tuas.* Psal. 102. v. 3. Ipse mirabili virtute *allevat omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Psal. 144. v. 14. Ipse denique per modum Nosocomi specialiter industrij necessitatibus obviat, atque adeo *universum statum ejus versari in infirmitate ejus.* Psal. 40. v. 4. Quo quidem exemplo suo invitare voluit Prælatos adjuvandos, omnique meliori modo fovendos, qui sinistrâ valetudine tenentur: *consoletur pusillanimes, & suscipiat infirmos.*

828 Cùm Petrus tetro Herodis ergastulo detentus, & capite damnatus in corpore graves gestaret catenas, animo autem volutaret luctuosam & feralem tragœdiam impendentem, usque dum mœrorem reciperet, ac obrueret sopor, memorat S. Lucas, repentè obscurum carcerem migrâsse in clarissimum & delitiosum Paradisum, eò quod Angelus Domini spectandum se præberet, cæcúmque illud antrum illuminaret. Galenus Medicorum decus, & artis peritissimus non solùm pharmacorum simplicium ope sanabat miseros, quàm facillimè ac expeditè; sed ipsâ tractandi ratione, & suavi suo alloquio mirè recreabat, & optimâ spe salutis redintegrandæ complebat, testis est Gesnerus in vitâ: *Ægros moribus placidissimis ita exhilerabat, ut vel solo sermone eos videretur restituere.* Quapropter cellam ingredere, O Prælate, ubi subditus gemit, doloribus oppressus, & ferreis ægritudinis vinculis adstrictus; respirabit cor mœstum, & quod mortis timore perculsum trepidabit, spem concipiet felicioris vitæ, si radiis benignitatis affulgeas, si compatiaris, verbis mulceas, & doloris sensum in te transferas: dici vix potest, quantum afficiatur mens ægroti, qua emphasi mœror abstergatur.

829 Speculum patientiæ fuit Job, liberorum funera audivit inconcussus jacturam bonorum fortunæ tranquillus spectavit, in cruciatus omnia membra obtulit, ac demum carcinoma fætidum vivens cadaver è sterquillinio hostem triumphavit. Calamitas ejus longè latéque evulgata excivit tres cognatos, *ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.*

tur. Job. 2. vers. 12. Sed visitatio fuit exotica, sermones námque miscuerunt, famulo Dei summopere molestos; dicacitate suâ sugillârunt ejus vitam, eóque suis opportunis argutationibus collimârunt, ut convincerent apertæ improbitatis virum innocentem, adeóque miserias omnes & ærumnas Jobi in vitæ ante actæ justa supplicia esse referendas, quod ita ægrè tulit, ut palam lamentaretur: heu! *Consolatores onerosi omnes vos estis.* Job. 16. Ejus generis sunt complures Prælati, qui languentes dum invisunt, miseros magis affligunt, & cruciant: exprobrant immoderationem præteritæ vitæ, accusant ingluviem, objectant, ipsosmet intemperantiâ suâ & effreni cupiditatum licentiâ fabros fuisse morbi, impatientiam duriùs taxant, pungunt, quòd graves evaserint culpâ suâ pauperi monasterio, nihil servitij præstant, magnos sumptus in Medicos & pharmaca exigant. Quò planè similes fiunt lictoribus redemptorum ex infami crucis patibulo suspendentibus, sub pietatis obtentu vinum propinant Domino siticuloso, sed myrrhâ & felle permixtum: isti sub visitationis prætextu, quæ consolationem adferre deberet, pudore suffundunt infirmum, amaritie replent, & animam contristant, ut meritò conqueri coram Deo valeant: *Quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Psal. 68. v. 27.

Sed meminerint ejusmodi Prælati, quòd Paulus scriptum reli- 830
quit: *Charitas patiens est, benigna est.* Ponamus aliquot culparum reum esse miserum ægrotum, tempus tamen neutiquam est, torquendi tunc animum, aliunde jam satis afflictum, & amplius offendendi, cum potiùs solatio refici debeat, & confortari. Utinam Prælatis in mentem sæpius veniret ratiocinatio, quam Centurionis nomine homilia 5. in diversis Origenes instituit: *si mei servi non misereor, quomodo mei miserebitur Deus; si ego huic non subvenio, quomodo mihi ille subveniet?* Qui non miserescit infirmi, etiam in suis angustijs à Deo deseretur. Quare brachia vestræ pietatis aperite, ô Prælati, *suscipite infirmos*, ut ipsi inter brachia Divinæ misericordiæ recepti quiescere olim securè possitis! spargite consolationis semen in corda filiorum, ut fructum metatis supernæ Clementiæ ac sempiternæ gloriæ.



Ex

CAPITE XI.

Patiens sit ad omnes.

Prælato magnâ opus esse patientiâ.

DISCURSUS LXXXIV.

831 SI ductum hujus thematis sequi placeat, deserto *claustro* prodeundum est Prælatis in aciem : recessuum *tranquillitas relinquenda*, & providendum de armis : armamentarium pandit Apostolus Eph. 6. *accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malâ.* Si subditi velut professi hostes insurgunt, omnia susque déque vertunt, aperto Marte, vel dolosâ arte impetunt, omni diligentiâ se muniant, ac tueantur sacri Præsides, obducant pectori loricam justitiæ, casside fortitudinis frontem incingant, gladium utraque parte acutum Divini *verbi* accingant lateri ; & si adversarij fulmina intorqueant, & ardentes *sagittas*, scuto fiduciæ in Deo collocatæ & patientiæ aheneæ poterunt *omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Uncti in Sacerdotes gerant se tanquam invictos Athletas, & impigrè repellant machinas in suam perniciem. Verissimè dixit Humbertus l. 176. *Prælatus est quasi signum ad sagittam, contra quem alius obloquitur, alius murmurat alius judicat.* Quid igitur *facto* opus ? Chrysmati consecrationis adjungendus est sudor frontis, & livor humerorum ; Laborum accedat tolerantia, & ærumnarum perpessio : *patiens sit ad omnes.* Hæc virtus circumvallabit, & mirè protegat, *necessaria est ei patientia*, inquit cit. loc. Humbertus, *propter multa.* Macti animo venerandi Antistites, quod Josue quondam injunctum legimus, cum numeroso barbarorum agmini se opponeret antesignanus suorum ; *Leva clypeum* Jos. 8. v. 18. vobis putate dictum, & apprehendite scutum patientiæ, *tela omnia contra* securi stabitis, & palmam gloriosi referetis.

Non

Non potest in dubium revocari, quin primas facilè sibi vendicet inter necessarias Prælati dotes ipsa patientia, si regiminis cura aggravat ingenti mole, si anxiæ circumstrepunt sollicitudines, & magno numero stipant molestiæ, si homines subjecti, patrijs moribus, diversâ educatione, studio, genio discrepantes, ac inquieti disturbant, citra omnem controversiam non aliud superest perfugium, quàm ferrea quædam & invincibilis patientia. 832

Noachus Patriarcha ijs effulsit virtutibus, ut certatim encomijs laudum condecoraretur. Moyses deprædicat Sanctitatem eius excellentissimam: *Noë vir justus atque perfectus fuit* Gen. 6. v. 9. S. Bruno accuratæ applaudit obedientiæ; S. Joannes Damascenus super sidera extollit castitatis munditiem: verùm B. Zeno, ut minimè diffitetur, aliarum fulgorem virtutum, ita palam obstupescit prodigio raræ patientiæ: Et verò, quam putamus patientiam exercuisse; centum & amplius annos in prægranti illâ navi fabricandâ? Obmutuit illudente passim hominum petulantiâ, ac deridente senem ceu delirum & mente enotum! Admonitiones & minæ habebantur derìdiculo & pluris fiebant dapsilles mensæ, & passim ludi hilariter exhibiti: Noë perferebat sine stomacho. Dein, quâ patientiâ exspectavit imperium Dei, quo juberetur ipse cum familiâ & animalibus universitatis hujus intrare arcam? pessulum obducere? ostium probè occludere? sed audiamus verba S. Doctoris: res admiranda! *patienter ædificat, patienter exornat, patienter varijs animantibus replet, quando ingredi jubebatur, quando januam claudere, patienter exspectat.* Illud porro maximè ad institutum nostrum facit, quod in arcâ (carcerem appellem an commune stabulum, mirâ varietate animalium refertum?) Ferox Leo, tygris crudelis, insidiosus ursus, superbus equus, immundus porcus, lupus malignus, vorax & invidus canis, cervus timidus, ovis stolida, vulpes astula, vilis cuniculus, & alia innumera simul commorari debuerint, quodque consectaneum est, rugitus, latratus, ululatus, mugitus, hinnitus, gemitus, fremitúsque ferarum ac monstrorum unà consociari, misceri, ac horrendum edere chaos inconditum, & aures flagellare absono ac molestissimè permixto strepitu; Noë tamen *patiens ad omnia* perfert ac devorat incommoda, singulis providet, nihil turbatur, dignus propterea, qui audiat Orbis instaurator, & ruinarum universalium vindex æternum laudandus. 833

Quid aliud vos expectatis, Prælati? Monasterium ex sensu Græcorum simile censetur Arcæ Noëticæ, in qua Religiosi salvi & incolumes evadunt universalem Cataclysmum iniquitatis: sic perhibet de suo tem- 834

pore S. Gregorius Nazianzenus, opinionem vulgi asserens Orat. 12. *Persæpe Arca Noë vocati sumus, ut qui soli Orbis universi diluvium effugissemus.* Præses porro ad clavum sedens haud dubiè Noëmum refert; interim, quot inibi adunantur subditi judicio, indole, temperie discrepantes? plerique in eo conspirant vel ignari, ut Prælato creent molestias, cujus est superbos moderari, frænare furiosos, lenire asperos, invidos ac malignos charitatis dulcedine emollire, consolari afflictos, animare timidos, rudes instruere, debiles corroborare, verbo, amaritudinis mare exhaurire, ut omnes supportet, omnes adjuvet, infinitâ pæne indiget patientiâ, quo tum ipse, tum commissi Religiosi consequantur salutem: *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.* Luc. 21.

835 Nescio, quid ærumnas Prælatorum aptioribus depingat coloribus, quidve vivaciùs exprimat, quàm ipsa calamitas Apostolorum: *si enim* his Salvator edixit: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum.* Matth. 10. illi pro certo habeant, dum cura regiminis demandatur, auribus una insusurari; Ite, etsi creditis vos ad dignitatem *evectos*, & alijs leges figere vos posse, deprehendetis tamen in subditis *vestris multiplicem* luporum barbariem, furorem, insidias, & velut imbelles oves vivetis *in medio luporum.* Adoramus Divinam providentiam, & novimus, quidquid disponit, esse optimum, & longissimè à quovis nævo alienum: humana tamen ratio hìc loci suspensa hæret, miratur, & submisè investigare non prohibetur. Si Christus mittit Apostolos, mittit Prælatos ad procurandam animarum salutem, & cur non declarat leones generosos, qui sternant horrisono vocis impetu perversos, & humi affligant? quare non appellat trisulca & tremenda fulmina, quæ perfringant obstacula, & duritiem refractariam elidant. Evolvam mysterium. Ovis etiam asperè tractata non irritatur, licet offensa non mordet, licet vulnerata & mactata non lamentatur: constanter in placidâ ac mirabili persèverat patientiâ. Idcirco Dominus per Apostolos imbuens Prælatos providè monet, quod inter subditos, luporum in modum feroces, vitiosos, perversos, mansuetudinem insontis pecoris, & benignitatem debeant conservare immobilem, eâ namque virtute incultos subditorum mores & animos edomabunt, & tandem feliciùs in gubernatione procedent. Sed loquatur S. P. Gregorius hom. 17. in Evang. *sicut oves inter lupos mittuntur ut sensum servantes innocentiæ, morsum malitiæ non habeamus.* Loquatur D. Chrysostomus hom. 24. imperf. Nomine Christi: *Non humanæ naturæ beneficium tollo, sed ovilis patientiæ opus injungo.* Enimverò patientiæ scuto expugnabit Prælatus gravissimos hostium insultus, ut ovis triumphabit; cùm ex adver-

adverso, si degeneraret in luporum feritatem, magnis exponeretur periculis; hinc addit os aureum hom. 34. in Matth. *Certè quo usque sumus oves, facilè hostes vincimus, cum verò in naturam luporum transimus, tunc superamur, tunc enim nullum nobis à Pastore patrocinium adest, qui non lupos, sed oves pascit.*

Ab Ovibus, in S. Matthæo memoratis, ad se nos vocat Apocalypticus Agnus; reserandum erat volumen septenis occlusum signis, & summis mysterijs refertum; anxiè circumspiciebat Joannes, si quem videret officio illi præstando idoneum, nec quisquam erat, qui manus auderet operi admovere, quod lachrymas Joanni & suspiria multa expressit. Tandem venerabilis senex solatio mæstum deliniturus promisit. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & solvere septem signacula eius.* Apocal. 5. v. 5. Porro hoc executioni mandavit agnus, quem Joannes vidit, *stantem tanquam occisum* accipere volumen è manibus Dei, & facili negotio solvere signa: & *cùm aperuisset librum, &c.* Sed quæso vos AA. quomodo in casu hoc factæ pollicitationi respondet eventus? Munus injungitur Leoni magnanimo: & Victori, cui surrogatur mox innocens Agnus, & quidem sauciatus, cruore perfusus, & tantùm non interfectus, iste reomvet velum, sigilla propediem aperit, & arcana in lucem protrahit; quæ verò mutationis causa? cur Leo fert applausum & encomia, qui nihil admodum ad rem contulit? Richardus Victorinus noster difficultatem expedit lib. 2. in Apocal. p. 2. c. 3. asserens: typo illo denotari Salvatorem nostrum, *ipse enim est Leo per potentiam Majestatis, agnus per Mansuetudinem*: hinc licet ratione autoritatis congrueret titulus Leonis, ut tamen recluderet librum, faciem debuit assumere agni stantis, maximam partem vulnerati, & afflicti, quò instrueret Ecclesiarum Præpositos, quod etiamsi à Deo prærogativâ Leonis, & potestate regendi donati fuerint, pro re tamen natâ, præcipuè, si agatur de explicando volumine, ac subditis docendis circa necessaria vitæ, ac observantiam regulæ, operari debeant, velut saucij agni, quoniam superioris patientia mirâ Emphasi subditos inflectit & optatos successus efficit, quod concinnè Humbertus ser. 176. his verbis adstruit: *sicut Deus, qui omnia regit in summâ est tranquillitate, ita Prælatus in tranquillitate debet omnia disponere, & non turbari, &c.* 836

Vivam Imaginem Prælati, qui sortitus est, obstinatos, refractarios, intractabiles, & feros subditos, cernere licet in Ezechiele Prophetâ: & quidem multoties contingit, quod vati Dominus denuntiat: *Omnis domus Israël attritâ fronte est, & duro corde.* Ezech. 3. v. 3. sed nostis, qua ratio- 837

ne instruxerit, & obarmârit Dominus? audite. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Obarmate cor vestrum, & frontem robore invicto, ac patientiâ ita heroicâ ut quantumvis contumaces sint subditi, subigantur tamen, & rubore suffusi manum porrigant, si frontes eorum induruerunt in silices, in vestra opponam infractum adamantem: *ut adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam*; Pagninus ex Hebraico legit, *ut adamantem fortiorem silice dedi frontem tuam*, q. d. si subditi vestri ad instar silicis, ubi paternâ correctione, vel tenuiter percussi fuerint, mox irâ excandescant, & scintillas impatientiæ, quaqua versum ejaculantur, ac vos convitijs ac opprobrijs proscindant, adamantem imitemini, qui nec igne, nec ferro edomatur, sed vim retundit inexpugnabilis, ita *vos ferendo, non feriendo* nobilissimam à subditis malignis & temerarijs victoriam reportabitis, quod totum eleganter suadet S. Ambrosius in c. 10. Lucæ, scribens: *ultionis studia deponite, insolentiam verberantium non injuriarum relatione, sed patientiæ magnanimitate supportate.*

838 Cassiodorus ingeniosè septem virtutes septem creationis diebus componens, atque ad quintum diem, quo conditi sunt pisces, deveniens concludit: *fortitudo sit dies quinta.* Sunt forsan alij, qui existiment, aptiùs fortitudinem exprimi per diem sextam, primum natalem lacertosorum elephantorum, generosorum leonum, ferocium tigrium, terribilium aprorum, &c. at Cassiodorus sustinet, spectatissimè delineari fortitudinem in piscibus. Quid ita? Pisces perpetim excipiunt undarum murmur, fremitus ventorum, collisiones fluctuum, scopulis alliduntur, nihil tamen inde comoventur, non præferunt doloris sensum, non quiritantur, sed altissimo ac pertinaci silentio suo mirabilem demonstrant patientiam, & fortitudinem: ita certissimò non alia res propalabit animi vestri vigorem, & excelsam nobilitatem, ô Prælati, ac si superetis tacendo & dissimulando inquietorum subditorum injurias, & indignas querelas. Sed audiamus Cassiodorum lib. de profectu ab inimicis, &c. *Fortitudo sit dies quintus, per quem in hoc mari magno & spatioso, quasi pisces spirituales procellosa fluctuum molimina toleremus, & contineamus linguæ lubricum sub censurâ silentij.* Cæterùm Plutarcho Judice lib. de amicit. *silentium in maledicto vel res gravis, & Socratica, vel potiùs Herculea.* Nec abludit Seneca, qui sub schemate aquarum turbidarum, spumantium & perstrepentium imaginatur sibi insolentiam subditorum perduellium, & turbulentorum, per Marpesiam verò caulem, fluctibus non cedentem nec injurijs respondentem, cor magnanimum intelligit l. 3. de ira c. 25. ita discurrens:

scurrens : *Ingenti Scopulo fluctus* assultat, qui non irascitur, inconcussus injuriâ persistit, quod planè in bono Prælato requirit *S.* Augustinus: *patiens sit ad omnes.*

S. Joannes primo Apocalypseos capite tria arrogat sibi cum JESU 839
Salvatore nostro communia, suâ verò naturâ multùm discrepantia : sic scribit : *Joannes Frater vester & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ in Christo JEsu.* Venit profecto in consortium dolorum Joannes, quando sub infami Crucis stipite in Golgothæo colle, quos dirissimos dilectus Magister cruciatus in corpore exantlavit, ipse in animæ suæ intimis medullis persensit : exclusus non fuit à regni gloriâ, qui triumphantem redivivum Dominum conspexit, ad hæc similem *patientiam habuit*, ait Rupertus Abbas, *imitando passim opprobria, irrisiones, colaphos & verbera*: perferendo æquanimiter, imò & hilariter contumelias irrogatas, contemptus, & convitia æmulorum, plagas & percussiones hostium, atque ita per vestigia patientis Christi progrediens, feliciter perductus est ad Societatem coronæ. Hinc satis non est, ô Prælati, quod tribulationes & angustiæ vos cinxerint, quod nefaria subditorum consilia vos divexârint, sed exigitur præterea patientiæ meritum : si adversitates vos foris exagitant, patientia intus confirmet, rancorem cordis restringat, & studio imitandi Filium Dei pacato Spiritu toleret, quidquid molestiarum iniquitas subditorum facesserit ; Richardo enim Victorino teste l. 2. Apocal. p. 2. c. 4. *Qui desiderat regni coronam, habeat in JESU patientiam.*



Ex

Ex

CAPITE XI.

Disciplinam libens habeat, metuendus imponat.

Prælatus ad observationem seriam disciplinæ vitámque Religiosam subditos ducat suo exemplo.

DISCURSUS LXXXV.

840 VIm miram in eryngio herbâ observârunt Contemplatores naturæ; si caprarum grege in pascuis palabundo, fortè contingat, unam aliquam ex memoratâ herbâ paululum decerpere, nescio, quæ continuò expiret virtus attrahendi, ut non modò ipsa hæreat sine vinculo ligata, & sine visibili quopiam violentiâ constricta persistat penitus immota, sed vicinum etiam caprarum pecus attonitu quasi pede sistitur. Ita perhibet Plutarchus libro, *cui titulus*, cum præcipuis viris Philosopho esse disputandum: *Eryngium herbam, ajunt, si una capella in os sumat, ipsam primum, mox totum gregem subsistere.* Quæ res ansam præbuit Bargalio efformandi emblema, cui subscripsit: *comedentem sistit & asseclas*: atque hoc longè magis Autore Plutarcho evenit in republicâ, ubi Princeps in quamcunque se partem *inclinet* seu virtutis, seu vitij, tanquam sumat alimentum, occultâ quadam *dul*cique energiâ in sequelam rapit subditos & exemplo ad sequelam provocat: *Philosophica doctrina si in Principem virum ac in Republicâ versantem illabitur multis per unum prodest.* Eadem est pænè sententia Præsulis Mediolanensis l. 2. off. ista tradentis: *ostendunt adolescentes, eorum se imit atores esse, quibus adhaeserint, & ea convalescit opinio, quod ab his acceperint vivendi consuetudinem, cum quibus conversandi hauserint cupiditatem.* His momentis permotus S. Augustinus expressè superioribus præscribit, ut toto pectore incumbant in studium virtutis, & accuratam regularum observationem: *disciplinam libens habeat*, hoc est, quemadmodum c. 176. exponit Humbertus: sit Prælatus in asperis primus, po-

stre-

strenuus in mollibus, sedulus in orationis ac mortificationis exercitio, impiger in votorum custodiâ, & non magno molimine suos ad eadem impellet, atque ut meus Hugo Victorinus testatur: *tunc alijs rectè disciplinam imponet, cùm ipse disciplinatè vivit.* Sed videamus modo, quam validum sit incitamentum Religiosorum ad vitam ex virtutum normâ componendam, si præeuntem cernant Prælatum.

Veneranda, prudénsque antiquitas tam propenso fuit ingenio ad re- 841
ferendum de se merentibus gratiam, ut nullum paulò insignius à Divinâ bonitate accepisse videatur beneficium, quod non summo studio ad posterorum transmitteret memoriam. Jacob quoniam cælum intuitus est apertum, & divites promissiones sibi cælitùs factas intellexit, protinus saxum, cui velut pulvino indormierat, in columnam quandam ceu mnemosynon Religiosæ pietatis mutavit: *erexit lapidem in titulum* Gen. 28. v. 18. Josue, postquam cum Israelitis in novi regni possessionem immittendus, Jordanem trajecit, in perenne gratitudinis monumentum voluit à duodecim tribubus in ripâ totidem poni lapides, quibus Domino exercituum profiterentur sese æternùm devinctos. Jos. 4. v. 3. Samuel, confecto feliciter prælio, & hostibus fusis, nescio quem obeliscum pro rei memoriâ extruxit, qui vocabatur *lapis adjutorij* 1. Reg. 7. v. 12 ceu palam enuntiaret posteritati, prodigiosam eam victoriam Domino adscribendam esse. Pariter 1. Machab. 13. v. 29. Simon, summus Sacerdos, suo publicóque populi luctu patris & fratrum heroica gesta celebraturus, sepulchrum ædificavit pario de marmore, pyramidibus septem visendum. Eodem spectat præclarissimum præmium victori promissum Apocal. 3. v. 12. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Civitatis Dei mei novæ Jerusalem.* Itáque in sedulo Dei servo, vel strenuo Prælato, divinâ ordinatione assumpto, veluti columnâ vult Dominus inscripta legi opima merita, fidem, pietatem, fortitudinem, corporis afflictationem, demissionem animi, heroicam tollerantiam, &c. ut eâ ratione, tum ipse honoretur & magni pendatur, tum subditi validum habeant incitamentum magnis passibus in studio perfectionis decurrendi: Omnis ergo Prælatus, concludit meus Richardus in c. 3. Apocal. quasi animata columna debet esse *firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.* Sit in ædibus Sacris columna Religiosi officij, qualis fuit altare Jacobi, columna gratitudinis, ut lapis Josue; Columna victoriæ, ut pyramis Samuelis, columna fortitudinis, ut monimentum Machabæorum: verbo, co-

lumna sit emblematis ornata omnis generis virtutum , quas Religiosis inesse addecet, ut omnino columna regularis observantiæ documentis & exemplis afficiat inferiores ad sequelam, quæ mens fuit S. P. Augustini monentis: *disciplinam libens habeat*.

842 Ab hieroglyphicis Apocalypseos moveamus ad metaphoras & ænigmata Sacri Epithalamij , ubi cælestis Sponsi ventrem sic legimus descriptum ; venter eius eburneus distinctus saphyris Cant. 5. v. 14. Candore certat ebori, notísque suis inspersis cælestes & pretiosissimos saphyros refert, ut clariùs, quæ mente stat sententia, exponam, pace vestrâ cum Pagnino legam : *venter eius ut candidum ebur, obductus saphyris* , aut etiam cum S. Gregorio Nysseno Orat. 14. *venter eius tabula eburnea in lapide saphyro*; videtur autem S. Pater alludere ad tabulas legis *Mosaicæ,& significatum* velle, in sinu ac pectore hujus Principis illas *conquiescere , purúmque* in eo notari ebur illibatæ sanctitatis, ac cæruleos colores cælestis vitæ, quoniam in corde gestaret sculptos decalogi characteres, quò heret ut integrè ipse leges Divinas observans suavi quodam illicio, subditos illuc pertraheret, atque in virtutibus solidis mirificè firmaret.

843 Si lubet amovere velum, & nudam spectare veritatem, accommodemus aures Salvatori ; patenter omnibus inculcat : *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. 12. v. 35. Non respuit Dominus servitia fidelium, ijs tamen adstringit conditionibus , ut lumbos præcingant, quò expeditam operam navent & in omnem eventum parati, existant ad obsequium ; lumbos præcingant , quò instar promptorum militum prælium ad nutum ineant, & vitia internecione deleant, aut tanquam advenæ & peregrini ab impedimentis sæcularium curarum immunes, superatis obicibus, prosperè regnum beatitudinis petant ; lumbos præcingant, stimulósque & illecebras libidinis forti mente coërceant, atque adeo sub hisce humanis exuvijs Angelicam vitam traducant. Alterum porro est, quod exigitur in præsenti : ardentes teneant lucernas in manibus : id verò ad votum præstabunt, si sanctis operibus prælucebunt proximis, & virtutum exemplis palam monstrabunt, quâ eundem sit ; eo námque pacto, non modò illustres evadent ipsi , sed alios quoque felici perfundent lumine ut eleganter tradit ser. 22. S. Petrus Chrysol. *opus bonum, dum facto in uno lucet, omnes illustrat exemplo.* Quod maximè impletum videmus in Prælatis Ecclesiasticis , quibus propterea ante omnia incumbit lumbos præcingere, invigilando disciplinæ , occupando se operibus pœnitentiæ, mortificationis, paupertatis, pudicitiæ, aliarúmque virtutum, nec gravatè hac lampade excitati subditi ad vocationis integritatem

tem & amorem perfectionis contendunt, quia pluribus non opus est verbis, ubi facta satis loquuntur, quibus ad persuadendum nihil est potentius.

Ingeniosus attrahendi prædandíque columbas modus traditur à S. Basilio Ep. 175. Græcis olim familiaris nunc Italiæ quoque non ingratus. 844
Solent columbarij è columbis unam adspergere balsamo, alióve liquore odorifero pennas tingere, quæ in apertum aërem emissa, & miram fragrantiam spargens, exteras columbas attrahit certatim, & emissa solitaria, ingenti stipata agmine, revertitur, captivas trahens dulci odoris vinculo innodatas, quod factum amæno emblemate non nemo expressit, inscribens, *in odorem trahimur*, quod satis in divinis monumentis innuitur dum ex unâ parte legimus: *vidi speciosam sicut columbam adscendentem desuper rivos aquarum, cuius inæstimabilis odor erat in vestimentis eius.* Breviar. in Aug. ex alterâ parte audimus sincerum hoc resolutúmque propositum: *curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. v. 3. Ex quibus obviâ ratiocinatione elicere possumus, quantum efficiat Prælatorum exemplum, si nimirum more columbarum diffundant ex proprijs alis pretiosum myrrhæ odorem, si, inquam, regulari observantiæ, mortificationi, pœnitentiæ exercitijs primi invigilent, si thuris exhalent fragrantiam, & pietatem spirent, orationem ac contemplationem, haud dubiè promptè sequentur subditi, & volatu etiam prævertere satagent.

De Julio Cæsare prodit Suetonius, penetrâsse cum exercitu suo ad ultimas usque Gades, atque in Herculis fano incidisse fortè in statuam 845
Alexandri Macedonis: O rem stupendam! jurares gelidum marmor vibrâsse præfervidas bellicosæ æmulationis, militarísque fortitudinis scintillas, ita repente Julius exarsit desiderio novas arduásque suscipiendi expeditiones, & audendi facinora non minùs gloriæ quàm laborum & periculorum feracia: *Missionem*, inquit Autor c. 7. *continuò efflagitavit, ad captandas quàm primùm majorum rerum occasiones.* David, infausto perculsus nuntio, quod Saul & amantissimus Jonathas occubuerint in acie, ad indicandum doloris intimum vulnus vestimenta scidit, & ecce omnes ilico, quotquot aderant milites, ducis permoti exemplo, in vestes suas sævierunt; Idem mansuetissimus Rex fugiens 2. Reg. 15. v. 3. furorem Absalonis incessit cooperto capite præ mæstitiâ, nudis pedibus, & eodem prorsus apparatu visebatur totum tristissimum agmen exultanti Regi fidelitate adjunctum. Moyses Pharaönem videns Arabici sinus voragine cum omnibus bellici furoris instrumentis, totóque suo exercitu absorberi exorsus est epinicium: *cecinit Moyses*: Exod. 15. v. 1. & ex templo glo-

 riam,

riam, atque magnificentiam Deo vindici plenissimo choro cantârunt, *&* *Filij Israël.* Vix cœpit spectare lachrymantibus oculis & mœstissimo lessu deplorare excidium Jerosolymæ Jeremias: *Quomodo sedet Sola civitas: plena populo?* Thren. 1. v. 2. cùm statim urbs tota in fletum, planctúmque laxatis habenis effunditur: *plorans ploravit in nocte, & omnis populus eius gemens.* Tertius generosus filius è Machabæorum stirpe mox atque furiosum Antiochi imperium percepit, linguam intrepidè subjecit carnificis lanienæ 2. Machab. 7. Unde tam virilis in puero constantia & magnanitas? Fratrem natu majorem intrepidum vidit in tormentis: hos stimulos ad imitandum subdidit. Et credere quispiam posset in acerbissimâ Salvatoris morte res omnes creatas ex sympathiâ & æmulatione Sacrâ interitum prensasse proprium, ut autori suo unâ contumularentur: certè sic placuit loqui aureo Oratori hom. 3. de Pass. *spectabant cuncta elementa exitium proprij conditoris: axem suum Mundus extremum urgere cupiebat in limitem, volebat, credo, seculum ire protinus in ruinam.* Hinc Princeps siderum, ut luctum ostenderet, lucem subtraxit, & lugubri se pallio obvolvit: terrarum machina omnibus concussa cardinibus nutavit ac contremuit, petræ dissiluerunt infrusta, & templi velum à summo ad imum scissum est. Ex omnibus hisce Sole meridiano manifestius fit, actionibus, virtuti, mortificationi Principis vel superioris actutum se conformare inferiores, indui arma lucis, si Prælatum ijs videant instructum, prorumpendo im psalmos & hymnos, si cantu præcedant majores, fundendo pænitudinis lachrymas, si simile in Prælato cernant exemplum, par est ratio cæterarum virtutum, ut planè conficiatur, quod dixi ab initio ex *Hugone*: *cum ipse disciplinatè vivit, alijs rectè disciplinam imponit.* Quapropter merito Prælatus *disciplinam libens habeat.*

846 Nescio an illustrius, eius, quo de agimus, perfecti Prælati paradigma facilè invenire sit, quàm S. Ludovicum Bertrandum. Jussus à superioribus instruere Novitios, non detrectavit onus, & feliciùs rem auspicaturus, ante omnia firmiter decrevit, nihil unquam Junioribus *hisce præcepturum*, quod prius ipse non adimplesset opere, haud ignarus, efficaciùs ad ardua provocari animos, majorum factis quàm monitis, & facilem fore tyronum sequelam, si ipse fuerit ex se Magister, proprijs *exemplis* dicta confirmans, instar horologij, cui rectè adscribitur: *cum pondere sonus* Instar summi Hebræorum Pontificis, qui suavem sui excitabat memoriam in tintinabulis aureis, sed adjuncta gerebat mala punica virtutum, & illustrium gestorum; Instar aquilæ provocantis pullos ad volatum, figendúmque in Sole obtutum, instar cervæ tranantis flumen regularium obser-

observantiarum, nec grave postmodum erit imitari præeuntem Matrem. Bertrandus ipse ardore Divinæ charitatis ac devotionis conflagrans, non magno molimine ijsdem discipulos accendit ignibus, & feliciter promovit ad amorem Dei, ac proximi; & quoniam priùs rapuit oculos omnium, ut sua spectarent opera, quàm auribus persuaderet verborum copia, dici non potest, quantus in sanctitate progressus fuerit secutus. Ad vigilantiam invitavit, insomnes ipse noctes transigens in extaticis orationibus: parcitatem cibi & abstinentiam docuit, stricto suo jejunio, & modum edomandi carnem præmonstrat, diris in semetipsum flagellis sæviens: Denique sicut Angelus ille Moysi se spectandum præbens in deserto, facile induxit eum, ut calceos exueret, nudis pedibus incederet per vepretum, quia prius ipse in mediis flammis, asperóque rubo commorabatur, ita Ludovicus efficaciter suos animabat ad aspera usurpanda cilicia, ad jejunia fortiter sustinenda, ad vitam austeram amplectendam, & salebrosam viam generosè terendam, quia non inanibus dictis, sed heroicis factis ubique præivit.

Totum oppositum videre est in Scribis, Pharisæis & indignissimis Synagogæ veteris Præsidibus, qui cymbalorum perstrepentium more obtuderunt auditum subditorum clamosis & assiduis præceptionibus: inculcarunt observantiam legis Mosaicæ, & jugum durissimum imposuerunt alijs, quod ipsi nec eminus voluerunt tangere; quod justissimo Zelo ipsis exprobrabat Christus Dominus Matth. 23. v. 4. *alligant enim onera gravia, & importabilia in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Quis unquam vidit majorem, nescio imprudentiam dicam an impudentiam? quâ fronte audent, *malæ bestiæ, ventres pigri* Tit. 1. v. 12. totam molem imponere agnis imbecillis, séque, jumenta cum sint, eximere? prensare emolumenta & honores, labores & incommoda declinare? quî cogent subditos ad diuturna & acerba jejunia, si delicijs illecebrísque ipsi assueti lauta convivia celebrent? cilicia persuadebunt, & asperam tractationem corporis, si bysso & sericis ipsi vestiantur? quomodo cippos & compedes parant subditis, si dissolutè ipsi vivant, & in omnem libertatem effundantur? audiant hi tales, quid S. Bernardus Eccles. 20. 5. in simili constabilierit: *Pulcherrimus ordo est, & saluberrimus, ut onus, quod portandum imponis, tu portes prior, ac discas ex te, qualiter oportet alijs moderari.* Quò tandem unicè ferè collimat S. Augustini monitum: *disciplinam libens habeat.* Primus igitur Religiosæ observantiæ submittat humeros Prælatus, & sine opprobrio gravare poterit alios, ac invitos cogere non modo durioribus verbis, sed etiam pœnitentijs, quas nimirum *metuendus imponat.* 847

Ex

CAPITE XI.

Disciplinam metuendus imponat.

Prælatus puniat delinquentes.

DISCURSUS LXXXVI.

848 PRimum ac præcipuum, quod Rectoribus populi inesse voluit antiquitas, fuit Justitia, & severa in sceleratos animadversio. Gentiles supremo suo Numini nomen imposuerunt Jovis, quod paterno affectu miseros juvaret, simul verò pro insignibus trisulcum addidère fulmen, quod vindex in impios homines vibraret. Romanæ eloquentiæ parens Cicero testis est, priscis temporibus eos duntaxat viros in regale solium evectos fuisse, qui summis virtutibus clari propugnare possent æquitatem, & malos puniendo conservare tranquillam Reipublicæ felicitatem: *fruendæ justitiæ causa:* inquit de offic. *videntur olim bene morati Reges constituti.* Et David expressè Dei timorem Principibus suadens; *& nunc Reges intelligite, servite Domino in timore.* Psal. 2. insinuare voluit, interprete S. Augustino, quanto rigore plectenda essent crimina, protervè contra divinas leges admissa: *quomodo Reges servient Domino in timore,* scribit S. P. Ep. ad Bonifac. 1. comitem, *nisi ea, quæ contra jussum Domini fiunt Religiosà severitate prohibendo, atque plectendo!* Quàm ob rem idem Augustinus maximam hanc alto pectori insculptam gerens injungit cuivis ad munus Prælati, & regimen canoniæ assumpto, ut non modò vitam morésque suos exactè componat ipse, ac *disciplinam libens habeat*, verùm etiam delinquentes ita coërceat, & *metuendus imponat*: conformiter præcepto illi Paulino ad Eph. 6. 4. *Educate filios vestros in disciplinâ, & correctione Domini.* Nec enim prudentes Medici mollibus semper utuntur pharmacis, sed cauterijs, ferro & igne sæviunt contra gangrænam; non est Sapientis Medici, ait B. Humbertus c. 178. *semper uti lenibus, quia plus prosunt interdum corpori ad salutem aspera;*

& cum

& cum dolore abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt: castigandi ergo sunt improbi, ut resipiscant, & conscientiam coram tribunali divino non onerent, quæ materies esto præsentis discursus.

Deus ipse supremus Pastorum Princeps per os Zachariæ hoc insigne suggerit documentum: *assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram vocavi funiculum, & pavi gregem* Zach. 11. v. 7. Unâ minimè contentus, geminâ se virgâ instruit optimus Pastor pro pecoris sui gubernatione, ac custodiâ: alteram *decoris* nomine insignit, symbolúmque statuit clementiæ suæ, suavitatis miræ & copiosæ gratiæ in fideles servos, & electos amicos diffusæ; alteram *funiculum* appellat in signum vindictæ ac supplicij, à prævaricatoribus cælestium mandatorum exigendi, utrámque hanc virgam præfert Divinus Pastor Principibus terræ, & Ecclesiarum Prælatis, ut addiscant quo benignitatis affectu ferantur in subditos obsequentes, morigeros, & genuinos Religionis filios; at ubi homines occurrunt, intractabiles, pervicaces, aggrestes, talibus, ait Cornel. à Lap. *exhibeant virgam funiculi, qua eos regant quasi cervicosos & brutos minis, multis, pœnis, & supplicijs*: nec satis habuit Deus, hanc procedendi methodum, oraculis propheticis edocere, sed ipsemet humanâ cum carne vestitus exercuit in opere, dummodo ingressus templum, & virgam *decoris* seu bonitatis, ac superni favoris extendens ægris incolumitatem momento restituit, illuminando cæcos, claudos erigendi, leprosos mundando; quâ mirabili beneficentiâ in admirationem, & amorem sui adstantes rapuit: verùm non omisit *funiculum*, quem contorsit in flagellum, & iteratis ictibus exturbavit Sacrilegos loci profanatores. Rursus ostendit virgam *decoris* cum liberalitate ac magnificentiâ prorsus regiâ convivium instruxit, & lautissimè habuit frequentes hospites: & tamen virga *funiculi* non defuit, quando temerarium quemdam, nescio quâ incredibili audaciâ intrusum comprehendi jussit, ac detrudi in cæcum horrendúmque ergastulum: *ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores*, Matth. 22. 13. 849

Duplicem Zacharias monstravit Superioribus Virgarum usum, propitiũ, & iratum, beneficum & promptum ultioni; Ecce, vobis idem officium luculentiùs in Aaronis Virgâ præsignatum. Illa, quousque in Divino asservabatur tabernaculo, flores emisit, viridésque frondes, quin etiam fructus prædulces: Moyses quippe *germinâsse virgam Aaron*, ex quâ *turgentibus gemmis eruperant flores, qui folsis dilatatis in amygdalas deformati sunt*. Num. 17. 8. Interim virga eadem in Pharaonis aulâ faciem horribilis serpentis prodigiosè assumpsit, in magorum virgas magno impetu 850

petu invecta, quæ tortuosos dracones referebant; devastavit, deglutivitque: *Tulit Aaron Virgam* coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in colubrum, sed devoravit *Virga Aaron virgas eorum*. Exod. 7. 10. Itaque una & eadem virga ceu instrumentum lætitiæ, oculos, palatum, cor exhilarabat elegantiâ florum, viriditate frondium, & mirâ fructuum suavitate, simúlque ingentem horrorem præsentibus incussit, ubi grassari cœpit, & stragem edere serpentum. En absolutam Prælatorum Idæam! ipsorum est subditos freni patientes, legibus obtemperantes in virtutes cereos consolari, & beneficiis fovere: è diverso tumidos serpentinâ malitiâ, impatientes disciplinæ obtrectatores, compescere, multare, ac severitate continere in officio: ubi res tulerit, tempus, locus, & occasio postulaverit, ostendat amorem & teneram affectionem columbæ; & rursum exigente necessitate prudentiam & terrorem serpentis præseferre non omittant, apum in morem fabricentur dulcedinem favi, & melleam charitatem exhibeant: nunquam tamen aculeo & puncturâ penitus destituantur: æmulentur fragrantiam, & purpuram & amabilitatem rosæ, sed spinas exerant unà, si opus fuerit: Denique assimilari studeant, arcæ testamenti, gestent in pectore legis Divinæ tabulas, & urnam dulcissimo mannâ cumulatam, ad subditos oblectandos, & solatio permulcendos, sed insuper virgam includant, qui justè, paternè tamen, reos puniant.

851 Mysterio non vacat illa Scripturæ phrasis, quâ nubes describitur in columnæ simulacrum erecta, & Israëlitas ex Ægypto egressos præcedens: *Erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem*. Exod. 14. 20. mira conjunctio lucis cum tenebris! nubes ex horridâ caligine compacta, & *simul* professa tenebrarum hostis dispellit tetram noctem? an ergo lux pariat tenebras, & lumen è tenebris oriatur? tenebræ fugantur vice faculæ, & fax illustris inducat tenebras? *nubes tenebrosa & illuminans*. Mirabili huic nubi Angelus itinerum moderator insidens, Magistrum egit Prælatorum, ostenditque, quo pacto debeant è vultu benigno, & comi alloquio *diffundere* radios, & pretiosa consolationis lumina in Israëlitas, sive *subditos* obedientes, & puritatis religiosæ impigros sectatores, at è contra sceleratis Ægyptiis, frontem asperam, & minacem, oculos torvos & indignationem justam opponere, percellere meritis pœnis, & duriùs *objurgare*, ac castigare: quod regula innuit: *Disciplinam metuendus imponat*.

852 Ab obscuro Angeli Hebræorum ducis exemplo transeamus ad summæ laudis encomia, quibus citharædus Rex Deum nostrum condecorat: *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientia ejus non est numerus*. Psal. 146. 5. O quanta est majestas Numinis! quis enarrabit

poten-

potentiam ? quis sapientiam comprehendet ? quis providentiam satis collaudabit ? si quæratis, quo potissimum eventu divinæ eiusmodi prærogativæ eluceant ? respondet Psaltes : *suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram* v. 6. Magnus, & adorandus est Deus, quoniam paternè protegit afflictos, depressos erigit, & mansuetos Jacobos, Josephos, Samueles, Davides in tutelam recipit; Magnus, quoque est, cùm flagellat contumaces, & vecordes Pharaones, Nabuchodonosores, Nicanores, Antiochos, Herodes : quod pariter accommodari potest Prælato. Ut *magnus* sit & *laudabilis*, seu *assumat virgam decoris*, seu *virgam funiculi*, sive *suscipiat mansuetos*, sive *humiliet peccatores usque ad terram*.

Idem Regius Vates sub Salomonis nomine Christum perfectissimum exemplar pastorum vivis coloribus depingit Psal. 44. 3. *Speciosus formà præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum* : adspectus floridum hortum refert, miràque suavitate circumstantes afficit, labra distillant favum, & Ambrosiam cælestium consolationum, & mentes recreant spe grandium bonorum, sicuti enim ipse benedictionibus abundat, ita liberali manu devotis suis elargitur gratiarum charismata. Verùm quoniam non solùm amabilis est Salvator, sed etiam justus ac tremendus judex, & neutiquam felici regimini prospectum satis est clementiæ muneribus, nisi accedant rigores suppliciorum, idcirco, perorante Chrysostomo hom. 6. de Pass. *irrita videtur bonorum promissio, quæ à Deo velut ex pacto bonis facta est, si quæ ab ipso malis constituta sint pænæ evanescant.* Propterea delicijs supernæ bonitatis ex templo sociantur arma vindictæ, & rigor suppliciorum : *accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.* Agedum magne Princeps ; quando suas clementia implevit partes, suas quoque justitia sibi vendicat ; stringendus gladius, in reos animadvertendum, & culpæ promeritas pænas luant. Sed loquatur S. Paschasius citato textu ; Opportunus interpres : *post egregiam formam decoris, post gratiam diffusam in labijs, post benedictionem præceptam æternæ hæreditatis imperatur à Patre, ut accingatur gladio supernæ fortitudinis ad ultionem, inimicorum ad reprehensionem contradicentium, & ut in pace sint omnia.* 853

Ubi Divinorum librorum monumenta produnt Saulis in Regem Hebræorum electionem, iterato memorant, Dei Spiritu afflatum fuisse ac repletum : *insiliet in te Spiritus Domini, & Prophetabis*, 1. Reg. 10. 6. & paulò infra : *insiluit super eum Spiritus Domini, & Prophetavit*. v. 10. Verumtamen magnum discrimen in utroque allegato loco observare est, 854

priorem namque Cajetanus ex Hæbraico textu ita transponit, *prosiliet super te Spiritus Jeova* : quod Spiritum Domini designat benevolum, benignum, paternum, gratiarúmque uberum dispensatorem : at vice alterâ legunt interpretes : *Spiritum Elohim* : quo vocabulo notatur severus, exactus, & rigidus Judex ; atque hac nominum diversitate Sauli denuntiabatur, quod clavo jam admotus, sapienter debeat copulare in gubernatione Populi Spiritum misericordiæ, lenitatis, ac clementiæ cum Spiritu æquitatis, Justitiæ ac rigoris, prout diversa postulaverit occasio ; & gratiæ quidem non parce impendantur, quò magis incalescat perfectionis studium, & præmia bene meriti percipiant ; adsperitas verò seu flagri, seu freni exseratur, & excitentur socordes, & præcipites, ac immoderati coërceantur, profectò hi duo poli sunt felicis gubernationis, *applaudente Davide* Psal. 100. *Misericordiam & Judicium cantabo tibi Domine.*

855 O quàm exquisitè affectibus Jeova adjunxit Servator noster opera Elohim ! accidit ut sibi clariùs ob oculos ponens miserandum Jerosolymæ excidium in effusas lacrymas solveretur : *videns civitatem flevit super illam.* Luc. 19. v. 41. Sed quomodo mala impendentia plangit, ac velut amantissima Mater deplorat, *& tamen non liberavit eam* ? Rogat Rupertus Abbas in c. 1. Nahum. Quid causæ putamus ? *impossibile namque est eum injustè aliquid agere ; injustè misereri & parcere.* Quemadmodum ergò Octavianus Augustus plectendo impios tam acerbum in animâ sensit dolorem, ac si ipsemet cum reis exantlaret irrogata supplicia ; sic refert Suetonius ; *dare illum pænas apparebat cum exigeret* : & Vespasianus prolatâ mortis Sententiâ fusurus sceleratorum Sanguinem, lacrymas ipse adjecit suas : *justis supplicijs illachrymavit etiam, & ingemuit.* Ita Salvator noster quoniam ut Pater amavit Jerosolymam, interitum amatissimè planxit, ut verò Judicis sustinuit officium, noluit dissimulare immania crimina. Sed pænas decrevit sumere, & extremâ vastatione funditus delere : pari ratione tractabat degenerem discipulum Judam, admisit clementissimè in suum consortium, adhibuit mensæ, buccellam porrexit, & suo etiam corpore sacratissimo pavit, sed quid vidit pepigisse cum Cacodæmone fædus, damnationis in eum vibravit fulmen : *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Matth. 26. 25. S. Paulus quam ardenter fideles dilexit, materna omninò viscera induit : *filioli mei, quos iterum parturio.* Gal. 4. 19. quemdam tamen nefarium hominem furijs tartareis excruciandum tradidit. S. Petrus Joan. 21. 17. gregem committi suæ curæ audiens ; *pasce oves meas* ; repentinâ tamen morte proprietarios mulctavit, unde perspicuum fit, bono Prælato sæpius utendum esse rigore.

rigore. Itaque *disciplinam metuendus imponat*, ut peccata impunè non committantur, & vivo justitiæ exemplo cæteri in melius proficiant.

Magna proinde necessitas urget quemvis Prælatum, ut disciplinam imponat, & ita agrum lolijs & vepribus obsitum, igne succenso expurget, ac fertilem efficiat: ita imperfectas durasque massas repetitis ictibus expoliat, & nobiles formas inducat, ita calcarium subsidio cespitantem equum ad animosum cursum exstimulet; ita adhibito hirundinum morsu peccantem eliciat sanguinem, & infirmo pristinam sanitatem restituat, ita malleorum tunsione scintillas charitatis & melioris vitæ, è cordis silice concidet, ita ex torculari afflictionum pretiosos liquores extrahat, verbo: *disciplinam metuendus imponat*, ut subditi, qui noluerunt benignitati superioris rependere obsequium amoris, discant correptionis virgâ percussi timere, ac reverentiam exhibere, atque ipse Prælatus partibus suis nuspiam desit, nam Humberto teste c. 178. *boni Prælati est, arguere viriliter, ut ab omnibus alijs timeatur.* 856

Ex

CAPITE XI.

A vobis plus amari appetat quam timeri.

Prælatus in omnes benignus sit.

DISCURSUS LXXXVII.

SI non minùs in Principe, quàm olim in Summi Sacerdotis pectore necesse est splendescere omnis generis virtutum gemmas, maximè videtur requiri, ut pretiosos suos gratósque radios emittat serenitas frontis, dulcedo obtutus, morum comitas, & studiosa quædam humanitas, quæ vi suâ occultâ subditos alliciat in amorem, & jucundis machinis corda expugnet. His lineis expressit Seneca lib. 1. de clem. c. 13. absoluti Principis prototypon inquiens: *Sermone sit affabilis,* 857

lis, accessu facilis, vultu, quo maximè populos demeretur, amabilis. Has in Davide prærogativas suspexit Ambrosius 2, offic. 7. non sine admiratione describens. *Quàm mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu.* Similia quoque encomia Lampridius Alexandro Severo attribuit in vita. *Tantæ moderationis fuit, ut omnibus se blandum affabilémque praberet.* Nazarius in panegyri Constantini M. ait: *Quid faciles aditus, quid aures patientissimas, quid benigna responsa?* &c. Sed dubitandum non est, quin notas & insignia benignitatis, in Principibus sæculi ab optimis Scriptoribus celebrata, vehementer etiam exposcat. S. Augustinus in quovis Prælatorum suorum, unicè desiderans eam morum & vitæ compositionem quâ subditi provocentur ultro ad amorem ac venerationem: *à vobis plus amari appetat quàm timeri.* Appositè hanc in rem S. Gregorius Papa. 2. pastor. c. 8. *debet qui praeest studere se diligi, quatenus possit audiri.* Quod argumentum vobis ut spero non invitus, latiùs expendendum aggredior.

858 Nec magno admodum molimine stabiliendæ huic thesi opus esse opinor, cùm sola memoria tituli, quo gloriatur *Prælatus*, rem conficiat: si enim Abbas est, quod nomen Patrem denotat erga subditos, ceu teneros ac dilectissimos filios se gerat, omnique benevolentiâ complectatur, ac suppetias lubens volensque ferat, si necessitate quappiam premi compererit, sicut enim servi adoramus, & alloquimur Deum: *Pater noster qui es in cælis.* Matth. 6. 9. ac panem poscimus, & largè suppeditat: veniam culparum efflagitamus, & clementer indulget, adversus ingruentia mala præsidium imploramus & asylum aperit; quod gratâ mente recoleris. David Psal. 102. v. 13. canit. *quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se*: Ita planè Prælatus propensione paternâ consolari, juvare, tueri, ac favere subditis tenetur, à quibus veluti à charissimis filijs *magis amari appetat, quàm timeri.*

859 Hanc Principis Ecclesiastici seu Prælati dotem benignitatis mirificè adumbrárunt geminæ illæ celeberrimæ veteris testamenti virgæ, quarum alteram vaticinatus est Isaias, alteram usurpavit Aaron: Vates Evangelicus c. 11. 1. sic ait: *Egredietur Virga de radice Jesse*, hoc est, ex sententiâ Psalmographi Psal 44. 7. *Virga directionis, virga regni*, de qua continuò subdit. *& flos de radice eius adscendet.* De posteriore Sacra pagina testatur. Num. 17. 8. *turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Ita videtis mysticas has virgas, ad significandam supremam seu Principatus, seu Prælaturæ dignitatem assumptas non appellari vigilantes, non oculatas ad minimos quosque subditorum defe-

ctus

ctus notandos, non dici virgas supplicij, & horrisonæ vindictæ ad transgressores, nullo culparum discrimine habito pœnâ feriendos, sed virgas germinantes ac amœnè florentes, ut appareat, superiores præcipuè Religiosos non debere semper extrema urgere, quæque duritiem ac severitatem sapiunt, studiosè disquirere, sed potiùs fragilitatis humanæ memores sectari, quod suavitatem redolet, consolari subditos, non exterere, jucundum ver, non rigidam & austeram hyemem procurare, impertire tempus respirandi, virésque attritas reficiendi, non barbarâ tyrannide instare, ubique verbo desiderare, ut ametur magìs, quàm timeatur: Hinc Sapientes Indorum, teste Nicephoro Gregor. lib. 6. hist. Bizant. dicere solebant, *Principem quò naturâ sublimior, & eo humaniorem se præbuerit inferioribus, charissimum populo futurum.*

Quoniam verò florum injecta est mentio, non abs re erit lilium quoque discursui nostro inserere, quod multùm cæteris floribus antecedit, *flos Regius à* Pierio lib. 15. propterea nuncupatum, & licet rutilante candore, raràque emineat excelsitate, ac dignitatem proin Prælaturæ supra Canonicos Regulares congruè designet, constanter tamen, ut advertit sagacissimus naturæ mystes Plinius, caput benignè demittit, *humili semper collo*, quasi docere vellet comitatem & suavem quandam humanitatem nullo modo adversari eminentiæ statûs, sed potius exornare, ac præpotenter subditos in pronam obedientiam & sincerum affectum amoris provocare: *solet enim*, ait Nicephorus l. c. *dexteritas, atque facilitas morum in altiore dignitatis gradu facile omnium hominum animos sibi reddere obnoxios, quemadmodum verno tempore splendidi flores prætereuntium oculos in se convertunt.* Quod si Prælatum minùs hæc moveant, Deum intueatur, hoc certè titulo frequenter in sacris litteris magnificè celebratum; eum alloquitur David Ps. 8. 17. *benigna est misericordia tua*: & Sapiens c. 7. v. 24. extollit infinitam potentiam, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter*, simul tamen *disponit omnia suaviter.* Accedit Joël. c. 2. asserens: *benignus & misericors est.* Tanto igitur excitatus exemplo Prælatus Spiritum lenitatis induat, moderatè, benevolè, & suaviter se gerat, atque à totâ suâ familiâ *magis amari appellat, quàm timeri.* 860

Experrectus Jacob à somno admirabili, lapidem cui indormierat, statuit in modum cippi, illudque mirificæ apparitionis monimentum oleo Religiosè perunxit, Deo consecraturus: age, dixit, *lapis iste vocabitur domus Dei.* Gen. 28. 22. Quò divinitus jam illustratus, ut conjiciunt S. Augustinus Cardinalis, Cajetanus, Dionysius, Richelius & alij, præsagijt eo loco exaltatum iri augustissimum Judæorum templum, Orbis miracu- 861

lum, & humanæ industriæ, opulentiæque prodigium. Sed habeant se hæc ita ut fertur, cur obsecro templum illud magnificum, & domus Dei teneræ Olei pinguedine potius adumbratur, quàm celte, aut tudite, quæ saxo ad normam conquadrando magis congruerent, ut exemplar prodiret tam memorabilis ædificij? docemur ea re, Canonias, Monasteria, Ecclesias & domos Dei solidius constabiliri, ac gubernari, per oleum clementiæ, benignitatis & suavem tractationem, quàm ferro crudæ asperitatis & duræ sævitiæ. Calculum addit gentium Doctor, disertè asseverans non alio Ecclesias niti fundamento, quàm *ipso summo angulari lapide Christo JEsu*. Eph. 2. 20. Christi verò nomenclatura unctum, & nomen JEsu Salvatorem denotat, ut Prælatus velut Sacerdos & unctus Dei addiscat in *regendis* subditis libenter uti oleo pietatis, & mansuetudinis in eorum *solatium &* salutem, atque *plus amari appetat quam timeri*.

862 Et quia ad amabilem JEsum nostra deflexit oratio, conjicite, si placet, oculos in Montem Thaboreum, & videbitis immenso lumine coronatum, *resplenduit facies ejus sicut Sol*. Matth. 17. ita tamen dispensavit claritudinem, ne præsentes occæcaret, sed potiùs eorum contemplationi jucundissimæ & admirationi sese subjiceret; aures equidem percipiunt cælestem sonum & evulgationem, quòd esset Filius Dei, oculi tamen Moysis, Eliæ, & Apostolorum adspectu humanitatis gratiosissimo pascuntur, & recreantur: & ita Magnitudo Divinæ Majestatis temperatur benignitate carnis assumptæ, & illa incuteret stuporem, & sacrum quendam horrorem, istâ suavitate ac solatio permulceret. *Transformatio*, inquit S. Paschasius l. 8. in Matth. *claritatem addidit ex Majestate Divinitatis, sed faciem non subtraxit humanitatis.* Et quemadmodum Trajanum suum alloquebatur celeberrimus Encomiastes Plinius: *Reversus Imperator, qui privatus exieras, agnoscis, agnosceris; eosdem nos, eundem te putas, par omnibus, ex hoc tantùm cæteris major, quia melior.* Ita æquiori titulo asserere licet, Salvatorem nostrum in triumphali gloriâ Divinitatis non obscurâsse, *nec* abscondisse lineamenta humanæ naturæ; & licet splendore vultûs certare posset cum Sole, agnoscit tamen omnes, & vicissim agnosci desiderat, gradus dignitatis non prohibuit accessum servorum, sed colloquia per*amica* cum Primoribus Synagogæ & pauperculis piscatoribus miscet; major omnibus respondet cunctis & quo gloriosior, eò se præbet amabiliorem, & blandiorem. Hoc stupendum in speculum animos intendite, O Prælati, & considerate, quòd licet ambiant frontem radij tiaræ Pontificiæ, licet in Congregatione sitis, quod inter Sidera Sol, neutiquam tamen deponenda sit affabilitas, & placida cum subditis agendi ratio, sed satagendum pro viribus,

ribus, ut egregiè docuit S. Gregorius Nyss. orat. de iis, qui præmaturè abripiuntur; quo *ita morum gravitas atque majestas cum moderatâ animi demissione commixta non evertat oculos intuentium, sed jucundum efficiat obtutum*: itaque non timor animos exasperet, non exterreat Præsidis nimia & plùs quàm despotica gubernatio, quæ ætatem non feret, fortiùs ligabit benevolentia, & amor mutuus, si duriora quædam occurrerint, mitigabit.

Verùm si quando inexhausta benignitas Salvatoris copiosè diffudit lumen amabilis suæ claritatis, certè id præstitit, cùm ipse in vertice staret cujusdam montis, ad cujus planitiem adjacentem confluxerat ingens hominum turba, spiritualis aut corporalis subsidij hauriendi copia: ibi Dominus, ut procederet obviam, & afflictos solaretur, lubens volénsque ad ima revisit: *Descendens JEsus de monte stetit in loco campestri, & multitudo copiosa plebis, qui venerant, ut audirent eum, & sanarentur ab infirmitatibus suis.* Lucæ 6. Sed quid agis, O bone JEsu, si populos cupido incessit, pronis auribus accipiendi verbum tuum dulcissimum: eluctentur in montem: si sanitatem prensant seriò, & anhelant ægroti; medium accedant: gratiam inquirat studiosè, qui indiget, & sciat, non obvenire grandia beneficia, nisi efflictim à magnatibus poscantur: merx ultronea vilescit, & facilè contemnuntur munera obtrusa: si cæcos urget lucis cupiditas, Soli appropinquare necesse est, & sitim cælestium dogmatum non restinguet, qui fontem adire cunctatur: tu verò clementissime DEus, ut turbis te sisteres, spontè descendis? Ita est, Christus pro symbolo Solem elegit, iste non rogatus exoritur, non emptus illustrat vilissima etiam loca, & benefacit iis, qui propter hebetudinem nec sollicitarunt ante, nec postea grati agnoscunt: sic Christus, ut Ambrosio in hunc locum placet loqui, *ad vulnera nostra descendit, ut usu quodam & copiâ sua naturæ comparticipes nos faciat esse regni cælestis*: sive ut exponit Seraphicus Doctor: *Descendit, & stetit in loco campestri plano, & communi, ut omnes possent accedere ad audiendam sapientiam ejus.* Ad instruendos Prælatos, quòd sicut Christus non horruit laborem, nec subterfugit humilem demissionis conatum, quô turbis in necessitatibus & angustiis opitularetur, & satisfaceret desideriis, ipsi non parciùs indulgerent subjectis, eos visitarent, mederentur languoribus cordis, & mala præsentibus propulsarent remediis. 863

Maximam hanc funditus eversum ibant Scribæ ac Pharisæi expirantis Synagogæ infelices, & indignissimi Præsides, quorum vitia gravissimis 864

hisce

hisce verbis taxavit Servator noster Matth. 23. 4. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.* En duplam hypocritarum nequitiam! supra modum aggravant observationibus legalibus subditos, & fatiscere cogunt sub oneribus, at ipsi nihil minus cordi habent, quàm legum custodiam, omnem abs se molestiam procul amoliuntur, & genio habenas laxant, cùm oppositum omninò agendum esset, authore S. Chrysostomo apud D. Thomam, & nulla certior ratio ad ardua suos deducendi, quàm si prior manum ad difficillima quæque admoveat Superior: verba oris aurei sunt: *Oportet autem bonum Principem è contrario se habere, in his enim, quæ secundùm se ipsum sunt, gravem judicem esse, in subjectis autem mansuetum.* Defectus sanè tempestate nostrâ perquam frequentes sunt, quòd Prælatus *sub larvâ ardentis* zeli oneret subditos, supra vires laboribus, & *austeritatibus*, ipse interea suis compendiis studeat, & alios urgendo immodicè quærat propria sua commoda: quòd religiosos ad vigilias nocturnas cogens, ipse in mollibus stertat stragulis, quod morosum indicens jejunium in diætâ publicâ, lautis ipse cuticulam suam curet epulis, & genio liberaliter privatim indulgeat. Quod insistens acriter suorum solitudini, & fugæ sæcularium negotiorum, ipse liberè theatra, plateas, palatia perlustret, quòd paupetem gregem coërcens intra desertum sterile, ipse delicias floræ ac pomonæ, ne amplius dicam, prælicenter lustret, ac suis cupiditatibus velificetur. Verùm non excidat de memoriâ ejusmodi Prælatis, quantum Deus abominetur ex unâ barbariem Superiorum; unde patheticè apud Ezechielem conqueritur cap. 34. vers. 4. *Cum austeritate imperabatis eis & cum potentiâ, &c.* Et ex alterâ parte, quod S. Paulus ad Tit. 1. exoptet, Prælatum, *benignum, sobrium, justum*; ipse ceu Pastor bonus præeat bono exemplo gregem, de opportunis pascuis provideat, in ærumnis consoletur, & sublevet pietatem magis, quàm authoritatem ostentet, nec dubitet, quia amorem extorqueat, promptum obsequium, servitium, & venerationem assequatur.

864 Lubet hoc confirmare reflexione ingeniosâ ex Apocalypsi petitâ, ubi Filius Dei sub geminâ figurâ repræsentatur, primum vocatur nobilis, & generosus Leo, qui originem ex regali prosapiâ Judæ derivans insignem victoriam obtinuit: *Et vivit Leo de tribu Judâ radix David* Apoc. 5. 5. idem quoque sub schemate mansueti & candidi agni proponitur ib. c. 14. 1. non levis tamen differentia insinuatur, quòd Leo nobilis quidem ille regius ac triumphator neminem tamen in comitatu numeret, nullum asseclam

clam videat, cùm ingens multitudo præstantissimorum comitum stipet agnum, & festivè applaudat: *Ecce agnus stabat supra Montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.* Scitis, quæ causa discriminis? quid portendat agmen tam numerosum circa placidum agnum? Prælati commonentur, non attrahi subditos rugitu leonis, sed balatu ovis, non feroci violentiâ, sed leni clementiâ, non terroribus, sed amore, quod Claudianus scitè in Mam. Theod. concecinit:

- - - - peragit tranquilla tempestas
Quod violenta nequit, mandatáque fortius urget,
Imperiosa quies.

Quamobrem, O venerandi Antistites, pro eo, quo salutem aliorum quæritis zelo, pro vestrâ, quâ excellitis prudentiâ laborate, & appetite *plus amari quàm timeri*: non arceat metus subditos, sed amor trahat & intimè vobis conjungat, ut promptè obediant non duro tyranno sed amantissimo Patri, Deóque serviant *non ex tristitiâ aut necessitate* 2. Cor, 9. 7. nec gemant ut mancipia, sub pœnæ formidine, sed ut filij charitatis impulsu alacri; atque ita vos unâ à Patre misericordiarum in Regnum felicitatis beatæ, cœlestísque hæreditatis recepti æternum gaudebitis.



Ex

CAPITE XI.

Non solùm vestri , sed etiam ipsius misereminì.

Quod Prælatura plus oneris habeat , quàm bonoris.

DISCURSUS LXXXVIII.

866 TAnta Pastoris inter & Prælati vitas intercedit similitudo,ut S. Basilius hom. 26. de Matt, Mamante appellarit gemellas : *Sorores inquit quadam sunt pastura* , & *Regni administratio.* Vigilans Pastor distinctè cognoscit vultum pecoris sui , & bonus Prælatus singillatim subditorum mores , genios , & vires considerat : ille passibus corporeis præit Gregem , iste Sanctis exemplis provocat , ille deducit oves in omnia pascua , iste ad felicitatem paradisi viam sternit : ille defendit adversus insidias voracis lupi , iste à vitiorum morsu & infestatione monstrorum infernalium præservat ; ille consolatur ac fovet languentes , iste recreat laboribus fractos , & vires instaurare satagit : ille in morem cæli stellantis concubiâ nocte innumeros aperit oculos in gregis custodiam , iste perpetim agit excubias , & subditorum saluti solerter prospicit. Verùm quod maximè ad præsens institutum facit , si pastor , seu proprij amore commodi , seu affectus teneritudine incitatus intrepidè periculis se opponit, labores incredibiles exhaurit,tædia summa, & assiduas molestias perfert , quò gregem servet indemnem, ut Oleaster in c. 32. Isaiæ testimonium perhibeat,inquiens : *non inveniet munus aliquod majoris tadij , laboris , sollicitudinis , quàm sit Pastoris & nauta.* Prælatus certè haud minoribus gravatur angustijs , quippe qui, arbitro Hugone Victorino in hunc locum , *sic debet sui curam agere , ut alios non negligat , sic de alijs cogitare , ut semetipsum oblivìscendo non derelinquat , sic temporalia procurare , ut non refrigescat à Spiritualibus.* Unde tota ipsius vita servitus est assidua : quæ si fortè cuipiam digna videatur invidiâ

diâ propter auctoritatem imperij, & splendorem Prælaturæ, majori tamen æquitatis titulo meretur Commiserationem ob spinosas curas, & multiplices, quibus implicatur ærumnas, ut rectissimè dicatur, *ipsius miseremini*, quod clare demonstrandum in præsens suscepi.

Effinxit cœlestis Conditor manu propriâ ex limo Adamum, & immortalem animam ad suammet imaginem inspiravit, ac præter alias incom- 867
parabiles gratias pleno dominatu in universitatem rerum donavit, per celeberrimum hoc diploma: *dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.* Gen. 1. 28. subinde Regiam suam & Metropolim assignavit transferens in felicissimi illius viridarij septa. *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis.* Gen. 2. 15. Quis recolat sine suavissimâ gratitudine tot beneficia, quibus divinus artifex protoplastum nostrum cumulavit? sed ubi quis audierit præceptum, *ut operaretur;* attonitus hærebit: si enim paradisus hortorum omnium, & gratiarum compendium, si deliciarum omnigenarum vivarium, & promptuarium totius beatitatis, nullâ culturâ egeat, aut industriâ rurali, quid adstringitur ad operandum Adamus? Dein si summâ cum potestate rebus omnibus præfectus est, quomodo tantus talisque Dominus ad sticcam deputatur, & ligones? Hoccine sceptrum? hic apparatus electi Regis? S. Ambrosius acutè notat Protoparentem præfixum fuisse in exemplar Principum & Prælatorum, ideòque in paradiso collocatum, *ut operaretur*, quo patefieret, dignitatibus, & primis sedibus individuo nexu labores adhærescere, sed audiamus Mediolanensem antistitem lib. 1. de Paradis. c. 3. *Quamvis*, inquit, *Paradisus operibus ruralibus non egeret; tamen quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideo legitimi etiam in paradiso speciem suscepit laboris, ut nos ad operationem & custodiam debiti officij & hæreditariæ successionis munus adstringeret.*

Ambrosio miro consensu subscribit mellifluus Bernardus; audiens enim Jeremiam ad Prælaturam esse evectum, ejusque authoritati Provin 868
cias, & Regna subjici. *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna.* Jerem. 1. 10. edicite obsecro, ait, quæ putatis collata fuisse Principatûs insignia Magno Prophetæ? forsan in manus traditum pedum pastorale, aut Sceptrum Regium? an imposita corona aurea super caput, vel gemmea tiara? forsan in solio collocatus est eburneo, ad ostentandam pompam Majestati? Minimè gentium: consignatur in dexteram ligo, & rutrum, jubetúrque ruralibus operis insudare, agros repurgare, eradicare Zizania & noxia submovere vitiorum, econtra lauros virtutum & palmas Sancto-

 rum

rum ac Religiosorum plantare triumphorum : *ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes.* Jam rogat Bernardus lib. 2. de consid. *quid horum fastum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor Spiritualis expressus est.* Unde non obscurè discas, O Prælate! *præsidere te, non tam ad imperandum, quàm ad factitandum, & sarculo tibi opus esse, non sceptro.*

869 Sed nonne auditis manifestam incarnati verbi sententiam, ô Sacri Ecclesiarum Rectores : *Principes Gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* Matth. 20. 25. diversa inprimis ratio est sæcularis Principis & Religiosorum superioris; multùm discrepare debent Monarcha & Prælatus : ille sceptrum tenet pleni dominatûs, iste lituum gerit pastoralis sollicitudinis : ille absolutum exercet imperium, hic limitatam habet potestatem, ille ceu Dominus obsequia exspectat à subjectis, iste tanquam minister Dei famulari tenetur subditis, quod doctè, ut assolet, observat Origenes, inquiens : *Principes ergo Gentium dominentur eorum, Principes autem Ecclesiarum serviant subditis.* Quocirca non inscite quivis Prælatus semetipsum, suámque dignitatem exprimeret, delineando pedum Pastorale, grave onus sustentans, addito lemmate : *regnando servio*, sive *serviendo Regno* : conformiter dicto illi Tulliano : *ut servitus in dominatione, dominatio in servitute sit.* Unde B. Nilus expendens mare æneum, in templo Salomonis constructum, ac duodecim boves moli suppositos 3. Reg. 7. 25. docet figurari illo vase Prælaturas, quibus gerendis non aptari generosas aquilas, non canoros cygnos, non oves simplices, non feroces leones, sed boves duntaxat, quòd laboribus duris assueti sint, jugúmque patienter subeant, aratris terram proscindant plaustra devehant, frumenta deterant in horreis, & vires, vitámque in servitio humano consumant, quæ alia sors manet Prælatum? perdius & pernox sudat, nec ullam facile ab occupationibus molestis sortitur quietem: admetior verba S. Nili in asceticis ita disserentis : *Boves sub pelvi declarant eos, qui subeunt onus Rectorum, nihil respuere, aut aversari debere, sed opera, & sordes inferiorum perferre.*

870 Bellissimam proposito nostro cogitationem suggerit Princeps Apostolorum, qui à Salvatore in Ecclesiæ caput assumptus Petra vocatur, quod immensam mysticæ illius fabricæ molem suffulcire deberet: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. 18. *tanquam saxum immobile*, commentatur S. Maximus hom. 4. de S. Petro, *totius operis Christiani compagem molémque continent*, quo in facto id admiratione

ne cumprimis dignum est, quod Apostolus simul caput Ecclesiæ, ac fundamentum appellatur: notandum verò discrimen, quod caput cæteróquin reliquis membris superius, hîc loci pro fundamento statuatur, & omnibus alijs supponatur, ut veritas ista cuilibet ad Prælaturã promoto altè infigeretur; quod alijs dignitate præpositus gerere se debeat instar solidi fundamenti sub ædificio, & cæterorum pondus in suos humeros conijcere; & cunctis Superior statu fiat obsequio parato inferior, ut *servitus in dominatione dominatio in servitute sit.*

Vultis hoc firmem exemplis? non abnuo: en luculentum cap. 12. Luc. descriptum, ubi summa Domini erga fideles servos exprimitur benignitas, *cum venerit Dominus, præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Observandum, semel duntaxat titulum poni Domini, & quatuor distincta enumerari ministeria, famulis mira comitate impensa: ut enim expeditior ad serviendum evadat, *præcinget se*: dein scamna apparabit, & scabella, quo commodius sedere & quietem valeant capessere: *faciet illos discumbere*: ipse verò sedulò hac, illac ne desint necessaria, *transiens* tandem actu *ministrabit illis*: Quod S. Joannes Chrysostomus in Ps. 113. considerans, ita perorat: *hoc est Principatus, hoc est pascendi scientia, sua negligere, & eorum quos regit curam agere.* 871

Priusquam Samuel Saulem sciscceret, ac inauguraret Regem, nullo cum arbitro in secessu quodam suburbij Ramathæ aliquot olei guttis super capitis verticem effusis perhumaniter mensæ suæ adhibuit, & *levavit cocus armum, & posuit ante Saul.* 1. Reg. 9. 24. Quod sanè ferculum nec saporis exquisiti, nec admodum cibo Regio aptum aliud quidpiam innuere videtur: nempe cum scapulæ gestandis oneribus destinentur, instruebatur Saul, non evehi se ad Regnum ob delicias, & corporis commoda, sed ad labores, & molestissimas curas perferendas, veluti advertit Joannes Guilielmus l. 1. antiq. con. c. 33. in hæc verba: *cùm armus maximè valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret, se non ad jocum, ad lusum, ad voluptates, sed ad maxima onera ferenda atque sustinenda vocari.* Porro sit tantum exigitur à Regibus, quid dicemus nos de Sacerdotibus & Prælatis? his profectò non Scopulæ tantùm reservatæ gravantur, sed pectus in victimam deputatur, *pectusculum erit Aaron, & filiorum eius, armus quoque dexter cedet in primitias Sacerdotis.* Levit. 7. 31. significat Lex ista: Prælatum invictâ fortitudine labores aggredi, & magnanimâ resolutione velut cordatum virum adversitatibus in regimine multoties ingruentibus obluctari debere. 872

873 Scalam Patriarchæ Jacob in somno, quum subdio quietem caperet, pulvilli loco capiti lapidem substernens, Genes. 28. capite , versu 12. referente , iter reciprocum Angelis adscendentibus, & descendentibus præbentem, in gradu supremó Deus occupavit : vidit námque *Dominum innixum scalæ.* Ferè conspirant Sacri interpretes , Deum apici scalæ insistere voluisse, partim ut fideles amabili adspectu alliceret ad enitendum , & tantâ fruendum beatitate , partim ut animos robúrque sufficeret laborantibus , & delassatis : at opinio doctissimi P. Ludovici de Alcazar aliò tendit , nimirum pedes scalæ fuisse in manu Dei infinitâ suâ potentiâ firmantis , ac sustentantis machinam cum geniis cælitibus sursum deorsum commeantibus. Conceptum subtilem Doctor gentium approbare *videtur*, cùm disertè ac exploratè pronuntiat in elogium Filij Dei, *quàm beneficus* ac potens sit, *portans omnia verbo virtutis suæ.* Heb. 1. 3. Et verò immensa illa divina virtus,quæ condidit universa inexplicabili suo verbo , conservat regítque eodem jugiter : sed juvat audire Primasium loci allegati probum interpretem : *Verbum igitur*, ait, *Dei Patris omnia quæ fecit verbo virtutis suæ portat, hoc est,potentia virtutis suæ & verbo jussionis suæ omnia gubernat, & regit.* Sicut verò Deus Optimus Maximus adspectabilis hujus universitatis molem , & gubernando sustentat, & sustentando proinde gubernat, ita planè Prælatus regimini semel admotus , portare tenetur pondus subditorum , providendo indigentibus, consolando afflictos ; Medicinam infirmis procurando , docendo idiotas , perplexos extricando , cunctis oportunè subveniendo : & affectu paterno brachijs stringendo, & officio Pastoris imponendo humeris. Quare dignitate Prælati conspicuus quasi servum se exhibeat, sudoribus non parcat , pericula non horreat , unicè compendijs suorum studeat. Ita sentit & suadet auctor operis imperfecti hom. 35. in Matth. *Principes*, inquit, *Ecclesiæ fiunt ut serviant minoribus suis, & ministrent eis, quæcunque acceperunt à Christo, ut suas utilitates negligant, & illorum procurent.* Nec satis est Prælatum esse caput, quod reliquis præsit, requiritur præterea , ut obeat vices oculi, qui provideat , manus quæ laboret , pedis qui præcedat, & severitatem subditis præstet : *& si Opus fuerit,subjungit laudatus auctor* , *nec mori recusent pro salute inferiorum suorum.*

874 Profectio Israëlitarum per desertum 40. omninò annorum spatio continuata tandem ad ripas Jordanis pertigit, flumen tunc temporis, ex nivibus liquefactis , supra modum exundabat ; & populus rauco undarum fremitu, & spumantibus turbidísque procellis exterritus in planitie vicinâ castra metabatur , triduo corpora curaturus , & occasionem trajiciendi ani-

xè

sè præstolaturus; cùm Josue palam denuntiari jubet transitum: quem illum & qualem? *Ait ad Sacerdotes: Tollite arcam fœderis, & præcedite populum.* Jos. 3. 6. Vestrarum partium erit, O Sacerdotes, tollere arcam in humeros, tentare vadum, & ante populum Israël trajectum fluminis moliri; sed quî transeant, si proximum littus fluctibus crebris everberatum in momento minatur submersionem, & præsentem interitum? *Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat.* Cur igitur non prius discrimini objiciuntur ministri inferiores, & vilioris conditionis homines, quàm adeant Sacerdotes? Itáne Servi Dei viventis, nobilissima tribuum omnium portio, absque respectu & commiseratione in periculum vitæ, ac præcipitium inevitabile conjiciantur? Itáne Sacerdotalis dignitas súsque déque habebitur, ut adigatur in profundas voragines, & absorbeatur? Ita est AA. fixum ac decretum manet, Sacerdotes præcedere necesse est. Cæterum si spumosus ille tumidúsque fluvius est symbolum afflictissimorum casuum, & ærumnarum humanam vitam identidem turbantium, grandi certè mysterio Deus ordinavit, jussitque præire Arcam typum Principum, & Sacerdotes Pastores populorum, ad terrores perfringendos, quoniam munus est ac officium fidi laudatíque pastoris, perangustos calles præcedere oves, pericula avertere, & immunitatem iis quærere: ut Abulensis innuit: *Sacerdotes portantes arcam primi ingressi sunt in aquas Jordanis, antecessit hîc arca Israëlitas, ut non timerent*, quod perinde est, ac si diceret: *Pastor bonus ante oves vadit: & Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis.*

Placet specimen hujus rei petere ex ipso Salvatore, qui Arca Divini- 875
tatis, Sacerdos Supremus, & Pastor optimus accessit torrentem Cedron, nomenclaturâ suâ, Hieronymo teste denotantem idem, *ac denigratum & triste.* Ut verò placet Angelico Doctori, *passionem.* cum lectissimis suis Petro, Jacobo, & Joanne, *egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Joan. 18. 1. Sed videte, quæso vos, quomodo hunc torrentem angustiarum & dolorum, suppliciorum, & acerbissimæ mortis transierit; *Præcedat illos JEsus*, ait Evangelista Marcus c. 10. 23. *& stupebant.* Ita nimirum DEus homo, qui ambitum cane pejus & angue fugiebat in porticu, primas sedes in templo respuebat, in plateis & confertis populorum turbis honores declinabat, nec ullum volebat præcedere dignitatis splendore, ubi de periculis agitur & malis instantibus, ceu Pastor zelosus, antecedit gregem intrepidus, velut candidus cervus in undas se dat, furorem fluctuum expugnaturus suo pectore, vel discrimine capitis, quo sequaces tranatent immunes: & sicut dicebat per os S. Hieronymi in c. 2. Joan. v. 4.

Ego

Ego sustinui tempestates, & fregi turbines sævientes, ut cæteri securius navigarent. usque adeò verum est, quod *Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis*, ac proinde meretur intimum commiserationis sensum.

876 Vix dum inunctus erat à Samuele Saul in Regem ac Pastorem populi; *Ecce, unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem.* 1. Reg. 10. 1. Cùm illicò ab eodem Prophetâ armis præcingitur; in aciem dirigitur, & barbaris, trucibúsque Judæorum hostibus ire obviam jubetur: *& libera bis populum suum de manibus inimicorum ejus.* Sed quorsum existimatis primos gressus direxisse? ad gelidam urnam, qua Rachaëlis defunctæ ossa concludebantur; *Cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel.* Quid hoc rerum? quomodo convenit inter lætitiam viri recens in Regem electi, & squalorem cadaveris, dudum à vermibus corrosi? inter diadematis gemmas, & gemitus præficarum? inter rutilantem purpuram, & pallentes cineres? inter thronum magnificum, & funestam tumbam? inter arcus triumphales & castrum doloris? sed congruè prorsus voluit providentia Numinis saxo illo mortuali deprimere fastum, & arrogantem Saulis spiritum, ne videlicet inani regalis pompæ inflaretur aurâ, ne nimium sibi blandiretur, vel extolleretur, mortis memoriâ coërcenda erat infrenis licentia, succrescens cupiditas. Præterea multum profuit, ire juxta sepulchrum Rachel, ut recordaretur, eam matronam è vivis fuisse sublatam, ut vitam impertiret filiis, excessisse Mundo, ut proles feliciter intrarent; simúlque in animum induceret, principem se constitutum, qui Patrem & Pastorem referret, totóque pectore subditorum quæreret emolumenta, &, *si opus fuerit, nec mori recusaret pro salute inferiorum suorum.*

877 Habetis, ni fallor, habetis, O venerandi Præsides, & animatum Pastores, absolutam in memoratis exemplis ideam, quam assiduè intueamini, & alacriter imitemini: Zelus juvandi subditos sit primum elementum, & agendi difficilia, patiendi durissima quæque incitamentum: vestrûm erit æmulari aggeres, qui secus flumina erecti, furias retundunt fluctuum, ne terræ vicinæ vastentur exundatione: vos studete aliis commodare instar Salis, qui carnes à putredine præservaturus ipse dissolvitur, instar facis accensæ, quæ lumen aliis præbet, se verò consumit, ac redigit in favillas; instar mali punici, quod asserturum in libertatem grana, instar charissimorum pignorum in sinu conclusa, non recusat rumpi corticem, ac distringi coronam; instar aquilæ sustinentis pullos suos non jam unguibus, sed tergore, ut pectore suo ceu vallo sagittas venatorum avertat ab eorum capite, ac incolumes conservet; denique instar Pellicani, qui proprium pectus

pectus saucians, & sanguinem proliciens, pullis medicamentum & alimentum subministrat, *sua per dispendia, viscera visceribus, ut vitam habeant*, quod ipsum Servator indicat, cùm ait: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.*


Pastorum post homines natos haud dubiè celeberrimus fuit Jacobus, 878
inclytus ob labores, pro speciosâ Rachaële quatuordecim integros annos exantlatos, nobilis propter magnanimitatem quam prodidit, cùm non modò impigrè cum Angelo luctatus est, sed etiam prævaluit: generosus oppidò, clarissimus ob gratias speciales divinitùs ubertim collatas, & prærogativam rarissimam, quòd Filius Dei ex stirpe suâ nasciturus esset: *& regnabit in domo Jacob in æternum,* Luc. 1. 32. Duo quædam opera in sacris litteris de Patriarchâ ipso glorioso memorantur, adeò sibi contraria, & pugnantia, ut intellectus anceps hæreat, an idem, an alius fuerit Jacob? Certior factus, Esau fratrem natu majorem summopere offensum, ob ereptum natalium primatum insidias sibi struere, mortémque minitari, totus quantus pavore corripitur; & quidquid caloris masculorum spirituum & vigoris in corde nutrivit, in pedes demisit, atque in præcipitem fugam se conjecit, saltem quæsiturus in regionibus exteris, & in ædibus Labani hominis idololatræ asylum petiturus. Inde post annos complures redux intelligit, eundem fratrem suum non jam inermem, & solum, ut antea, sed quadringentis stipatum militibus cunctis probè armatis, bellicosis, & furibundis obviam procedere, & tamen nec latum unguem ab itinere deflectit, sed intrepide pergit, séque in suorum fronte adversus fragores, fulgura & fulmina armorum armatorúmque ingerit. Mira narratio! an igitur ille cuniculo antea timidior, solámque fugam & abdita antra meditatur jam instar animosi leonis in hostem prosilit, & conflictum aggreditur, ille, qui florentibus annis & viribus adhuc integris languebat, jam licet diuturno itinere fractus, licet ex angelicâ luctâ elumbis, ac claudus certamen audax ineat? ille, qui velut cor haberet conglaciatum, unum solum fugiebat, modo quasi totus igneus, & aheneus, sese quadringentis militibus opponat? quæ causa diversitatis? quando Jacob patrium solum vertit, furorem fratris effugiturus, filius erat familias, homo privatus, & talis, quem nulla alia cura angebat, nisi propriæ ut consuleret saluti: modò verò cùm Pater est ac Dominus numerosæ domûs, necessitate compulsus salvandi liberos, & subditos conservandi, antecedit omnes, firmaturus pectus proprium in eorum propugnaculum, & paratus sanguinem fundere ad suos periculis eripiendos, extinguendúmque fraternum furorem: itáque pastor conversus est in oviculam, quæ pro salute gregis destinatur in

victimam, atque ut loqui placuit S. Basilio Seleuc. *Bonus Pastor pro ovibus tanquam ovis jugulum prabet.*

879 Sed tamdiu quid moror vos cum Patriarchâ Jacobo? præstat ob oculos ponere plura, quæ suppetunt ejus generis paradigmata, quæ non sola energia, quâ pollent, sed etiam copiâ intentum conficiant. Adspicite proin, si placet, Aaronem Pontificem, verorúmque pastorum prototypon, ubi animadvertit, exortum subito ultorem ignem vastare, quidquid castrorum & multitudinis ab ipso tabernaculi divini vestibulo se porrigebat, & in uno naturæ æstuari terram, viros, mulieres, jumenta, tabernacula, facultates, *Ipse stans inter mortuos, & viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Num. 16. 48. Adspicite Davidem supremum Israëlitarum Pastorem, ubi vidit Angelum vibrare minacem gladium, & sævissimâ peste grassari in populum eius, vicem intimè miseratus, *in se suósque* cladem transferri exoptat: *Isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me!* 2. Reg. 24. 17. adspicite Paulum amantissimum Pastorem, cui parum erat in utilitates suorum effundere, quidquid habebat, nisi vitam, sanguinem, & animam ipsam obsequi eorum addiceret: *ego autem libentissimè impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris.* 2. Cor. 12. 15. quod ita explicat S. Anselmus *libentissime impendam vobis vel carnalia vel spiritualia bona, & post omnia, si opus fuerit, ego ipse super impendar pro animabus vestris, ut moriar pro salute animarum vestrarum.* Adspicite S. Paulinnm Præsulem Nolanum, qui ærarium sacramque supellectilem lubens exhausit, ut pasceret famelicos, & propriæ vitæ sanè prodigus in mancipium se tradidit truculentis barbaris, ut pretio libertatis suæ filium cujusdam viduæ eximeret vinculis, lytrum seipsum dedit, ut illa liberè reciperet unicum natum: adspicite S. Leonem Papam, qui Leonino certè animo in conspectum Attilæ tyranni prodijt, dúmque se vitæ suæ negligens Italiæ igne ferroque fatali Principi ac flagello Dei intrepidus sisteret, Romam ac reliquam regionem ab imminenti ruinâ, & miserabili incolarum strage liberavit. Adspicite Carolum Borromæum Episcopum Mediolanensem, qui dum oves curæ suæ commissæ pestilentiâ infectæ caderent, fune ad collum asperrimo alligato, manibus cruci constrictis, pedibus nudis & proprio Sanguine purpuratis, seipsum victimam justitiæ divinæ offerens, populum suum à manu percutiente liberavit. Addspicite Athanasios, Ambrosios, Chrysostomos, Hieronymos, &c. pro incolumitate fidelium contra Nestorianos, Pelagianos, Arrianos, Donatistas aliósque eius furfuris Hæresiarchas usque ad carcerem, usque ad exilium, usque ad Sanguinem depugnantes; nec terruerunt atroces tyranno-

rannorum minas, nec supplicia extrema, dummodo hujs in Christo genitis sat caveretur.

Tandem oneris, vestris incumbit humeris, ô Prælati, Supportare debetis imbecillos, defendere oppressos, indigis providere, errantes reducere, afflictos recreare, infirmos curare, & omnes, pro virili & animitus ad salutem æternam promovere. Id muneris à vobis deposcit labores assiduos, vigilantiam indefessam, sudorem, & ubi res tulerit, etiam Sanguinem, si placet mytra unionibus distincta caput ambiens, non tædeat sub onere illo gemere pro salute subditorum; prensate pastoralem baculum non tantopere dirigendo gregi necessarium, quàm vobismetipsis fulciendis opportunum, & quoniam columnæ estis congregationis, mementote eas non putare sub mole, sed validius indies constabiliri, ut congruè nonnemo inscripserit: *firmatur pondere.* Si amplissimum hunc dignitatis gradum subdolè aucupati estis, sufferte æquanimiter sarcinam in ambitionis pœnam: Si majorum auctoritate inviti fuistis sublevati, Dominus Sanctâ gratiâ vos roborabit, ut citra gravamen tolerare valeatis: solummodo in arâ cordis vestri excitate scintillas ardentis in Deum & proximum charitatis, & leve videbitur quidquid portandum est. Quod si pro grege salvando vita ipsa ponenda foret, spes indubia eriget vos vitæ nobilioris à Deo in gloriosam mercedem præparatæ: nimirùm: *qui perdiderit animam suam in hoc Mundo in vitam æternam custodit eam.* 880



Ex

CAPITE XII.

Donet Dominus, ut obſervetis hæc omnia.

Cuncta Regulæ præcepta ſeriò obſervanda eſſe.

DISCURSUS LXXXIX.

881 SOl Planetarum illuſtriſſimus, irrequieto indeſeſsóque motu univerſi machinam per immenſa locorum ſpatia obambulans viginti quatuor horis, ut ajunt, ſeu filiabus ſuis, ſeu ſolertiſſimis ancillis ſtipatur, ita tamen ut alternent obſequia & aſſignatis ſingulæ intervallis aureum currum dirigant, equis moderentur, portas cæleſtes, quibus præfectæ ſunt, ſubmiſsè reſerent, triumphatori, more ingreſſuro: porro quemadmodum omnes exporrectâ fronte, renitente ore, læto animo famulantur Soli, ita miram varietatem adferunt Orbi, pro arbitrio nubes inducant, vel cælum efficiunt ſerenum, gratias & flores omnigenos ſpargunt, nunc prata amæno rore exhilarant, &c. commentum hoc ingenioſum quidem, ſed fabuloſum à Natali Comite l. 4. myt. c. 16. relatum veritatem nobis aperit cumprimis ſalutarem; ſi enim anima cujusvis Juſti per Solem denotatur, ut legimus: *vos eſtis lux Mundi.* Matth. 5. v. 14. & rurſus: *fulgebant juſti ſicut Sol in conſpectu DEI.* Matth. 13. 43. *S*icuti Solem perpetim omnes horæ comitari finguntur, & conſtans ferre obſequium, ita optarem ego univerſas virtutes Religioſas per accuratam omnium Regularum, & conſtitutionum obſervationem agminatim adhærere lateri veſtro, nec uſpiam avelli aliquam, quod impensè Canonicis ſuis ab infinitâ Numinis bonitate S. P. Auguſtinus flagitat, inquiens: *donet Dominus ut obſervetis hæc omnia*: Quoniam ut animus eſt pluribus jam oſtendere, nequaquam ſufficit, ſi Religioſus in uno alteróve emineat. Verum ut graviter pronuntiavit S. Joan. Chryſoſtomus hom. 10. imp. in Matth, *omnibus virtutibus debet eſſe ornatus.*

Si

Si laudem promeruit acuti ingenij Homerus, cùm significaturus firmissimam superorum æthereorum, elementarium corporum connexionem, catenam auream prodidit, quæ demissa e cælo ad terras pertingeret, & arctam Societatem utriusque confirmaret, ut recitat Mythiol. lib. 3. c. 4. 882
Quid dicemus de admirabili illâ Scalâ quam Gen. 28. 12. Jacobus in Somnis vidit è planitie terræ porrigi per nubes usque ad altissimum Omnipotentis Monarchæ Solium? si fas est, ex utraque hac Poëticâ & Propheticâ narratione moralem doctrinam depromere, nullus dubitem, perinde in aureâ illâ catenâ ex innumeris annulis conflatâ multiplices designari virtutes à cælesti sapientiâ propositas, & homini ad assecutionem supremi boni subministratas, atque Jacobea illa scala ex alterâ parte pluribus distincta gradibus demonstrari, quo pacto animæ sit enitendum ad felicitatis apicem gradatim per omnis generis virtutes, cui meæ sententiæ oppido favet aureus Ecclesiastes, ita secum ratiocinatus, indultas esse homini quinque facultates, sentiendi, ut possit pro re natâ ex omnibus una specialiter uti, ac sibi commodare, ita totum virtutum chorum ante oculos positum esse, ut datâ optione non quiescat in unâ Solâ, sed omnes pro diversâ occasione reddat familiares. Verba Chrysostomi homil. 4. c. 2. ad Ephes. sunt quæ sequuntur: *Quomodo enim nobis sunt quinque sensus, & omnibus ad id quod oportet utendum est: ita etiam omnibus virtutibus: non enim sufficit una virtus, ut cum fiduciâ sistamus ad tribunal Christi, sed multa varia, & omnis generis, atque adeo omni virtute opus est.* Specimen ejusmodi seu Scalæ, seu virtutum catenæ cernere licet. 2. Pet. 1. 4. c. *Ut efficiamini,* ait, *divinæ consortes naturæ curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestrâ virtutem, in virtute autem scientiam, in scientiâ autem abstinentiam, in abstinentiâ autem patientiam, in patientiâ autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.* Ita numerosum virtutum à nobis intimè cultarum examen gradus sternet, ad beatitudinem Cælestem: *Etenim Scala illa,* inquit os aureum hom. 82. in Joan. *mihi per illam visionem paulatim, per virtutes adscensum significare videtur, per quam à terrâ in cælum addscendere nobis licet: non gradibus sensibilibus, sed morum incremento.*

Non sine pomposâ quâdam majestate tabernaculum vetus decem omnino cortinis cooperiebatur, & adornabatur; quatuor illæ coloribus affabrè distinctæ iridem elegantiâ suâ referre, vel multicolores aves æmulari videbantur: *Decem cortinas,* exprimit sacer textus Exod. 26. 1. *de bysso retorta & hiacyntho ac purpurâ, coccoque bis tincto variatas opere plumario:* Rerum divinarum consulti notant quatuor hisce cortinarum coloribus sci- 883

tè primigenia quatuor Mundi elementa repræsentari; S. Bruno quaternas virtutes cardinales symbolicè iis indicari opinatur in Allegor. Tilman. atque per hiacynthum intelligit prudentiam, cæruleam illam & cœlo cognatam: in purpurâ Regibus consentaneo ornatu veneratur Justitiam, regnantium propriam: in cocco fortitudinem suspicit, Martyribus familiarem; in bysso denique agnoscit temperantiam, quæ *inter omnes virtutes media discurrit, omnésque conjungit, atque conciliat:* hanc colorum mirabilem temperaturam in tabernaculo conspicuam, si lubeat nostro accommodare instituto, liquet profectò, arctum intercedere inter omnes virtutes fœdus, nec posse citra hostilem violentiam separari à se mutuò: unde concludere potest quisque, cùm Religiosus unicè inauguretur servitio Dei, *templi*, altaris, quam vario virtutum cultu instructus esse debeat, *ut adeò excellat* prudentiâ, quàm sapientiâ circumdet, ut justitiam exerceat, *sed æquitatis* nunquam obliviscatur, & pacem constanter foveat, ut fortitudine quodammodo callum obducat, sed patientiâ nonnullâ dissimulare norit, ac transmittere, ut temperantiam colat, sed humilitatem & mansuetudinem adjungat, bonus quippe Religiosus, *variatus opere plumario omnibus virtutibus debet esse ornatus.*

884 Si beatitudines à Servatore solenniter evulgatas suis momentis pensemus, difficultas occurrit, quòd S. Matthæus earum octo enumeret, S. Lucas verò quatuor duntaxat consignet. Certum est, eodem falli & fallere nescio, spiritu Hagiographos fuisse motos, ac directos, sed unde obsecro tanta discrepantia in numero? Ecce Christus in duabus occasionibus verba de beatitudinibus fecit, semel cum Apostolis loquens octo proponit: aliàs turbæ prædicat solummodo quatuor, quamvis si ritè pensemus, dicit S. Ambrosius, discrimen facilè evanescet, nam *quatuor tantùm beatitudines S. Lucas dominicas posuit, octo verò S. Matthæus, sed in illis octo, ista quatuor sunt, & in quatuor istis illa octo.* Si enim quatuor cardinales virtutes in animâ semel hospitantur, aulicus cæterarum virtutum comitatus non procul aberit, sed omnes brevi congregabuntur, quia virtutes, eodem Mediolanensi Præsule teste, *connexa sibi sunt, concatenatæq́, ut, qui unam habeat, cæteras habere videatur.*

885 Lustremus caput quintum Epistolæ ad Galatas, & inveniemus opera carnis ad instar scopæ dissolutæ inter se describi dissipata: *Manifesta sunt autem*, ait Apostolus, *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, &c.* at verò ubi mentio de virtutibus incidit, omnes sub metaphorâ fructus colliguntur in unum fasciculum; *fructus autem spiritus est charitas,*

tas, gaudium, pax, patientia, benignitas, &c. vitia námque perpetuum invicem bellum gerunt, & acertimè digladiantur, è diverso virtutes facilè conveniunt, nec aliter, quàm grana mali punici, intra eundem corticem, amantissimè se complectuntur. Quapropter S. Augustinus tametsi grandem virtutum religiosarum numerum proponat in regulâ suâ, alumnos tamen suos hortatur, & divinum implorat auxilium, *ut observetis hæc omnia*, ut enim pauló ante monui, *virtutes connexæ sibi sunt, concatenatæq; ut qui unam habeat, cæteras habere videatur.*

Sponsam Regiam Salomonis Propheta Rex celebrat ceu pretiosissimis vestibus adornatam canens psal. 44. 10. *Assitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varitate.* ubi B. Amadæus hom. 2. *non solùm vestitu deaurato, & fimbriis aureis decoratur, sed & omni lapide pretioso cooperitur; nulla enim gemma, nullus lapis pretiosus, nulla pretiosa margarita huic deest operimento.* Non ergo sufficiat aurum charitatis pallina religiosæ animæ Deo feliciter desponsatæ, sed copiam conquirat gemmarum splendore, pretio, ornata certantium, ambiat, inquam, quas potest virtutes maximas & diversissimas adunare sibi studeat, sic morem geret S. Brunoni in locum allegatum disserenti: *Hæc autem vestis variata dicitur, quia omnibus est intexta virtutibus.* Non aberravero, si Religiosum affirmem hortum mysticum divino gustui apparandum, quia Salomon Dei, cujus typum gessisse constat, nomine, *fecit hortos & pumaria, & consuevit ea cunctis generis arboribus.* Eccles. 2. 5. ut igitur cœlesti Sponso gratum exhibeat obsequium, cùm sacra Sponsa alliciat prælargâ inventione, *omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Cant. 7. 13. ut mereatur audire, quod optimus senecio filio suo Jacobo pro laude ac faustâ prece edicebat Gen. 29. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Non contentus est Dominus, si anima exhalat fragrantiam rosæ per charitatem, violæ per humilitatem, lilij per castitatem, corollam exoptat è cunctis floribus contextam, ut enim observat Ennodius in Parænes: *Nobilia serta nisi multiplicibus pratorum non componuntur spoliis.* Nullam igitur regulæ nostræ legem transgrediamur, æmuli progenitorum S. Baptistæ, qui Luc, 1. præclaris Encomiis extolluntur tanquam *incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querelâ*: Non elabatur è memoriâ præceptum dominicum Apostolis injunctum: *Ite, docete servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Matth. 28. 20. Imitemur sedulò Magnum Antonium, qui tanto spiritualis profectûs flagravit desiderio, ut sanctissimos quosque Dei famulos inviseret, ac virtutes singulis peculiares sibi reddere communes allaboraret, memor illius maximæ: *Perfectus Religiosus omnibus virtutibus debet esse ornatus.* 886

S. Pau-

887 S. Paulus ætatem primam militiæ consecravit, id*e*óque armorum assuetudine ductus bellicoso quodam conceptu sensa sua Ephebiis explanat; quandoquidem princeps tenebrarum semper in nostram perniciem intentus est: *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Ephes. 6. 13. *Armaturam*, respondet glossa, *quia exercitium virtutum armat & munit*, ut Hugo Carensis commentatur. Quod autem caput est, ita omnibus obarmandi sumus virtutibus, ut nusquam maligno hosti aditus pateat. Castitas suis armis instruat lumbos, justitia ceu lorica pectus obtegat, pedes evangelicâ paupertate induantur, & conculcent mundana commoda, vanáque rerum compendia; sinistra scutum fidei apprehendat, & caput sub spei galeam abdatur, nec gladius desit verbi divini. Quod si fidelis eo pacto pro sui defensione capessat *omnia arma*, seu *omnes virtutes* si exactè custodiat quæcunque præcepta regularia & *consilia præscripta*, securus erit de palmâ, & stygium hostem gloriosè profligabit.

888 Diminutum & infelix est præconium, quod Marc. 6. v. 20. Herodi attribuitur, quia zelosa Joannis monita pronis auribus accipiens *multa faciebat*: Multa interpretatur Hugo in ps. 50 *quasi dicat non omnia.* Avertat Deus, ne similis censura feriat Canonicos Regulares, quòd quædam præcepta equidem mandent executioni, sed non omnia impleant: ex omnium enim observatione integrâ consurgit religiosa perfectio: cunctis alacriter exercendis accingamur, & Dominus suppetias feret, potentíque suâ gratiâ conatum nostrum promovebit; quod indicat desiderium Augustini; *Donet Dominus, ut observetis hæc omnia.* Extimulat autem magnus Legislator ad accuratam legum custodiam, ut palàm fiat, nos venustatis animæ studiosos esse. *Donet Deus, ut observetis hæc omnia tanquam spiritualis puchritudinis amatores.* Quemadmodum ergo pulchritudo vera ex omnium membrorum justâ proportione addito suavi, & vivaci colore nascitur, ut non mereatur elegantis laudem fæmina, scribit Seneca Ep. 37. ex bellâ parte unâ vel alterâ, nisi conspirent omnes: *Non est formosa mulier, cujus crus laudatur aut brachium, sed cujus universa facies admirationem singulis partibus aderit.* quod aptè in proverbiis suis confirmat idem Magister morum dicens: *Sicut formosa pictura est, in quâ nulla pars errat, sic & formosus homo, in quo nulla pars peccatis fœda est:* Eâdem ratione Canonici Regulares se ostendant *spiritualis pulchritudinis amatores*, exteriori munditiæ adjungendo puritatem spiritûs; amorem Numinis addendo proximi dilectionem sinceram, frugalitatem & parsimoniam victus condiendo hoc rore vitiorum, litterarum studia acuendo per flagrans religiosæ perfectionis desiderium: solitudini claustrali associando fre-

quen-

quentiam piarum commentationum : contemptum nugarum sæcularium elevando ad insignem virtutum æstimationem, ut ita nullâ parte deficiant, aut manci appareant, quo efficient, ut linguâ hominum cumulatis laudibus exornet, & manus DEI locuplete præmio remuneretur *tanquam spiritualis pulchritudinis amatores.*

Ex

CAPITE XII.

Donet Dominus, ut observetis hæc omnia, non sicut servi sub lege, sed sicut liberi in gratiâ constituti.

Lubenti animo, non repugnanter serviendum esse DEO.

DISCURSUS LXXXX.

MAlum granatum tantis Opifex manus D E I, & naturæ, favoribus, & prærogativis condecoravit, ut pratiosissimis Orientalium plagarum arboribus invidiam movere possit : in novellâ ætate vestitur quodammodo smaragdis, ubi verò ad perfectam paulatim excoquitur maturitatem, eleganti flavedine chrysoliti vividâ quâdam purpurâ exornatur, ut non modò nobilissimum referre Monarcham aureo, croceòque amictu, sed primatum & regiam potestatem supra cæteros sibi fructus arrogare videatur propriâ coronâ : ob quam ingenitam suam dignitatem à sacrâ paginâ confertur paradiso. Cant. 4. 13. *Paradisus malorum punicorum* Et Sapientia divina ut incredibilem cælestis Sponsæ venustatem celebret, non amplius colores lactis & nivis, non lilia & rosas advocat, sed spectatissimam pomi granati elegantiam proponit Cant. 4. 3. *sicut fragmen*, alij vertunt, *sicut cortex mali punici ita gena tua.* Non equidem ignoro, designari per purpureum ejus præclarissimi fructûs ruborem, tum circumspectam virginum vereun- 889

recundiam, tum cruentas Martyrum triumphantium exuvias, rectè tamen fecero, si subdam cum Philone Carpatio, Sponsam Dei seu Religiosam animam assimilari malo punico, quia si cæteri fructus indnstriam hominis, ut usui esse valeant, & alimento, expectant, decuti volunt, evelli debent vel acie ferri deglubi, depilari ac expurgari, illud sine cujusquam violentâ manu, suammet sponte sinum aperit, corticem dirumpit, & viscera sua, dulcissima grana offert, cuicunque volupe est accipere. Sic fidelis anima, cogente nemine, summâ suâ voluntate cogitationum & affectuum Sanctimoniam in latebris arcanis conclusam in lucem profert, disciplinam, & virtutes Religiosas, quibus gloria divinæ Majestatis amplificatur, pro re natâ ultro pandit, & proximos ad progressum in bono incitat. Verba sunt Philonis: *comparatur Sancta anima malo punico, quia fovet in sinu suo cogitationum & desideriorum optimorum grana pulcherrima, quæ se opportuno tempore promunt & aperiunt.* En bellam consonantiam cum S. P. Augustino qui alumnos suos hortatur, ut *non sint servi sub lege verberibus* & metu adacti, *sed sicut liberi sub gratiâ constituti*, promptam virtutibus operam navarent, & instar mali punici *se opportuno tempore promerent, & aperient.*

890 Et verò in dubium revocari non debet, quin præcipua conditio operibus nostris valorem, pretium, & æstimationem concilians, sit voluntas bona, & obsequiosa, Seneca certè judicat imprudentem, qui opera aliorum pensat duntaxat secundum superficiem & medullam intentionis negligit: *parum agit, qui officium externâ tantum facie expendit*; ait lib. 1. de benef. c. 6 quandoquidem, ut idem observat lib. 2. benef. c. 6. *in beneficio jucundissima tribuentis voluntas.* Confirmat Pindarus Pyth. ad 5. Antistroph. 2.

Spontanea igitur decet
Mente benefactori
Occurrere.

Consentiunt Oracula Sanctorum Patrum: & Chrysologus altùm protestatur ser. 8. *de cordibus Deus non, de manibus facta metitur.* Auctor Sermonum, ad Fratres in eremo serm. 34. disertè docet, opera quandúmvis suaptè naturâ præstantissimâ vilescere & flocci facienda esse, si repugnante fiant voluntate: *Qui benefaciunt coactè, Deo non sunt accepta, quæ faciunt.* Sed videamus quî probari possit hoc assertum ex S. Paulo.

Pluri-

Plurimum interest unumquemque in civitate vel exercitu Magistra- 891
tûs aut supremi Imperatoris ordinationi parere : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. 13. 1. à primo mobili dependere ac cieri inferiores cælos arbitantur Philosophi, à perito Nauclero felix directio, & optatus navis cursus provenit, ut Symphonia suavis, & amæna evadat, quem numeris ac cantui modum definiat totius chori Antiphonascus, & præses, omnes religiosè attendunt. Ita ut prospera sit gubernatio Reipublicæ, aut Sacræ familiæ, necesse est, populos obedire Regibus, & subditos morem gerere Prælatis. Istud equidem satis jam liquet; sed admirationem movere possit, quod Apostolus hanc necessitatem explicaturus non dicat: omnis homo, omnis persona, majoribus suis obtemperet, sed præcisè! *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* S. Anselmus pro enodatione dubij observat: cùm homo duplici præcipuâ constet parte, corpore ac animâ, phrasi illa indicari, non externis solummodo & corporalibus actionibus, sed multo magis voluntate internâ, quæ facultas est libera, & cæterarum dominatrix, superioribus obsecundandum esse, ut *non tantum corpore, sed voluntate serviatis.* Subscribit purpuratus Hugo in hunc locum commentatus: *ad innuendum, quod ex voluntate debemus superioribus obedire, & exhibere reverentiam, dicit omnis anima, &c.* Id ipsum præclarè confirmat Angelicus Doctor allegatum ita enucleans: *utitur autem hoc modo loquendi, quia subjectionem Superioribus debemus, ex animo, id est ex purâ voluntate secundùm illud Ephes. 6. non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ex animo cum bonâ voluntate.*

Quod verò Gentium Doctor de majoribus pronuntiavit, vos intelli- 892
getis de regularum & constitutionum observantiâ: Vocati ad Oratorium ad Sacrum ædæum, ad aram, præsentiam corporalem Religiosâ devotâque voluntate animetis, *& quod lingua foris personat, intus affectus sentiat.* Si regula afflictionem corporis, jejunium & alias asperitates præscribat, haud gravatè adimpleatur, & alacri animo fiat, quod in finem adeo Sanctum proponitur: destinatur quid ad infirmorum curam onus cæterà permolestum perferat corde non invicto, sed sereno paratóque. Si Prælatus jubeat divina administrare Sacramenta, è cathedrâ doctrinas scholasticas prælegere, vel Evangelium è suggestu explicare plebi, expugnetur reluctans voluntas, & promptè auctoritati præsides submittatur, atque adeo operemur *sicut liberi, sub gratiâ constituti, & ex animo cum bonâ voluntate.*

893 Documento Paulino excellenter, consonat Metaphora S. Petri: agedum mei fideles, inquiebat, macti virtute ô Religiosæ animæ, cum Christus perfectionis omnis solidissimum sit fundamentum, & lapis angularis, decet vos conquadrari huic spirituali ædificio, totósque impendi; *ad quem accedentes lapidem vivum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini.* 1. Pet. 2. 4 Sed quis unquam audivit, vel vidit spiritum vitalem inesse lapidibus? ubi terrarum saxa reperiemus, quæ ultro se structuris accomodare norint, aut velint, valeántque, si veterum monumenta consulo, & Poëtarum figmenta audio, Lyricus venusinus, petras Thebanas oculis subijciet, quæ perinde acsi animatæ forent, auditâ amphionis harmoniâ, prodigiosâ quadam agilitate, sedibus suis motæ, per aëra volitantes, & servatis architectonices legibus invicem coëuntes, *mœnia, palatia*, templa celeberrimæ, & omnibus numeris absolutæ *urbis effecerunt.*

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere, quo vellet. Horat. de arte.

894 Si porro ad divinum Codicem me converto, 3. Reg. 21. Saxa se offerunt famosissimi templi ædificio destinata, quæ ita secta, dolata, polita, & inter se ad unguem quadrata & comissa erant, ut conflata potius omnia quam arte coagmentata viderentur: & veritate testante. l. c. *malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* Theodoreus quæst. 21. specialem providentiam Numinis ordinâsse autumat, *ut inveniretur eiusmodi sua sponte nati lapides, adeo ut ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit: sed absque ullâ arte ædificandi inter se apte conjungerentur.*

895 Quæ interpretatio conspirat mirè cum sensu S. Petri: *sicut lapides vivi superædificamini*: ac si planè hortaretur; quidquid de Petris Thebanis feratur, quod non impulsu Organorum, & funium, non Machinis Arhimedeis, non brachijs robustis, aut fabrili violentiâ ad eam structuram fuerint permotæ, sed insitâ quadam promptitudine ac proprio motu advolarint: quidquid prodatur de mirâ symmetriâ saxorum templi Salomonici, quod absque tunsione malleorum, sine incisione scalprorum aut alia stridula politione operi fuerint idonea: vos certè ad erigendam Religiosæ vitæ ædificium & domum Dei viventis concurrere debetis, sine repugnantiâ, sine contentione, sine obmurmuratione, sed liberrimâ voluntate operantes, *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratiâ constitutti.*

Sed

Sed ipsum Salutis nostræ Vindicem fontem, & auctorem omnis perfectionis intueamur, de quo Apostolus 1. Corinth. 10. 4. *Petra autem erat Christus.* & S. Petrus. 2. Epistola c. 1. 4. *ad quem accedentes lapidem vivum.* Quis autem satis exprimat quàm ardenti voluntate, ut Mundum redimeret, supplicijs ipsíque morti obviam processerit? equidem Judas avaritiæ œstro percitus *illum Judæis tradidit*: Pilatus timore Cæsaris ac Judæorum perculsus illum *tradidit voluntati eorum.* Luc. 23. 25. Pater æternus ad plenissimam rigori Justitiæ satisfactionem præstandam, *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. 8. 32. ipse verò fervore flagrantissimæ charitatis impulsus ultrò se mortis potestati subjecit: Christus *dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo.* Ephes. 5. 2. Unde S. Mater Ecclesia in lugubri illo carmine, 896

Sponte libera Redemptor
Passioni deditus
Agnus in crucis levatur
Immolandus stipite.

Certè non latuit Dominum, quid decreverit impius Hebræorum Senatus, quod mortis sententia jam sit lata, ferreæ catenæ, flagella servilia, spinea corona, immanis truncus suis cruciamentis apparentur, nihilominus feralem Urbem alacriter subijt, & more sitibundi cervi festinat exhausturus calicem amaritudinis. *Ecce adscendimus Jerosolymam & filius hominis tradetur ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum*: Matth. 20. 18. In supremâ illâ nullo sæculo oblitterandâ cænâ vidit ex adverso assidere Judam, & peramanter ad illum conversus, quid moras nectimus? ait, quid tempus terimus? *quod facis fac citiùs.* Ioan. 13. 27. *provocans adversarium ad pugnam*, ut Origenes interpretatur, *quam non amplius tardari, nec protrahi, sed pro posse maturari volebat.* Ita magnis passibus ad infame patibulum contendebat: poterat invitante etiam, & obscurum suam pallium obtendente nocte, insidias hostium effugere: sed maluit in horto Gethsemani, tanquam voluntario carcere, commorari, quo posset commodiùs teneri & in vincula conijci, cum supplices tendit manus æterno, & amantissimo Patri omnibus artubus contremuit, horrente naturâ ad objectam cruciatuum dirissimorum phalangem: mox tamen se lubens decreto submittit, ac beneplacito Paterno: *non mea sed tua voluntas fiat.* Luc. 22. 42. Cum propè essent milites antesignano perfido Juda ut captivum abstraherent, Christus excitat priùs discipulos: *surgite eamus, ecce*

appropinquavit, qui me tradit. Matth. 26. 46. Pilatus multis quæstionibus fatigat Dominum, qui tamen nullo responso, nec unico verbo dignatur Præsidem: Quoniam Apologia non indiget, qui mori desiderat, *tacet enim qui volens patitur*, inquit S. Petrus Chrysologus ser. 23. *clamat qui laniatur invitus*, denique paratum videns truncum ambabus ulnis amplexatur, *bajulans sibi crucem.* Ioan. 19. 17. quibus omnibus confirmavit in opere, quod antea generosè pronuntiavit. Joan. 10. 17. *Ego pono animam meam, nemo tollet eam à me, sed ego pono eam à me ipso, operando, non sicut servus sub lege, sed sicut liber sub gratiâ constitutus.*

Liberrimam hanc & propensam voluntatem in actibus suis palam de-
897 monstratam exigit Dei Filius à famulis suis devotis: Quare tametsi pro supremâ suâ authoritate, & absoluto dominio ingredi posset *cor dilectæ Sponsæ*, velut triclinium quoddam, noluit tamen, sed mansit *foris*, pulsavit, clamavit, admitti rogavit: *Aperi mihi, soror mea, amica mea* Cant. 5. 2. Sic appetit ab innocente illâ columbâ recipi consensu libero, suâ sponte, nemine prorsus cogente. Quid nobilius perfectione Christianâ? venalem eam proponit Clementissimus Servator, nullum præceptis constringit hominem, arbitrio cujusque permittit, solùm grandibus promissis allicit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c.* Matth. 19. 21. ut nullâ necessitate, sed spontaneâ electione sectarentur fideles, quod placeret ac conduceret: *Volentiam enim*, dicebat S. Gregorius Nazianzenus orat. 8. *est pietatis Sacramentum.* rursus cum Matth. 16. 24. mentio injecta est de supportandis adversis casibus; Christus patientiæ exemplar solùm evulgavit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Ubi vides, neminem compelli invitum, nullum injungi præceptum: *Non enim dixit, oportet illos pati, velent, nollent*, ait os aureum hom. 56. in Matth. *Non impello, non urgeo, sed liberam ipsorum voluntatem efficiens dico. Si quis vult venire, &c.*

Quapropter insignis erit effectus, & evidens signum devotionis ve-
898 stræ, quamvis divina mandata non adstringant, nec regula vel statuta congregationis adigant, prompto tamen corde invitantis Dei servare nutum, consilia integrè custodire, & charismata meliora æmulari: si mentem meam requirat Numen, ut præparet sanctuarium, & illic hospitetur: O Domine, dicam cum Vate Regio, *voluntariè sacrificabo tibi.* Si macerationem carnis postulat, crucisque pondus ostendit, corpus & animam paratissimus impendam, & *voluntariè sacrificabo tibi*: Et sicuti bonus JEsus non solùm myrrham à Magis oblatam recepit etiamdum infans, sed etiam acerbæ passionis tempore degustavit *myrrhatum vinum* à carnificibus propinatum:

pinatum; & in exequiis condiri voluit exanime corpus centum libris myrrhæ operâ Nicodemi, sæpius antea de semetipso contestatus: *Vadam ad Montem Myrrhæ.* Cant. 4. 6. Haud secus fidelis Dei famulus myrrham desideret ac prenset, tum æquanimiter, imò hilariter perferendo amaritudines, molestias, ac mortificationes ab alijs irrogatas, tum proprio Marte ac studio in myrrhei montis fastigium enitendo. Optionem habet & liberam electionem graduum, cujusmodi sunt asperum sub lineo lanéoque amictu gestare cilicium, repudiatis plumis duræ tabulæ indormire sensualitates, & voluptates corporis respuere, carnemque flagris, & alijs id genus Sanctis instrumenti edomare; vinum probè diluere aqua, & gustum defraudare, dapes quæ magis arriderent, pauperibus relinquere, omnésque commoditates sibi, ut Magistro nostro Christo perfectius assimiletur, fortiter denegare: hoc sanè est in montem myrrhæ eluctari: & sperare licet pronum inde transitum ad collem Thuris, ac templum immortalitatis, possessionémque immarcessibilis beatitudinis.

Dissertationi huic finem imponat reflexio non incommoda, ut opinor, super Psalmum 44. pro Epithalamio concinnatum ad Salomonis nuptias: Reginæ junguntur lectissimæ aliquot filiæ, comites & ancillæ futuræ: de quibus Rex Propheta. *Adducentur Regi virgines post eam: proxima eius afferentur tibi, afferentur in lætitiâ & exultatione, adducentur in templum Regis.* Sed nunquid ordo pervertitur? celebrandæ sunt nuptiæ regales, cur ergo nobilissimæ hæ Virgines ad Regiæ Sponsæ gynæceum conquisitæ, non inducuntur in palatium Regis Augustissimum, in superba cubicula, vel nympheum præparatum, sed tantummodo *adducentur in templum Regis*? verùm eximetur scrupulus, si placet observare puellas has, non quomodocunque nuncupari virgines, sed sigillatim commendari, quod sponte suâ, propriâque voluntate munditiam carnis, & Spiritus elegerint intemeratam, nec anxiè, aut renisu quodam, sed in *lætitiâ, & exultatione* præstantissimam virtutem excoluerint, ideóque dignæ evaserint, quæ speciali privilegio, honore, ac æstimatione in templum ipsum reciperentur. Audiatur super hoc Argumento. S. P. Basilius: *adducentur in templum Regis: non virginitatis voto se substraverunt vi adactæ; non item quæ ex tristitia, aut necessitate vitæ virginalis Sanctimoniam susceperunt, sed quæ in lætitia, & exultatione gaudent, & se exhilarant tali officio, perficiendæ virtutis addictæ, hæ demum adducentur Regi, & adducentur non in unum plebeium, & vulgarem locum, sed in templum Regis.* 899

Cæterùm

900 Cæterùm quod Divus Basilius scriptum reliquit de virginitate voluntariâ, extendi meretur ad quodcunque spontaneum exercitium: prompta sit obedientia, etiam cum naturæ genius reluctatur: humilitas sit profunda, licet nobilitatis, & claræ prosapiæ adversetur conatus; victûs ametur parsimonia, esto oblatret venter, castitas servetur à labe immunis inter fumosas obscænarum suggestionum machinas, voces in Sacris Canticis, & Psalmodijs exaltentur, quamvis cilicia, vel adversæ valetudines obicem moliantur: Regula examussim, ac integerrimè impleatur, non servili pænarum metu, sed impulsu affectûque filiali, & ingenuo motivo: hac certè ratione, voluntario hoc Sacrificio promerebimur, ut admissi in templum Dei, & cælestis aulæ gaudia fruamur felicitate filijs ab æterno præparatâ.

Ex

CAPITE XII.

Bono Christi odore, de bonâ conversatione fragrantes.

Bonum Nomen sollicitè custodiendum esse.

DISCURSUS LXXXXI.

901 INgeniosè admodùm famæ effigiem expresserunt viri multâ eruditione, atque doctrinâ ornati; depingi curârunt Nobilem Matronam, peplo suo modestè ornatam, ac ineundo itineri accinctam, humeris alæ pernices ac grandes hærebant affixæ: cyclas undique distinguebatur insertis oculis, auribus & linguis humanis; dextera tubam præferebat clangore suo Mundi angulos repletura. Porrò in efformandâ hac imagine in differentiam satis notabilem abeunt litterati: dum nonnulli pennas assignant famæ, candore invidiam moturas cygno, & pretiosa addunt monilia: Claudianus è diverso habitum nigrum concinnat illi, & faciem fædam, lividam, multisque deturbatam maculis. At si suis isthæc momentis pensentur, non tam dissensio vocanda est Autorum, quàm mirabilis

mirabilis concordia, & unio sententiarum, ubi vel maximè pugnare videbantur: Candidas namque ac purissimas alas sortitur fama, præclaras illustrium virorum virtutes, ac gesta insignia evulgans: monstrosa eadem est,& adspectu turpissimo, dum vitia & mores corruptos, quod sui esse muneris existimat, sceleratorum hominum propalat, ut planè vestitum suum accipiat mutuum, vel spectabilem illum, vel oppido deformem à nobis ipsis, nostrisque actionibus. Faxit Clementissimum Numen, ut unusquisque nostrûm conservet puritatem, & niveum omnino colorem intemeratæ vitæ, quâ fama glorietur, & ubique festis applausibus excipiatur. Certè Gloriosus P. Augustinus optans alumnos suos *bono Christi odore de bonâ conversatione fragrantes,* Hugone interprete, requirit *bonam vitam & bonam famam.* Quanti autem referat, servum Dei pollere famâ integrâ, præsenti discursu ostendere est animus.

Atque inprimis illud mibi concedi velim tanquam indubitatum, bonum nomen & egregiam famam antecellere quibusvis opibus, ac prosperitatibus caducæ hujus vitæ: Salomonem enim audio disertè pronuntiantem Eccles. 7. v. 2. *Melius est nomen bonum*, id est, veluti exponit Hugo Cardinalis: *bona fama, quam unguenta pretiosa.* Unguentis autem, quibus tum Reges, tum Pontifices consueverant inungi & principatus & Sacerdotia significantur, simúlque innuitur, quantumvis magnum diffundant splendorem coronæ Regum & Pontificum mytræ, clariorem tamen derivari gloriam ex fámâ honestâ; Diademata namque ac tiaræ commigrant ab uno ad alterum verticem, at famæ claritas gaudet imarcessibili quadam aureolâ, nec morte aufertur, nec tempore consumitur: ita hominibus justis & consumatæ virtutis applaudit Sapiens Eccles. 44. v. 14. *Nomen eorum vivit in generationem & generationem*, subscribit Rabbi Salomon in Shedias l. 1. c. 1. inquiens, *tria coronarum genera sunt, corona legis, corona Sacerdotij, corona bona fama omnes superat.* Itaque non tantùm exornat Magistros ac interpretes Divinarum legum aureola Doctoribus offerenda, nec diadema aut falces, quibus Magistratus, Principes ac Sacerdotes insigniuntur, quantùm dignitates ac præclaræ existimationis accrescit ex illæsâ & floridâ famâ, ut adeo mirandum minimè sit, tantâ emphasi ab Ecclesiastico c. 41. v. 15. inculcati: *curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri*: Et S. Paulum non dissimulâsse suam hac super re ingentem sollicitudinem, sed palam contestatum esse: 2. Cor. 8. v. 21. *providemus bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Conformiter his maximis suadebat Doctissimus Philo Hebræus l. de al. abr. *non esse negligendam famam,*

902

res enim in omni vita nobiliſſima eſt. Et S. Bernardus ſcribens Eugenio Papæ l. 3. de Conſid. inquit : *Sanè intereſt, tuæ perfectionis, & malas res, & malas pariter ſpecies devitare in altero conſcientiæ, in altero famæ conſulis.*

903 Eleganti quadam ratione Jeſſæus vates hoc ſaluberrimum documentum inſinuat, cum vivis coloribus juſti viri perfectionem deſcripturus arborem ponit in fluminis ripâ florentem : *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Pſal. 1. ſed quomodo comparata eſſe debet arbor illa ? primum poſtulat abundantiam fructuum, *quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo* : verùm hoc nondum contentus, affluentem foliorum pompam exigit ; *& folium eius non defluet.* Cæterùm licet naturæ ordo & experientia contrarium habeat, & arborum rami prius frondere, floribúſque veſtiri ſoleant, quàm fructibus onerentur, nihilominus hîc loci præmittuntur fructus, & folia ſequuntur, ad indicandum, quod ſi homo ac ſervus Dei *arbor inverſa eſt*, radices agens in cælis, ab eo requiratur non ſolùm internarum virtutum, quibus Autori ſuo Glorioſo Deo placeat, fructus, ſed etiam folia externarum actionum, ut proximus ædificetur, ad ſequelam invitetur, atque debitam exiſtimationem ultro deferat.

904 Davidi conſociemus Ezechielem, qui eandem veritatem apertè docet c. 37. v. 5. memorans Deo nequaquam ſatis fuiſſe gelida & diſperſa per planitiem oſſa animare : *intromittam in vos ſpiritum & vivetis* : verùm induxiſſe etiam pro tegumento molles carnes, colligâſſe nervorum vinculis, cooperuiſſe nitida pelle, mundóque ſpectanda præbuiſſe omni perfectione ornata : *Dabo*, inquit, *ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperinduam in vobis cutem.* Ne videlicet interiori robori deſit ſplendor extrinſecus. Quid aliud ſignificat Salvator, cùm Lucæ 12. v. 35. hortabatur fideles aſſeclas ad renes caſtitatis virtute ſolerter coërcendos : *ſint lumbi veſtri præcincti*, & inſuper jubet accenſas præferre faces ; & *lucernæ ardentes in manibus veſtris* ? Ut eorum Sanctitas luminis beneficio alijs innoteſcat, & claritas famæ propagetur. Mirè conſonat apud Matthæum c. 25. parabola prudentum Virginum, quæ providè ſuas inſtruxerunt lampades, ſeu animas Oleo charitatis, Sanctimoniæ, ac devotionis *ſumpſerunt oleum ſecum*, verùm ſtudioſè ſimul *ornaverunt lampades ſuas* : eaque compoſitione externâ populo fuerunt exemplo bono, ac famæ integritati conſuluerunt. Ut verbo complectar, nôſtis equidem omnes egregium cæleſtis ſponſæ encomium : *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Pſal. 44. v. 14. attamen comparere voluit in *fimbreis aureis circum-*

cumamicta varietatibus, ut pretioso illo apparatu & pompâ in vestimenti ora etiam resplendenti, nomen illustre conciliaret. Quod mellifluus Abbas corroborat expendens primum Psalmi 92. Versiculum : *Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem.* Ubi stupendam Dei armaturam consideravit : quod præter exquisitæ pulchritudinis vestimenta loricam quoque induerit, & Majestati gloriosæ robur militare voluerit adjungere, unumquemque ad curandam justitiam & debellanda vitia, sinúlque famæ splendorem non effuscandum cohortans, *esto*, inquit, l. 3. cit. *fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua, fiducia bonæ conscientiæ, decor tuus, splendor bonæ opinionis. Ita quæso induere fortitudinem, induere vestimentis gloriæ tuæ, non sit in conscientiâ nutans infirmitas modicæ fides, non sit in famâ nævus malæ speciei.*

Verùm, quam quisque gerere teneatur boni nominis curam, non solius proprij amictus splendore demonstravit Clementissimum Numen, 905 sed suo præterea erga fidelissimum quendam servum patrocinio pro famæ integritate illibata conservanda luculenter ostendit : Moyses laboribus, & ærumnis fractus, anno ætatis vicesimo super centesimum mortem oppetijt eâ prærogativâ, ut parem vix reperias in Sacris monumentis. *Mortuus est Moyses Servus Domini in terrâ Moab jubente Domino* Deut. 34. v. 5. sive, ut alij vertunt, *in osculo Domini* ; aut veriùs, *ad os Domini.* Itaque retinuit Moyses titulum Servi Dei in obitu, quo eminuit inter vivos : Mortuus porro est *jubente Domino*, cujus nutui penitissimè se conformans spiritum exhalavit supremum *in osculo* sive *ad os*, juxta veterem ritum, quo intimi familiares ultimum emorientis amici halitum ore quodam modo excipere consueverant : sic blandè dissuaviatur Dominus famulum suum Moysen è vitâ cedentem jucundissimâque dulcedine delinit. Si causam rogabis, cur Sacra pagina tam exquisitam corollam texat encomiorum incomparabili huic Prophetæ, nullus equidem ego dubitaverim, Divinam Providentiam ita cavere voluisse honori & famæ dilectissimi Ministri, siquidem futurum erat, ut nonnulli hæretici existimarent, Moysen in pœnam nescio cujus diffidentiæ circa percussionem petræ, morti æternæ, ac infernalibus supplicijs fuisse addictum : hinc adeo copiosis laudum præconijs condecoratur obitus, ut execrabilis opinio radicitus evelleretur, & autoritatem suam apud posteros sartam tectam conservaret Moyses, illustris prodigiorum patrator, & mansuetudinis, patientiæ ac Dei charitatis perpetuum exemplar.

906 Gloriosum decus morienti *Moysi* attributum mirificè illustrat oratio Salvatoris antequam dirissimâ suâ nece à sempiterno exitio nos vindicaret. *Clarifica me tu Pater.* Joan. 17. v. 5. neque permittas inter confertas iminentis passionis infamias obfuscari gloriam meam: in medijs opprobrijs eluceant mearum virtutum radij; tu ô amantissime Pater in facie Mundi dignitatem nominis, & illibatam meæ famæ existimationem tuearis! *hic à Patre*, commentatur S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. Thess. c. 9. *Opinionem, existimationémque de se petit*: ac si diceret, interprete Entymio, *glorifica me Pater, edens tempore passionis prodigia & terribilia, admirandáque signa, & ex his ostendens, quod naturalis sim filius.* Emicent divinitatis fulgores è squalore ac sordibus sputorum faciem inundantibus; corona spinea per summum & ignominiosissimum cruciatum capiti impressum vertatur in clarissimi triumphi, sertum honorificum! patibulum crucis probrosa sedes reorum, mihi transeat in regale solium! exonerante in caput meum omnem livorem, odium, & contumeliarum plaustra impiê synagogâ prædicent Divinitatem crucifixi, suppliciorum Ministri ac satellites! quoniam luminaribus cæli extinctis atra, densa, & Ægyptiaca nox incumbet Mundo; aër totus tenebrioso caligine inhorrebit: terrarum machina concussis cardinibus fluctuabit, Petræ dissilient, natura tota, quasi in antiquum chaos revolvenda perturbabitur. Vocem mirabilem & testimonium edet gentilitas præclarissimum: Areopagita exclamabit: *Deus naturæ patitur*: ut ita cadaverosos inter Calvariæ fætores candidissimum famæ meæ lilium prodigiosum quaqua versum spargat fragrantiam, & verè gloriari valeam: *bonus odor sumus Deo in omni loco.*

907 Nec minorem impedit curam Optimus Deus suorum electorum honori constanter & amplissimè promovendo, famæque per omnia tuendæ: voluit Dei Filius carnis nostræ tuniculâ se amicire, atque concipi ex intemeratâ virgine: verùm collocanda hæc erat in matrimonium cum Josepho, non eò, quòd opera conjugis necessaria esset ad conceptum divinæ prolis, sed quia prospiciendum fuit famæ castissimæ parentis, ne prægnans inventa extra conjugium à malignitate Judaicâ honore debito spoliaretur, ac velut adultera infameretur. Vocavit Christus suóque consortio adjunxit Matthæum, nullâ præmiorum spe sed nudis hisce verbis invitans: *Sequere me.* Matth. 9. v. 9. Hoc pacto dignitati ejus velificaturus, ne curiosum & malè feriatum vulgus, haud ignarum, quanto studio inhiarit usuris & lucrorum compendiis, obtrectaret, quasi cupiditate cujusdam emolumenti proprij adhæsisset Domino, qui solâ venatione, & obsequendi ar-

dore

dore attrahebatur. Discipulos peragrare provincias, ac verbum vitæ jubet disseminare, additâ cautelâ circa hospitiorum electionem: *In quamcunque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in eâ dignus sit.* Matth. 12. Quorsum tam religiosa providentia? nempe arcere voluit Redemptor umbram quoque sinistrarum suspicionum à suis Apostolis, ne macula quædam adspergeretur, si ad hospites diverterent propudiosos. Accidit, ut iidem Apostoli acriter traducerentur satyricis Pharisæorum linguis, quòd sabbatho spicas nonnullas stimulante fame vellerent; Non defuit patrocinio Divinus Magister, exemplum Davidis obtendit, qui Laicus quum esset, sacratos tamen panes, à solis cæteroquin Sacerdotibus absumendos comedit, necessitate rigorem legis temperante, quid quod ipsi Ministri templi mactarent victimas in sabbatho, & operarentur sacris usque ad defatigationem, quibus argumentis protexit suos, & adversarios egregiè contudit. Sed cætera omnia videtur illa suada vincere, quâ Magdalenam defendit adversus præcocem crisin & audacem Pharisæi cæterà non mali sententiam. Accubuit mensæ Simonis dulcissimus Salvator; non invitata irruit in triclinium Magdalena, pedes lachrymis lavat, capillis extergit, suaviis demulcet, pretiosum affundit unguentum, & mille obsequiis demeretur: cùm homo arrogans, nimiúmque præfidens sapientiam æternam arguit ignorantiæ, & gemebundam illam columbam, ceu prostibulum calculo mordet, tacitâ secum mente versans detestabilem hanc blasphemiam: *Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7. v. 39. At Christus, ut Pharisæi benignus conviva, ita Magdalenæ potens patronus ac protector, *conversus ad mulierem dixit Simon*: O Simon, vide sis mulierem istam, & profundiori disquisitione pensa; pedibus meis tu aquas non præbuisti, & illa fusis ubertim lachrymis paravit tepidum quoddam & jucundum balneum; tu osculum fronti meæ non fixisti, & illa non cessat plantas dissuaviari: nullis tu verticem meum delinire unguentis dignabaris, illa perfudit odorifero nimbo pedes; quapropter scito, quoniam tantâ flagravit charitate, nullâ criminum labe amplius sordet, *dimissa sunt ei peccata multa*: neque consideres velim, quod fuit, sed quod modò est: si scandalo fuit vita sceleratè traducta, ædificet virtus impræsentiarum coruscans. Ecce infernalis Titio migravit in suavissimum thymiama, obscæna lupa transiit in agnam innocuam, & cor illius fornax quondam impuri amoris, & mille inquinamentis conspurcatum, jam sanctitatis vas est, atque honoris. Hinc præceps est judicium tuum, & iniqua sententia, & perperam, ut peccatricem reprobas, quæ toto jam pectore ad frugem rediit, & longè

ardentiùs elapsos mores, quàm tumetipse, abominatur. En, quomodo Dei Filius absolvet dolentem, contritum spiritum sanctificet, conscientiæ tranquillet fluctus, virtutes & famam efficaciter tueatur. *Ipse*, ut S. Augustino serm. 27. de verb. Dom. loqui placuit, *Ipse factus Advocatus, qui fuerat Judex interpellatus.*

908 Palam igitur est, cordi fuisse Deo honorem fidelium suorum famulorum, sed illud quoque probatu difficile non erit, eosdem, quantumvis submissè de se senserint ipsi, neutiquam tamen passos esse famam suam ac existimationem impunè ac prælicenter proscindi. Quis ignorat Jobum, *cùm esset vir simplex, & rectus, ac timens DEum*. Job. 1. v. 1. longam sibi propriarum laudum catenam facundissimè contexuisse? audite mirabilem Encomiasten: magnificè imprimis extollit, quòd intimo sensu commiserationis ad vitam & incolumitatem reduxerit jam *constitutos in* portâ mortis, & agoniâ oppressos, quòd amarorem viduarum lenierit, & afflicta corda exhilararit: *Benedictio perituri*, inquit c. 29. v. 13. *super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum*: jactat se, quòd oculorum cassis lumine, caligine pulsâ restituerit lucem, morbósque pedum levârit. *Oculus fui cæco & pes claudo.* gloriatur, se pauperes affectu paterno fuisse complexum, & pro tribunali æquissimâ lance ponderâsse causarum momenta, *Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigam, &c.* DEum bonum! quid dicemus super hac insolitâ sui prædicatione? Nunquid Cæcilius Cyprianus eloquentiâ ac sanctitate nobilis disertè pronuntiat Ep. ad Donatum: *In proprias laudes odiosa iactatio est*? Nunquid sapienter docuit Cato, *ne te collaudes, nec te culpaveris ipse*? Nunquid vulgatum habet diverbium, *laus in ore proprio sordescit*? Quid igitur Jobus tantarum virtutum ac modestiæ præsertim plenis buccis, & Orbe palam personat, ac ostentat prærogativas suas? sed evolvamus paradoxum: Calamitas Jobi considentis jam in fimeto, & ad extremum usque spiritum cum morbis & orco luctantis exciverat amicos, ut inviserent, & quo possent modo solarentur afflictum; qui tamen ærumnosum virum calumniis novis impetere cæperunt, ac inculare veluti orbatum Dei timore, masculo robore ac tolerantiâ. *ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua.* Job. 4. v. 6. útque vitalia magis ferirent, sugillarunt tanquam leonem prædis assuetum, superbum, truculentum, ideóque à Divinâ Providentiâ meritò derelictum: *Rugitus leonis, & vox leanæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.* Job. 4. v. 10. Nec obscurè condemnarunt ceu hypocrytam invisum, maculosæ tygridi haud absimilem: *tygris periit &c.* Quapropter, qui liberorum funera audivit inconcussus, qui animo sedato

spectavit

spectavit bonorum jacturam, qui summos cruciatus ut vivum cadaver pertulit, & Deo laudum tributa gratus persolvit, ferre non potuit maledicis linguis deleri famam suam, honorem imminui, fidem & authoritatem proculcari: huic malo ut obviet, non dubitavit evulgare virtutum, quibus effulsit decora, quia providè servi Dei licet talenta sibi credita libenter occulant, & nesciri prensent, ubi tamen in periculum adduci cernunt bonum nomen & famam honestam, pro sui justâ defensione, dotes gratiæ manifestant. Quod S. Isidorus Pelusiota l. 3. Ep. 278. his verbis observabat: *Qui in gloriâ & splendore est, virtutes suas occultat, cùm autem maledictis incessitur, ut illatas criminationes propulset, commemorat.*

Quod sanè documentum longè antea vidimus deductum in usum ab 909
Annâ tum afflictissimâ, felici postmodum Samuelis Matre; Hæc quippe audiens Heli Sacerdotis, ob anxia cordis suspiria ebrietatem interpretantis, injustam reprehensionem: *usquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades*, in promptu responsum habuit: *Nequaquam Domine mi, nam mulier infelix nimis ego sum, vinúmque & omne, quod inebriare potest, non bibi, &c.* 1. Reg. 1. Ecce non patitur se traduci ut temulentam, quæ sobrietati & jejunio addicta erat: utitur tamen, insuper habitâ injuriâ, loquendi modo perquam honorifico, & Domini titulo afficit, qui calumniam impegerat: *Nequaquam Domine mi.* Itaque demonstrat, so non vinolentam, sed oppidò modestam, suámque luget infelicitatem, quæ prudens modestia prorsus aliena est ab ebrietate; fatetur se doloribus ac ærumnis opprimi, & ea propter non crapulæ, sed frugalitatis ac modici cibi capacem vixisse: ostendit, nullum sibi commercium cum Bacchi dissolutione intercedere, quæ templum Dei viventis religiosâ pietate adiisset, verbo, ut Chrysostomus notavit, nihil prætermisit, quod excusationi posset deservire, atque calumniam avertere: *Multam adhibet curam, ne à Sacerdote malam referat opinionem, quasi animo insedisset*, Pauli monitum: *Providemus bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.*

Graviter proinde hallucinantur, qui sibi tam liberaliter persuadent, 910
omnes numeros se implesse, ipsúmque adeo perfectionis apicem attigisse, si certis quibusdam Christianis virtutibus animam exornent, nulliúsque gravioris noxæ conscientiam habeant, pensi de cætero non habentes, quod proximi nonnullis eorum defectibus offensi, famæ licenter detrahant, & maculas in Sole deprehendisse se haud vanè glorientur: dicunt, sufficere, si coram Deo omnium perspicacissimo arbitro ac vindice nullâ culpâ se redarguat, si puram illi mentem exhibeant, parum curare, quid maligna obtrectantium ora machinentur, ac susurrent. Verùm fallimini, O miseri,

ſeri, ex S. Auguſtini ſententiâ & acri judicio, qui laudat, quòd animum ſervetis à vitiis immunem, ſed vituperat, ſi famam prodigè aliorum cenſuris ſubjiciatis: *Nobis enim*, ait, *neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra. Curam habe de bono nomine*, dicebat Sapiens; interno lumini jungenda eſt claritudo exterior, Redemptor monuit, *ut proximi quoque videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Duæ res ſunt*, ſubdit Præſul Hipponenſis, *conſcientia & fama, propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis, propter alios fama neceſſaria eſt; conſcientia tibi, fama proximo tuo.* Quemadmodum ſagax negotiator valorem & pretium Monetæ non ſolùm explorat fixiùs intuendo, ſed & librat manibus, vel bilance, atque judicio, aurium ſubjicit, tinnitum & ſonum diligentiſſimè obſervans, ita quælibet religioſa anima ſatagere tenetur, ut opera ſua præter metallum pretioſum ſatiſque ponderoſum ſortiatur quoque bonæ atque laudabilis famæ ſonitum, ab ſæcularibus perſonis, quoquo modo in Domino ſatisfaciendum. *Faciamus*, hortatur S. Hieronymus, *in morem prudentiſſimi Trapezitæ, qui ſculptum Numiſma non ſolùm oculo, ſed & pondere & tinnitu probat.* Quis porro ſatis eloquatur efficaciam dulcis hujuſmodi ſoni mundum in admirationem, venerationemque rapientis? an non Baptiſtæ fama civitates vertit in deſerta, & eremum in frequentiſſimam urbem? Fama S. Antonij Abbatis integras pervolavit provincias, nec illius duntaxat grandem æſtimationem, verùm etiam Dei cultum inſignem ubique excitavit. Fama clariſſima virtutum S. P. Auguſtini permovit B. Valerium Hipponenſem Antiſtitem, ut onus Epiſcopale ipſius humeris imponeret. Fama doctrinæ prodigioſæ S. Hieronymum per omnes Orbis plagas velut oraculum quoddam celebravit. Fama S. Benedicti coronatos terrarum Monarchas inclinavit ad obediendum, & maximo cultu afficiendum Patriarcham glorioſum. Fama Petrum Cæleſtinum evocavit ex ſolitudine, & in ſolio S. Petri repoſuit Pontificem. Fama S. Remigij, ut ſexcentos alios taceam, Clodovæum Regem, totúmque Galliarum Regnum ſalutari aquâ abluit, & Chriſti obſequiis initiavit.

911 O inſignem igitur famæ potentiam! O egregiam ſoni hujus vim ad corda hominum expugnanda, ac Divinæ voluntati ſubjuganda! Sed videte, quantum eadem fama vobis ipſis afferat emolumentum: Serviet enim ſemper pro freno, ne pedes veſtrorum affectuum uſpiam deſciſcant à virtutum ſemitâ in abſurdas criminum ambages. Quando Græcorum tyrannis libertatem Hebræorum catenis conſtrinxit, ac diris perſecutionibus religionem exagitavit. Eleazarus & minis laceſſitus militum, & amicorum blanditiis illectus cor invictum & æreum oſtendit: itáne verò, inquiebat,

quiebat, me moveant terrores suppliciorum? itáne cedam ego terriculamentis hominum eâdem mecum sorte mortalium? absit, statutum est priùs exhaurire calicem acerbæ mortis, quàm vetitam lege delibare carnem: jam inde à primis annis enutritus in legum Mosaicarum observatione insistam, & tuebor ad extremum usque halitum. Apage simulationes, meam canitiem nimium dedecent: docui Legem Divinam verbis, firmabo exemplis: & faxo, ne juvenes unquam arguant Apostatam, quem colebant religionis Magistrum. Et verò quid Mundus diceret, si Dei nostri præcepta transgrederer capularis senex? durissimam appetere mortem malim, quàm turpem labem inurere famæ! avertant Superi, ne *maculam atque execrationem mea senectuti conquiram.* 2. Mach. 6. v. 25. Utinam exemplum hoc nullo ævo antiquaretur, huc oculos & animum intendat prudens Religiosus, nec ullâ ratione patiatur, bonam famam corrumpi, ne vitiorum impetu dejectus *maculam & execrationem sua virtuti conquirat.* Reputet secum tacitè, quid sentirent homines profani & sacri, si assumptus à Deo in speculum perfectionis fieret petra scandali? si solenni voto consecravit Deo castimoniæ florem, & fœdo jam cupidinis arderet incendio? si Apostolico & generoso affectu nuntium misit terræ opibus & universæ vanitati, jam verò tortuosi serpentis in morem volutaretur in pulvere, ac divitiis inhiaret? si mansuetudinis in leges juratus, sub pelle ovinâ lupum reconderet, & sanguinolentas vindictas spiraret? si ultro angustiis claustri se concludens, servitio templi & altaris dedicâsset, jam oberraret per vicos, lustraret theatra, aula stereret, & negotiis sæcularibus passim se immisceret? Quid, obsecro, ad tantam Prothei inconstantiam censeret mundus? Hæc probè expendant, & saniora Pauli consilia recipiant, opere expleant, ut confidenter possint edicere: *providemus bona, non solùm coram Deo, verùm etiam coram hominibus.* 1. Corinth. 8. v. 21. quomodo? audiant eundem Apostolum Philipp 4. *Quæcunque sunt vera, quæcunque sancta, quæcunque justa, quæcunque casta, & maximè quæcunque bona fama, hæc cogitate.* Curæ non sit modò, *si qua virtus*, sed etiam, *si qua laus*, quoniam virtutum chorus conscientiam exornat, ac Deo debitum pensum exsolvit, nominis verò custodia, & justa defensio reputationem propriam & proximi ædificationem promovet, quò certè respicit S. Legislator Noster ardenter exoptans esse, nos *bono Christi odore, de bona conversatione fragrantes.*

Ex

CAPITE XII.

Bono Christi odore de bona conversatione fragrantes.

Religiosus fragret exemplis Sanctitatis.

DISCURSUS LXXXXII.

912 Omnis retro antiquitas tam græca quàm latina, *Gentilis*, & Hebraica voluptatibus supra modum addicta, inter oblectamenta sensuum non ultimo loco suavitatem odoris numeravit, undecunque illa ex floribus, unguentis tritis pulveribus, sive etiam animalium corporibus efflerur. Confluente populo Romano ad amphitheatrum ut Alexander ab Alex. l. 2. c. 24. perhibet *odorati imbres instar pluviæ effusè spargebantur*. Inter celeberrimas pompas triumphorum aromata sine mensurâ suffimentis destinabantur. *Undique thuris & odorum copiâ exhalante*, ut l. 6. c. 6. idem meminit Alexander, ut adeo compita ac plateæ redolerent passim nobilissimo thymiamate. Convivia non credebantur satis Solemnia, nisi vinum sapore, colore, odore lectissimum comitaretur pretiosum exaromatibus suffimentum. Nec Lyricus solum 2. Carm. od. 3. invitat. *huc vina & unguenta* sed Sacræ quoque paginæ referunt juvenes luxu perditos sese mutuis vocibus ad improbæ voluptatis usuram, vitæque licentiam adhortando dixisse: *vino pretioso, & unguentis nos impleamus.* Sap. 2. Præterea vestimenta, parietes ædium, & pavimenta, balsamo, nardo, cinamomo natantia; In exequijs tantum unguentorum in rogum sparserunt, ut laudatus Alexander l. 3. c. 7. memoriæ prodat, *multos copia odorum ad pyram exanimatos fuisse, & præter infinita odoramenta in funere Syllæ statuam justa magnitudinis ex odoribus absumptam fuisse.* Verùm esto his delitijs cæca, & stolida gentilitas indulserit, quantùm libuit, fideles certè Evangelicâ imbuti Sapientiâ præ quavis mephiti & fœtidissimâ cloacâ, execrentur affectatos id genus odores; nec aliam prensent fragrantiam nisi à puritate morum vitæque

ta que innocentiâ dimanet, & bonam famam latè spargat. Ita nos erudit S. Clemens Alexandrinus l. 2. Pedag. c. 8. inquiens: *oportet autem viros inprimis apud nos unguenta non olere, sed vita probitatem.* Eodem sensu D. Joan. Chrysost. conc. 1. de Laz. *Te non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem.* Pariter S. P. Augustinus optans Sodales suos, *bono Christi odore, de bonâ conversatione fragrantes*, docere voluit, quòd instar bullæ moschi, præter internas virtutes, foris etiam redolere debeas castitatem, humilitatem, charitatem, mortificationem, ut suavi ejusdem fragrantiâ recreetur Deus, atque ad meliora provocetur proximus, quo in argumento præsens discursus versabitur.

Plenissima tum altis mysterijs, tum teneritudine affectus verba sunt, quibus cælestis Sponsa dilectum suum ad geniales cubiculi recessus prolectare nititur. Ecce tibi ô Domine inquiebat, Cant. 1. v. 15. *Lectulus noster floridus: En tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Quàm magnificè deprædicat munditiem, & suaveolentem apparatum lectuli, ad quietem capessendam sedulo accommodati: quàm ambitiosè extollit superbum ædificium, cedris & cypressis contra fœtorem & cariem probè suffultum! sed nunquid Religiosum nimis & propè supervacaneum fuisse hoc studium existimatis AA. Nonne illicium vel unicum Deo sufficientissimum esse poterat, ut reviseret animam, si lectus proponeretur, conscientia videlicet strepitu mundano, impurisque monstris vacua, lectus cordis, candore innocentiæ coopertus, & varijs virtutum floribus conspersus? plura libuit addere ad invitationis efficaciam? Quare non commendat conclave suum, quod colore cæruleo cælos referat, quod aureis parergis distinctum, firmamento stellis colluceat; mereatur conferri, quod admirandis, amœnissimisque picturis, & alijs omnis generis ornamentis paradiso simillimum judicari queat? solùm memorat trabes cedrinas, parerga cypressina? *tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina*, sed videte obsecro, ingenium Sponsæ, videte industriam minimè vulgarem: attrahere conabatur Deum in partes suas, hospitio excipere, ac inservire, quibus maximè poterat obsequijs, sciebat interim Deo maximopere arridere vitam defæcatam, sanctisque exemplis odorem suavitatis emittentem, idcirco offert cypressos & cedros arbores cùmprimis nobiles & odoras. Nempe non probat Deus quietem in strato, sive additos recessus & silentia claustrorum, nisi totum floribus sit consitum, floribus, ajo, expirantibus odorem castitatis illibatæ, sanctitatis, & omnigenæ ædificationis spiritualis: habens ingreditur domicilium, cujus Prælati cedrorum in modum fortitudinis infractæ

914

addunt odores sanctorum exemplorum, & subditi seu Sacerdotes, seu Clerici, seu Laici visuntur corruptionis expertes cypressi *de bonâ conversatione fragrantes.* Verùm si sermo est de lecto, audiamus, quàm excellenter mellifluus Abbas hunc locum exponat. *In Ecclesia*, inquit, *lectum in quo quiescitur, claustra existimo esse, & monasteria, in quibus quietè à curis vivitur sæculi, & sollicitudinibus vita, atque is lectus floridus demonstratur, cùm exemplo & institutis Patrum tanquam quibusdam benè olentibus: respersa floribus fratrum conversatio & vita refulget.* De reliquo apparatu ita ratiocinatur Origenes hom. 3. ex 4. *Trabes appellantur cedri, quibus & fortitudo robustior, & odor suavitatis inest per quod & in operibus solidum, & in doctrina gratiâ fragrantem signat Episcopum. Similiter autem & laquearia cypressos appellavit, ut per hoc incorruptionis virtutem & odoris scientiæ Christi plenos esse debere Presbyteros designaret.*

914 Symbolicas has Salomonis cogitationes elucidet reflexio non incongrua, ut opinor, super Sacrosanctum Evangelium; decrevit *Filius Dei*, hominis quoque Filius fieri, sed corpoream indui naturam, & humanis se artubus vestire non alio loco voluit, quàm in civitate Nazareth: illuc legatur Archangelus Gabriel, Sacratissimam Virginem salute impertit plurimâ, & Divinum edocet consilium, postulata exponit, & Mariæ assensum cæli nomine petit, statim atque Virgo ancillam se modestissimè professa annuit, in castissimo illius utero conceptus fuit gloriosus infans, & Deus homo factus ineffabili prodigio: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ cui Nomen Nazareth ad Virginem, &c.* Luc. 1. v 26. *Multa* quidem in serie hujus mysterij humanæ mentis captum longissimè transcendunt, si tamen debitâ reverentiâ servatâ fas est aliquot circumstantias piâ curiositate rimari; scire pervelim, cur Sapientia æterna verbum Patris non assumpsit humanam naturam Athenis, Urbe Græcorum famosissima, emporio scientiarum celeberrimo, loco Sapientiæ totis viribus comparandæ præcipuè deputato? Eccur *Rex Regum & Dominus Dominantium* Apocal. 19. non voluit carne nostrâ amiciri Romæ, quæ Orbis Metropolis est, ac sedes Imperatorum? Quare Sanctus Sanctorum non conceptus fuit Jerosolymis, quorum *fundamenta in montibus Sanctis.* Psal. 86. ubi Augustissimum templum & religionem veram propagat, & supremam Numinis Majestatem veneratur? Quid Nazarethum singularis habet prærogativæ, ut Redemptor noster, & mortalem naturam & clarissimam Nazareni nomenclaturam inde sibi adsciscere vellet? S. Bernardus & dubium expedire, & tollere vult causam admirationis ex ipso Nazarethi nomine, quod florum fragantiam significat designat; *amas flori-*

florigeram patriam flos de radice Jesse, ait Bernardus serm. 3. in Annunt. *& libenter inter lilia pascitur flos campi, & lilium convallium.* Et porrò subjungit Religiosos alloquens. *Teque florem reputat Deus, & bene ei complacet in te, si tibi nec honesta conversationis decor, nec bona opinionis fragrantia desit.*

Quod si verò Servator noster in famulis suis admirabili quodam studio desiderat odoramenta virtutum, multisque expressis votis flagitat, quis non videat, quàm maximè decere, ut omnem impendamus operam, quò Deus q ęque nostrum cum vetere Patriarchâ dignetur blande affari: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Gen. 27. v. 27. Quivis incumbat pro virili, ut consequatur privilegium cælestis sponsæ, suoque de amictu exhalet spir.tum castitatis, nullâ labe infectæ, patientiæ seipsam generosè vincentis benignitatis ad aliorum obsequia se demittentis, humilitatis sibi ipsi vilescentis, pietatis & religionis: *odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris* Cant. 4. v. 11. quæ insuper celebratur: adscendens, *sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrha & thuris, & universi pulveris pigmentarij.* Cant. 3. v. 6. Quilibet ita se gerat, ut ausit gloriari cum Ecclesiastico c. 24. v. 23. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*, sive ut Hugo Carensis explicat, *suavitatem conscientia, & odorem bona fama.* Quivis conetur exactè consilio Sapientis obtemperare: *quasi libanus odorem suavitatis habete, florete flores, quasi lilium & date odorem.* Ecclef. 39. v. 18. Præferant in animâ candorem nivibus libani expressum, adjungant odorem cedri putredinem nescientis, demum lilia exæquent puritate, ac jucundâ fragrantiâ. Quilibet ad eas virtutes aspiret, quibus Eccles. 50. v. 8. condecoratus Onias laudatur; *quasi flos Rosarum in diebus vernis, & quasi thus redolens in diebus æstatis & cypressus in altitudinem se extollens.* Omnes denique anhellent ad eminentem illum statum Apostoli, ut dicere possint: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* 2. Cor. 21. v. 5. exhibendo se conformiter menti Legislatoris; *bono Christi odore, de bonâ conversatione fragrantes.* 915

Quando nonnullorum ambitio grandem rebellionem excitavit in castris Israëlitarum, & plurium conspiratio eò spectavit, ut Moysen & Aaron supremo Magistratu depellerent, aliósque ex suo corpore subrogarent, quos vellent, Deus luculento quodam miraculo litem diremit, jubens duodecim aridas virgas singulas suæ tribûs nomine insignitas noctu in tabernaculo collocari, & promissum adjiciens, *Quem elegero, germinabit virga ejus.* Num. 17. v. 5. Manè postero, cùm aviti duodecim Principes solam Aaronis virgam amygdalino flore vernantem invenissent (nam 916

turgentibus gemis eruperant flores. 16. v. 8.) suas econtrario sicut attulerunt, emortuas, facilè concluserunt, cujus unius virga flore se vestisset, ejusdem solius caput & stirpem infulâ deinceps pontificali condecorandum esse. Ex quo nos addiscamus, præclaram veri fidelisque Dei servi notam haberi, si floreat, gratúmque odorem emittat, ut scitè observavit Origenes in Glossâ hîc relatus: *Inde refert flores, ubi proficit, & suavitate morum decoratur, & fragrantiam misericordiæ & benignitatis effundit.* Faxint Superi, ut Canonicis nostris cum Eccl. c. 39. v. 19. jure valeam gratulari: *Florete flores quasi lilium, & date odorem, & collaudate canticum.*

917 Dignam consideratione sententiam reliquit S. Job c. 9. v. 25. *Dies mei pertransierunt, quasi naves, poma portantes.* Quòd lugeat vanitatem vitæ, quòd comparet dies velocissimis navigiis secundo vento, velis, remisque properantibus, quod omnem ætatem suam præcipitem appellet transitum, paradoxum non est, neque latere quemquam potest instabilitas nostra: verùm cur naves illas non ait oneratas fuisse frumento, commeatu, mercibus, argento vel auro, cùm constet, ipsum affluxisse divitiis? quæso, quid comercij est pomis in navem congestis cum diebus Jobi? Forsan voluit fragilitatem suam nimis caducam sic exprimere, cùm poma properè in putredinem abeant? aut pomis se comparavit, quòd purpuram foris, aurum ostendat, in corde nutriat fodicantes curarum vermes, & tineis corrodatur? Non improbo has orationes, sed animadvertendum esse arbitror, quòd si qui alij fructus, maximè poma suavem diffundant fragrantiam, ut Ovidius vocârit, *redolentia mala*, & Pontanus canat: *Seligite plenis benevolentia mala canistris*: Propterea indicare voluit Jobus, similem pomis se esse non modò, quòd mentem habeat candore lacti, & ebori certaturam, quòd morum suavitate ac conversatione mel & nectar effundat, quòd charitate purpureâ & aureâ effulgeat, verùm etiam, quòd omnes dies vitæ sic exegerit, ut ubique sanctitatem spiraret, & odorem mitteret præstantium exemplorum, quibus homines & recrearet, & alliceret ad sequelam. Hinc purpuratus Hugo eleganter: *Pertransierunt quasi naves, poma portantes, quæ post se relinquunt odorem, in quo currunt adolescentulæ: & meritò hoc dicit, quia dies justorum præcedentium sunt quasi lux & exemplum posterorum.*

918 Quòd verò sub Metaphorâ docuit Jobus, exemplar patientiæ adimplevit reip. â Magdalena pœnitentiæ idea nobilissima. Non minus hæc perspectas habuit exitiales atque pudendas animæ suæ plagas, quàm prodigiosi ac Divini Medici totâ provinciâ decantatas artes; ut ergo remedium præsens

præsens quæreret malo, statuit adire cænaculum Pharisæi, & advolvi pedibus Salvatoris. Subit modesti ac verecundi pudoris plena, oculis convivarum sese ingerere non præsumit; retrò accedit, ovis erratica salutem sperat, & vitæ semitam secùs pedes Divini Pastoris lachrymarum torrente abluit unà, & inquinamenta sordidæ animæ suæ, & plantas amantissimi Magistri, crinibus solutis exsiccat, & aureis quodammodo catenis, ne amplius amittat, irretire satagit; basia figit sine numero, ut obtineat pacem, & submergens se se in plangorum Oceanum, piscatur pretiosum thesaurum, integram nempe admissarum culparum veniam. Benè hactenus omnia: sed attendite, si placet, quale dederit hisc Religiosis obsequiis initium, qualem imposuerit coronidem: officium suum inchoans *attulit alabastrum unguenti* Luc. 7. v. 37. finiens ministerium, *unguento ungebat*. O miram resipiscentis mulieris felicitatem! sparsit aromata, balsamum recepit; ne offenderet fædore convivas, adoramentis implevit triclinium, & in pretium operæ liberatur, atque absolvitur à Filio Dei ab innumeris peccatorum vinculis, è squalenti vitiorum ergastulo in libertatem asseritur: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Adeo grata sunt Deo devota nostra & submissa obsequia, ita placet, instrumenta peccatorum conventi in tributum pietatis, ac religionis, ita probantur lachrymæ, profectæ ex humili ac contrito corde, ita jucunda ei accidunt munera, ipsi è superfluis bonis nostris oblata, & oscula puri sincerique amoris argumenta. Ante omnia verò videre nos cupit, *bono Christi odore de bonâ conversatione fragrantes,* Nam ut Hugo Cardinalis hunc locum exponit: *Prudentes Dei Servi debent unguento ungere, id est, bonæ opinionis odore alienos recreare.*

Accubuit mensæ Simonis leprosi Christus Servator noster, cùm rursus supervenit Magdalena, pretiosáque unguenta super pedes ac ipsum caput effudit, quòd uni alterive displicuit Aristarcho; obmurmuratum est, atque in sinistram partem acceptum, quod rectissimè illa præstitit animo. Et verò qui abscondita rimatur cordium Christus, defendendam suscepit & audaciam malignorum retundens, *quid molesti estis*, inquit, *huic mulieri?* Matth. 26. v. 16. *Opus enim bonum operata est in me: mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Liceat mihi tantisper huic Christi Apologiæ inhærere, quòd unctio Magdalenæ sepulturam respiciat, & pientissimum officium mortuo debitum. Novimus venerandum Redemptoris corpus jam exanime duplex insigne obsequium recepisse à duobus viris prænobilibus; Josephus ab Arimathia linteum suffecit purum & candidum: *involvit illud in sindone mundâ,* Matth. 27. v. 59.

919

59. Nicodemus contribuit *mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum.* Joan. 19. v. 35. Subinde junctis viribus & concordibus animis ambo *ligaverunt illud linteis cum aromatibus.* Quæ ceremoniæ ac ritus familiares erant Hebræis in Magnatum obitu, quippe, ut scriptis consignarunt R. Jacob & Rabbi Moyses à Cardinale Barronio ad Annum 35. num. 135. allegati: *Ora claudebant defunctorum, stringebant fascia, tondebant capillos, lavabant corpus,* & appositæ intentioni nostræ, *unguento ungebant, linteis involvebant.* Simili ferè honore beatorum Martyrum corpora solebant affici, ut ex Prudentio discimus Hymno in exequiis defunctorum, ubi hæc habet.

Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor ultimus recipit artus,
Et funeris ambitus ornat
Candore nitentia claro.
Prætendere lintea mos est
Asperaque myrrha sabæa
Corpus medicamine servat.

Agite Canonici Regulares, secundùm jura civilia religiosus *reputatur mortuus mundo*: si mortui estis voluntati propriæ, mortui sensuum illecebris, mortui commodis & vanitatibus sæculi, si monasterium & cella instar sepulchri vos abdiit ad exemplum Salvatoris lino vestro, symbolo exactæ puritatis, addite myrrham perfectæ mortificationis, & aloëm ad heroicè quibusvis vitiorum vermibus resistendum, odorata denique aromata virtutum ita laudabiliter spargenda, ut Mundus in admirationem venerationémque raptus cum Paulo acclamet: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo.* Coloss. 3. v. 3. vósque suspiciat, *ceu bono Christi odore de bonâ conversatione fragrantes.*

920 Refert S. Matthæus c. 20. duos cæcos emendicandæ stipi consedisse secus viam, quo magna nubes hominum confluxerat, Salvatorem stipantium, ejúsque rei certiores redditos supplicâsse infinitæ ejus pietati: *Audierunt, quòd JEsus transiret, & clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri.* Quo in facto notandum, nihil equidem illos, velut luminibus captos vidisse, optimè tamen fuisse odoratos miram fragrantiam à JEsu Nazareno ceu lectissimo quodam lilio egressam, tanta efficacia, ut intimè

timè

time permoti vivam fidem, spem firmam, & flagrantem devotionem conciperent, cælestísque gratiæ capaces efficerentur. Ita eruditè explicat Hugo citata verba: *Audierunt, quòd JEsus transiret*: *rosa*, inquit, *antequam videatur, sentitur, cæci antequam viderunt, senserunt DEI fragrantiam.* Faxint Superi, ut omnes mei Con-Canonici admirabili hac prærogativâ emineant: si commorantur in suis cellis ac cubiculis, & sedulò insistunt orationibus, & studiis, nec vagantur otiosi per Monasterium, sed arctissimum silentium observant, perinde ac si penitus non adessent, grandis erit gloria, si viri sæculares & exteri, *licet non videant*, ex integerrimâ tamen religionis disciplinâ, *sentiant Dei fragrantiam*: si ad Ecclesiam se conferant, in choro persolvant psalmos & cantica, super aram immolent incruentam victimam, in exomolegeteriis delicta confitentibus aures commodent, Angelicam præseferant modestiam, tantísque præluceant exemplis, ut populi ex ipsorum moribus *sentiant Dei fragrantiam.* Si urgente necessitate foras prodeundum est in publicum, oculos custodiant, incessum moderentur, omnes gustus ita componant, ut ubique velut lilia *spirent Dei fragrantiam.* Hac ratione examussim S. P. Augustini præceptum implebitur jubentis suos Canonicos, suos Clericos esse *bono Christi odore*, *de bonâ conversatione fragrantes.*



Ex

CAPITE XII.

Non sicut Servi sub Lege.

Affectus servilis à nobis exulet.

DISCURSUS LXXXXIII.

921 INfelix profectò est humana conditio, quod semper quidem ad lapsum proclivis, maximè verò in horrenda sacrilegia præceps fuerit acta, cùm statuas & simulacra stolide sibi effingens honores divinos per summum nefas immortali rerum omnium Conditori glorioso Deo ereptos in vilissimas creaturas, & idolorum portenta transtulerit. Ex ligno & lapide efformatæ sunt effigies non hominum modò, sed ferarum etiam & monstrorum: videre erat cynocephalos, simias, canes, vitulos, serpentes, quibus incredibili stultitia thus adolebatur, cedebantur victimæ, & calidissimæ preces ceu præpotentibus Dijs offerebatur. Atque insania hæc & decumanus furor corripuit Romanos veteres, Græcos, & barbaros, Orbémque propemodum pervagabatur universum pestilens malum. Ministri vecordis ejusmodi idololatriæ flagranti zelo, importunis consilijs, virulentis exemplis, & armatâ potentiâ totis viribus adlaborarunt errorem propagare, & inficere, quoscunque possent: captivos coëgerunt, invitâ licet maximóque nisu reluctante voluntate, thura injicere in nefarios ignes, & manus extendere super capita hostiarum execrandâ iniquitate oblatarum, ut saltem exteriùs sacrificia, & simulata obsequia falsis Dijs, Mundo inspectante, contribuerent. Verùm quid agitis ô insani: ait Tertullianus c. 24. Apologiæ: *Videte ne & hoc ad irreligiositatis eloginm concurrat, adimere libertatem religionis.* Non advertitis vestros Saturnum, Jovem & similes deastros, si quid sapiant, hinc summo gradu offensum iri? si enim Deus spontaneo duntaxat liberalique cordis affectu delectatur, vestra hæc fabulosa numina cultum violenter extortum proba-

re nequaquam poterunt, sed potiùs horrebunt, & execrabuntur. Fixum est, quod Seneca scripsit 1. de benef. c. 6. *Nec in victimis, licet opimæ sint, auróque fulgeant, Deorum est honor, sed piâ & rectâ voluntate venerantium.* Quæ si consentanea sunt rationi, quanto meliori Jure S. P. Augustinus à suis Religiosis excludere conatur servilem animum, & opera vi expressa, ut vitam exigant, *non sicut servi sub lege.* Enimverò de homine justo testatur Regius Vates *in lege Domini voluntas eius.* Psalm. 1. v. 2. Religiosus enim, ut S. Ambrosius ibi subjungit, *vir sapiens, subditus legi est, voluntate non necessitate.* Serviendum igitur Deo non gravatè non animo iniquo, nullius coactu, sed promptâ liberâque voluntate, quod forte non ingratum erit, si pluribus demonstravero.

In totis Sacris Biblijs, nullum opinor, librum reperiri, qui tot redundet amænissimis figuris, tot abditis mysterijs, tot animæ delicijs, ut Cantica Canticorum, de quibus Hieronymus, *Salomon pacificus & amabilis Domini: mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit & Christum, Sanctarúmque nuptiarum dulce canit epithalamium.* Exhibent passim ea cantica planitiem quandam viridem cælesti & jucundissimo natantem rore, areolas peregrinis & electis floribus distinctas, arbores exquisitis & semper maturis fructibus fæcundas, colles aromatum virgultis coronatos, vineas rarâ fertilitate conspicuas, ut adeo Divinus Sponsus, non minori voluptate ibi fruatur, quàm Protoparens in florentissimo paradiso. Illud porro in eâ descriptione singularem meretur considerationem, quod licet olei pretiosi sit abundantia, nullibi tamen visantur Machinæ, aut trepetum, in quo exprimatur: quod sparsim suavissimè redoleant unguenta, aromata, & nulla appareant pistilla, nulla Mortaria, ubi tundantur, macerentur, componantur. Quod vites magno numero racemos efferant, nec adsit torcular sed suâmet sponte scaturiat, *oleum effusum*, felicitate singulari, *fluant aromata*, cogente nemine, *manus meæ stillaverant myrrham*, vinum ex botris in rivulos purpureos ultrò derivetur. Mysterium nôsse cupitis Auditores? Ecce per Salomonis hortum custodiâ speciali conclusum designatur fidelis anima, seu potiùs, ut S. Bernardus serm. de convers. ad Clericos c. 21. quodvis Religiosorum domicilium, ubi abundant oleum pietatis, aromata virtutum, vinum Spiritualis lætitiæ. Sed Jure meritóque nulla hîc loci asservantur instrumenta necessitatis ad tundendum, premendum, vel vi adhibitâ compellendum, quoniam Deus ingenuos sibi famulos deposcit, nec placent mancipia, nihil, nisi verberibus aut minis urgeantur, agentia; sed animæ ad primum devotionis calorem, ad minimum Spiritus Sancti afflatum, nutum, balsamo exhalan-

tes, stillantes myrrham, sudi nenta aromatum, ac pretiosissimum liquorem fun lentes desiderio Divino satisfaciunt; hinc scriptum legimus: *veni auster, & persla hortum meum, & fluent aromata* Cant. 4. v 16. Quod optimè expendens Gilbertus Abbas ser. 31. *Fructus*, inquit, *qui sunt in horto tam delicatè depicto, pressionem non exspectant, cogi nesciunt, sed austro perflante fluunt ultro torcular in hoc horto non legis extructum, nam vicem torcularis obtinet auster: afflata, quam calcata meliùs fluunt; gratuita enim sunt non extorta metu sed spiritu fusa sunt.*

923 Evidens hujus è Canticis petitæ doctrinæ testimonium suggerunt duo eventus Evangelici: cùm Redemptor terram ingrederetur Genesarenorum, dæmonium quoddam rapido cursu ferebatur obviam, & humi affusum adorabat, in nobilissimum hoc præconium erumpens: *Quid mihi & tibi IESu Fili Dei altissimi* Marc. 5. Scio, agnosco, & palam confiteor, te unigenitum esse filium æterni Patris, cujus solo adspectu dirissimè excrucior. Cui Christus minaci vultu & terribili voce: *Exi spiritus immunde ab homine.* At totum oppositum accidit in viciniaCæsareæ, ubi Salvator audiens præclarissimam Petri confessionem: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Matth. 16. v. 16. Ex templo rependit ceu grates habiturus, elogium incomparabile: *Beatus es Simon Bariona.* O Magnam tuam felicitatem, cujus merita & laudes universa Ecclesia in omnem æternitatem celebrabit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* Quid hoc rerum est AA. cur æquale studium duorum extollendi Divinitatem Messiæ tam disparem sortitur eventum? Energumenus manifestè fatetur Deum esse Salvatorem, idem affirmatè Petrus asserit, & unum Dominus acriter repellit, immundum vocat, hospitio exturbat; alterum exaltat, glorificat, beati titulo honorat?

924 Plinius l. 8. Hist. Nat. memorat, quàm circumspectè gentiles victimas suas ad aram imolârint: *Notandum*, inquit, *vitulos ad aras humeris hominum allatos non ferè litari, sicut nec claudicante, nec alienâ hostiâ Deos placari, nec trahente se ab aris.* Itaque ingratæ erant votivæ pecudes, vi ad templum perducendæ, aut morbidæ, claudæ, vel elumbes, & maximè horrentes atque fugientes altare ipsum. Persuasum nempe erat cæcæ antiquitati, Servitutem Deorum non compleri per sola exteriora opera corporea, sed consensum requiri internum Religiosæ ac devotæ voluntatis. Quantò magis, & longè æquiori titulo colligemus nos, DEO nostro, ut obsequia coacta displicent, ita summopere accepta esse, quæ profluunt ex libero & voluntario affectu? Certè Exodi 35. v 5 præcipitur, *omnis voluntarius, & promptè animo offerat*: hoc est, velut Hebrai-

Hebraica & Chaldaica vertit lectio ; *omnis, cujus est spontaneum cor, offerat oblationes Domini.*

Ex his difficile haud erit evolvere propositam dubitationem : Dæmonium, quod eximijs laudibus Christum evehit, durè increpatur ; Petrus è diverso ob causam eandem plurimùm prædicatur, quoniam stygius Alastor interno pavore perculsus, & vi adactus, venerabatur Christum, cruciamentis veritatem invito, veluti sub torculari presso extorquentibus : Petrus verò tanquam suavis philomela ex animæ medullis laudabat,& toto corde Majestatem Redemptoris adorare gestiebat ; unde reportavit beati titulum, cum Dæmon velut immundus canis reijciatur, *ô Domine*, ait S. Augustinus ad Christum conversus hom. 17. in quinquag. *ô Domine : hoc tibi dixerunt Dæmones ; quare illi non sunt beati ? quare ? quia Dæmones hoc dixerunt timore, Petrus amore.* Idcirco S. Legislator impensè cupit, ut sui Asseclæ operentur per omnia : *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratiâ constituti* ; optimè gnarus, non præstantius aliud esse actionum nostrarum condimentum, generoso & liberali affectu,& opera cæteróquin haud illaudabilia fructu carere, & vitio verti, si renitente voluntate obeantur. 925

Quod assertum non parum roboris ex horto Gethsemani obtinere potest : cum militum catervæ æque odio ac furore, quàm gladijs & fustibus ferro & igne armatæ pararent vincula inijcere Christo libertatis nostræ vindici, ipse non modo pro infinitâ suâ potentiâ impedivit, ne minimâ discipulos suos afficerent molestiâ, sed directis etiam verbis præcepit : *si me quæritis, sinite hos abire* : Joan. 18. v. 8. quod Salvator speciali consilio peregit ; *ut impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Verùm quo spectat, tam provida sollicitudo ? si semel obire mortem debuerunt Apostoli, quam feliciorem sortem optare poterant, quàm extremum spiritum effundendi cum Christo, atque pro Christo ? Vocari in dubium non potest, si crucifixum coram spectarent Orbis Redemptorem, & Charissimum Magistrum, quin Magnos spiritus hausissent, & exquisitum robur, ad quidvis intrepidè perferendum : nec minùs, quàm fortunatus latro, si comitati fuissent in tormentis pariter ad felicitatis regnum pervenissent ; quî ergo asseritur, eos in illo necis genere præcipitandos fuisse in perditionem ? *non perdidi ex eis quemquam.* Perijssent sanè, respondent Sacri interpretes, si unâ cum Christo in eo rerum articulo fuissent comprehensi, ad tribunalia traducti, opprobrijs & supplicijs exagitati Apostoli : Et corporali quidem vitâ fuissent exuti, præsertim Petrus, utpote qui armatis arma opposuit, & Malchum 926

summi Sacerdotis, atque ut ferebantur, vel credi volebant, justitiæ Ministrum percussit, & auriculam præcidit: animam insuper perdidissent, quoniam, ut animadvertit S. Augustinus, spiritu erant debiles, & necdum solidè in fide Salvatoris confirmati, ideoque inter terrores lethiferos, & suprema vitæ pericula negâssent non sine gravi piaculo Magistrum suum, & in eo scelere vitâ functi fuissent æternis inferiorum flammis addicti. Sed aliam lubet rationem instituto nostro congruam subjungere, quod nempe, si Apostoli eâ occasione capite damnati, atque è crucis patibulo fuissent suspensi, infelicem subijssent agonem: quia, ut Philippus Abbas dixit de statu Cleri: *non erat voluntas matura ad mortem*: & parùm profuisset vitam fundere; si affectus totus quantus à nece cruentâ abhorruisset: & ferrum carnificum reluctantibus venis sanguinem expressisset: si defuisset myrrha prima voluntatis in obsequia Divina destinata: Deus námque non coronat actus involuntarios, non suscipit servile mancipiorum obmurmurantium tributum: sed mercedem præparavit amicis, & hominibus bonæ voluntatis.

927 Avertant Superi à Religiosis nostris teporem, vel frigus cordium, tantúmque spiritûs languorem, aut horrorem disciplinæ, ait S. Augustinus, cupiens alumnos suos sine ullâ recusatione sacras observantias, & rigorem vigiliarum, jejuniorum, macerationum, voluntariæ paupertatis, promptæ obedientiæ, humilitatis profundæ, aliarúmque virtutum, ut appareant, *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratiâ constituti*. Non insistat Canonicus Regularis pedibus fictilibus per affectum impatientiæ, aut tibiis ferreis stupido frigore lentis: ut statua Nabuchodonosoris, sed plantas ostendat, *similes aurichalco in camino ardenti*, quales in Dei Filio S. Joannes Apoc. 1. v. 15. observavit. Non habeat se Canonicus Regularis in modum horrologij, quod in tantum movetur, in quantum ponderibus aggravantibus propellitur, sed navem imitetur, ope cælestis Spiritûs velocissimo cursu volantem. In operationibus suis non assimiletur plaustro Bootis tarditate comitante prorepantis, sed curriculo Eliæ ex merissimis flammis concinnato. Non portet crucem regularis vitæ constrictus & angariatus, ut Simon Cyræneus, sed amplectatur perfusus jubilo S. Andreæ, qui obviam lætissimus occurrit cruci, & arctè stringens ajebat: *O bona crux diu desiderata, securus & gaudens ad te venio.*

928 Flagrantissimum suum desiderium omnes juvandi, & mortis faucibus eripiendi expressit S. Paulus in 1. Epist. ad Cor. c. 9. memorans, cum Judæis se conversatum esse, haud secus, ac si etiamnum Judaismo auctoratus

ctus foret, rursum tractasse gentiles, omni verâ, vivâque lege orbatos, perinde, ac si eodem laboraret morbo, dexterrimè dissimulans eorum errata, dum tempus nancisceretur, fructuosè ac efficaciter emendandi: factus, *sum*, inquit, *Judæis tanquam Judæus, ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: ijs, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cùm sint lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos.* Quo loco tres hominum diversi status ac conditiones tanguntur: nonnulli *sine lege*, nimirum Idololatræ, qui veluti equi indomiti nullis præceptorum frenis coerceri se sinebant: alij *sub lege*, uti Hebræi, qui more mancipiorum, sub legalium observationum jugo gemiscebant, ac premebantur. Postremi versantur *in lege*, ut Christiani sunt illi, præcipuè Viri Apostolici, in fonte baptismatis renati, ut pisces in aquâ, sic natant in gratiâ, ceu Oceano quodam immenso. Ut probè notandum, monente S. P. Augustino in psal. 1. v. 2. *aliud est, esse in lege, aliud sub lege.* Quisquis enim vitam transigit *in lege*, illamque cordi suo insculptam gestat, non gravatè obtemperat, nihil inxestatur obtentu libertatis male sanæ, sed totis viribus implere concupiscit: at qui *sub lege* vivunt Hebræorum instar, sub tanto pondere gemunt, & lamentantur, quod ijs proprium est, qui nisi verberum metu, aut commiserationibus excitentur, nihil egregium præstant, nihil aggrediuntur, minùs perficiunt, quod laudem mereatur. Qui est *in lege*, verba sunt S. Augustini, *secundùm legem agit, qui est sub lege, secundùm legem Dei agitur.* Ille verò liber est, iste servus. Subscribit Hugo Victorinus in c. 12. Reg. differens: *Servi sub lege sunt, qui timore Domino serviunt, liberi sub gratiâ, qui ex amore implent Divina præcepta.* Quamobrem gloriosus noster Patriarcha, ut ingenuam Religiosorum suorum demonstret nobilitatem, ac indolem generosam, invitat, vel etiam supponit, eos operari, alacritate quâdam & impulsu gratiæ, non metu suppliciorum, atque ideo filiis Dei accensendos esse, non vilibus, & abjectis mancipiis.

In curru Divinæ Gloriæ, quem mirabiliter instructum producit Ezechiel cap. 1. duæ præsertim circumstantiæ considerandæ occurrunt. 929
Quatuor ibi visuntur Cherubini sub facie hominis, leonis, aquilæ, ac vituli; præterea adjunctæ sunt quædam prodigiosæ rotæ, spiritu vitali præditæ: Cæterùm admirabilis utrisque concordia inesse notatur: *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Ezech. 1. v. 12. & v. 20. subditur, *eunte spiritu & rota pariter elevabantur sequentes eum; spiritus enim vitæ erat in eis.* En, quomodo serviant vehiculo Dei quadriformes Cherubini, ac totidem foris & intus oculatæ. Verumtamen, nec Cherubini promovea-

mo·endo illi destinati jugo aliquo serviliter opprimuntur, neque rotæ gubernantur temone vel axe, sed totum agitationis principium internus spiritus agnoscitur, & suavis quidam impulsus; *spontaneus & voluntarius erat motus*, ut Theodoretus adnotat, *neque enim temo, aut jugum animalibus erat impositum.* Diceres beatos illos spiritus gerere se non sicut servos sub lege, sed sicut liberos sub gratiâ constitutos.

930 Quapropter agedum, si Canonicus Ordo appellandus est currus, quo Dei gloria per Doctrinam & sanctimoniam servorum suorum propagatur, si Præsides more Cherubinorum dirigunt, protrahuntque, aut schemate sub humano occupationibus litterariis vacando, aut leonino vultu immutabiles, ac jura Ecclesiæ fortiter propugnando, aut indefesso boum labore invigilando Monasterij œconomiæ, aut denique aquilinâ acie contemplando bona cælestia ac æterna, si denique subjecti ceu rotæ in humilioribus Ministeriis circumvolvuntur, utrinque verò abest grave servilis timoris jugum, sed merus pietatis instinctus concitat, tum enim verè satis fit præscripto regulæ, & operari dignoscimur, *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi, sub gratiâ constituti*, quod etiam suadet Mediolanensis Præsul insigni suâ maximâ in psal. 1. *Vir sapiens subditus legi est voluntate non necessitate.* Opera religiosa suscipiantur non prompto solùm animo, sed hilaritate quoque & ardenti charitate, ut idem Ambrosius in ps. 118 v. 21. hortatur: *Quia custodire interdum necessitatis est, vel timoris diligere charitatis.* Atque ut concludamus, si Christus palam protestatus est, discipulos suos non jam servorum à se haberi numero, sed familiarium amicorum; *jam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos* Joan. 15. v. 15. Nos descendentes ab Ordine Apostolico convenit operationibus nostris demonstrare amicos voluntarios & obsequiosos, non servos coactos, *ut magis voluntatum nostrarum munera, quàm necessitatum obsequia conferamus* S. Ambrosius serm. 1. in ps. 118.



Is

Ex

CAPITE XII.

Non sicut Servi sub lege, sed sicut liberi sub gratiâ constituti.

Religiosi frequentent opera supererogationis.

DISCURSUS LXXXXIV.

ARabia inter nobilissimas Orientales plagas non postrema, meritò gloriari potest pretiosis myrrhæ arbustis passim obviis; planta est altitudinis quinque solummodo cubitorum, sed sudore suo ex cortice ac medullâ fuso omnem aromaticam fragrantiam facilè superat. Hinc pro epithalamio Salomonis exornando, vestis regiæ sponsæ myrrham redolere prædicatur: *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis.* Psal. 44. Magi, suis exciti regnis, ut Deum humanâ carne vestitum, & recens natum adorarent in præsepi, in tributum dedicarunt thesauros suos, & auri ac thuri addidere myrrham: *Obtulerunt*, ait Evangelista Matthæus c. 2. *ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Similiter celebravit Salvatori exequias, *Nicodemus, ferens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum.* Joan. 19. v. 39. Cæterùm exquisitus myrrhæ liquor duplici ratione colligitur, è nobili hoc arbusculo: primùm aliquot guttulas, *emittit sponte*, admodum excellentes, ut lemma indicat: *præstantior prima*: altero modo elicitur ferri acumine per corticem adacto, sed longè vilior habetur, cùm *stillat incisa*. 931

Insignis hæc inter duo genera myrrhæ discrepantia, meâ quidem opinione, præclarissimè ponit ob oculos majus minusvè meritum operationum nostrarum; plurimum valoris ac æstimationis deperit ijs, quæ servili quodam affectu obeuntur, & ferro quodammodo, minisque debent exprimi, è diverso, in immensum adscendit pretium & præstantia eorum, quæ sponte ex mero calore ac instinctu gratiæ, devotionis, atque fervoris 932

exercentur. Unde, cum Religiosos suos urget *S. P.* Augustinus, ut operentur, *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratiâ constituti*, insinuat, quantum fructum afferat homini, non parcum esse in obsequijs Deo præstandis, nec præcepta exspectare, vel suppliciorum terrores, sed nutus Domini alacriter prævenire, ut ipse Augustus Doctor lib. de adulter. conjug. c. 14. explanat his verbis: *multa sunt facienda, non jubente lege, sed liberâ charitate, & ea sunt in nostris offi ijs gratiora, quæ, cùm liceret nobis non impedire, tamen causa dilectionis impendimus.* Quod argumentum erit præsentis discursus.

933 *Ad* operibus supererogatorijs impigrè insistendum non modicos subdit stimulos Sapiens, cum Prov. 15. gravissimè pronuntiat, *in abundanti justitiâ virtus maxima est.* Nec enim virtutis magnitudo emicat, quando præceptionum limitibus coarctatur, sed tum primùm clarius coruscare incipit, cùm legum mensuram prætervecta vires exerit, & in grandibus liberéque susceptis actionibus exercetur, imitata glandem è bombardâ protrusam, quæ, prostratis muris, turribúsque disjectis, & humo æquatis necdum acquiescit, sed impetuoso volatu ulteriùs grassatur, unde Epigraphen accipit: *superest cursus.* Itaque bonus Religiosus & fidelis Dei famulus gerat se, non tanquam vile mancipium, quod solùm operatur, ubi constringitur necessitatis vinculis, sed officium morigeri filij impleat, cui volupe est, pluribus & arduis patrem suum demereri obsequijs, quod partim insinuat Rex Propheta Psal. 53. protestans: *voluntariè sacrificabo tibi*, partim confirmat cælestis Sponsus Cant. 4. v. 6. animi sensa prodens: *vadam ad montem myrrhæ* quo loco Theodoretus: *Myrrhæ montem sponte conscendam, nullâ vi, nullâ coactus necessitate.*

934 Cogitationem proposito nostro perquàm opportunam suggerit Psalmographus, laudans Divinam bonitatem, quod populum electum, ceu gregem ovium ex campestribus Nili ad montana deduxerit Palæstinæ, geminos duces constituens: *deduxisti*, inquit, Psal. 76. 25. *sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron*, utriúsque videlicet operâ ac beneficio. Quæ putatis, Auditores, fuisse ministeria Moysis & Aaronis in liberandis fidelibus, & traducendis ex Mundi Ægypto ad regnum gloriæ? Haud dubiè liquet, tenuisse Moysen in manibus suis tabulas legis, quâ Israelitas obligabat, & custodiam eius terroribus suppliciorum extorquere conabatur. Verùm cum istud nequaquam sufficeret, adjungenda quoque erat manus Aaronis, manus Sacerdotis perpetim applicata ad victimas offerendas, ad sanguinem libandum, ad exanimata hostiarum corpora dividenda, ut condisceremus, fidelem seu Religiosum minùs prosperè ad

cælorum regna perventurum, si præcise velit observare, quod tabulæ legis præscribunt; subijciendum igitur esse manibus *Aaronis*; spontanea Deo Sacificia mortificationis immolando, impurum sanguinem è venis propulsando, cor contritum, veluti thus gratissimum adolendo super carbones afflictionum: sic enim agens non servili more, sed filiali affectu, non solùm ex legis impulsu, sed charitatis abundantiâ beatæ hæreditatis capax efficietur. Quam in rem Origenes hom. 27. in num. *exierunt autem*, inquit, *in manu Moysis & Aaron: ad exeundum de Ægypto non sufficit manus Moysis, quæritur & manus Aaron. Moyses indicat scientiam legis, Aaron immolandi Deo, & sacrificandi peritiam, &c.* Ita vos omnes, si nec latum unguem ab observantiâ legis Divinæ desciscatis, ac insuper gratis ex mero placendi studio, liberâque voluntate ex vobis ipsis hostiam macteris duplici hac directione ad paradisi regnum, & augustissimam Divinitatis sedem provehemini, quemadmodum Israelitæ gloriosum terminum *in Manu Moysis & Aaron attigerunt*

Jobus tametsi nullam habuerit notitiam Moysis & Aaronis, utpote natus & enutritus in medio nationis pravæ, inter Idololatras, & nefarios homines, summo tamen studio, & exactissimè legem hanc observatam voluit, digito Divino in corde suo exaratam, cui sponte propriâ tanta virtutum præclara specimina & ardua sacrificia adjecit, ut merito jam videri posset, *non sicut servus sub lege, sed sicut liber sub gratia constitutus.* 935
Novimus singulare ei certamen intentatum fuisse ab Acherontico flagrione, & varijs machinis impetitum: Sabæos Hussæ regionis conterminos excit, armátque Alastor, ut, irruptione factâ in dictionem Jobi amplissimam, mille quingenta majoris pecoris abigerent capita, custodibus cunctis usque ad unum internecione deletis: fulmen cælitùs immissum absumpsit septem millia ovium unà cum opilionibus: Chaldæi equites tria camelorum millia in prædam abstraxêre, septem filios cum tribus filiabus, eadem in domo convivantes, vehemens turbo, concussis funditus ædium fundamentis, una ruina sepelivit. Jobus, tot cladibus acceptis, nihil amisit virium, nihilo fractior animo, pertulit fortiter, non fatum, fortunam aut casum incusans, sed in omnibus Divinam Numinis voluntatem humillimè adorans, imò ceu gereret sub carneo pectore cor marmoreum aut Atheneum, heroicæ tot tantorúmque malorum tolerantiæ adjunxit voluntarium quoddam sacrificium, comam capitis rescidit proprijs manibus, è viro Principe mancipio similis evadens, & vestimenta abjecit, quasi diceret: si Tartareus hostis omnibus bonis me spoliavit usque ad corporis indumenta, en his quoque me lubens exuo, si omnium morborum

rum cohors incumbit mihi, & pessimo ulcere me percussit Cacodæmon, nullâ corporis parte à calce ad verticem relictâ incolumi, ut pus merum & vomica evaserim, ecce non jam vili centunculo, non tenero strophio aut spongiâ saniem extergo, sed testâ temerè in fimetum projectâ abrado, ultrò, ut animadvertunt Apollinaris, Origenes, & S. Gregorius, dolores invocans, & exacerbans crudelissimâ carnificinâ. Quid quod Tertullianus lib. de patientiâ notatum reliquit: Jobus ebullientes undique vermes & amarissimo morsu omnes artus depascentes, si fortè decidissent in terram, ipsemet pro augendo patientiæ trophæo reposuit in carnium hiatus: *Erumpentes bestiolas*, scribit Tertullianus, *inde in eosdem specus refossæ carnis ludendo revocabat.* Ita videlicet illatis aliunde calamitatibus associare voluit pœnas voluntarias, hostium simul & sui ipsius triumphator celeberrimus: quo sanè promeruit, ut totus Orbis applauderet, & solenni, festóque carmine victoriam gratularetur.

936 Verùm quid antiqua repetimus, cùm ejus generis spectacula complura prorsus stupenda offerat nova lex gratiæ? Rosam videte *Limanam* patientiæ miraculum, primæ ætatis florem supremâ attrivit austeritate, quàm durissimè affligens corpusculum, nullam occasionem patiendi præterire passa: crines auro certantes, miróque decore eam afficientes cum omni fastu, & vanitate sæculi abjecit, unicè intenta, ubi Domino gratum immolare posset holocautoma. Franciscum videte Assisinatem, qui coactus ab iniquo parente paternis bonis cedere, toto corde mox annuit, ipsam vestem propriam haud gravatè abjiciens. Videte *Petrum* de Alcantara, qui membra dirissimis flagellis proscissa ac dilaniata hispidis insuper & diris cilicijs afflixit. Videte Thomam Cantuariensem, insigne *Decus* Canonicorum Regularium, postquam cecidit grata Deo hostia, ferro diabolicorum Ministrorum ad aram cæsus, apparuit non modo corpus indusio setis rigidis horrenti circumdatum, & confossum, verùm etiam vermibus scatens, ex quo non sine ingenti omnium admiratione patuit, Thomam ipsum sibi fabrum fuisse prolixi horrendique Martyrij.

937 Sed nolim vos diutius detinere apud famulos Dei in liberale ac spontaneum Conditoris sui obsequium effusos, cùm versetur ob oculos ipsum æternum verbum mortalitatis nostræ exuvijs vestitum, quod quovis loco ac tempore operibus supererogationis mirificè institit. Nec probatione indiget res cæteróquin clarissima. Conceptum in civitate florum, Nazarethi, locum Natalem sibi destinavit turgurium stramineum, Bethlemiticum stabulum ipso die, quo Sponsus de ornatissimo ac pudicissimo virginis thalamo processit; suóque Mundum adventu visibili beavit, extremam

substi-

sustinens paupertatem, ut exemplo ipsius ad actus heroicos & superogatorios stimularemur. Neutiquam subjectus erat asperæ circumcisionis legi, paruit tamen; & lachrymis mistum sanguinem fudit, ut disceremus aggredi pro Dei gloriâ etiam ardua ac difficilia opera, licet præcepto non obstringamur, Purificationis cæremonias immaculata Virgo Mater, Angelis ipsa purior, examussim servavit, & gloriosus infans pro more gentis in templo oblatus est Cælo; licet neutrum veteris legis instrumentum comprehenderet; sed idcirco duntaxat, ut opera supererogationis comendaret posteris. Princeps Angelorum Unigenitus Dei Filius ipsos quadraginta dies in horrido deserto cum feris crudelibus morabatur, rigido jejunio corpus extenuans, cum minimi peccati capax non esset, solùm ut etiam tacendo miseros invitaret peccatores, ad maximo, quo possent studio, enitendum, quò supremæ majestati gratum exhiberent famulatum. In Nuptijs Canæ utique satis erat prospectum necessitati convivantium per unicam vini hydriam Dominus sex implevit liquore pretioso; quando famelicis in solitudine semel ac iterum mensam paravit, satiâsse non contentus, una vice septem, alterâ duodecim cophinos fragmentorum sapidissimi panis superstitum plenos præbuit, nolens angustijs circumscribi necessitatis, sed abundanti charitate miseris subvenire gestiens. Haud dubiè Christus poterat virtute Divinâ in quavis distantiâ paralysin, qua servus Centurionis conflictabatur, dispellere, leproso suam restituere munditiem, cæco reddere pristinum adspectum, ad vitam revocare adolescentem Naimensem, & Lazarum fato defunctum: Nihilominus promptum se ostendit ad ædes primi subeundas, manus extendit ad putredinem secundi abstergendam: oculis tertij imposuit salutares digitos, funestum loculum quarti tetigit, & sepulchrum quinti accessit, ut passim opera supererogatoria elucerent. Contigit ut hydropici, & paralytici sanitatem enixè flagitarent corporalem, impertivit Dominus & Spiritualem. Contigit ut Apostoli sævâ tempestate jactati peterent è mortis faucibus liberari, plus præstitit Dominus, ventos suis cavernis reclusit, fluctuum tumultus complanavit, mare tranquillum reddidit. Sed faciliùs foret numerum inire stellarum cæli, quàm omnia percensere prodigia, quæ Redemptor ex abundanti suâ bonitate in salutem miserorum patravit; illud solummodo vos quæso, devotâ vestrâ cogitatione mecum in hortum Gethsemani intrate, ibi cernimus Salvatorem humi fusum, incredibili contentione in orationem intentum, & præ nimiâ mæstitiâ, timore, amore, & acerbissimo agone ex omnibus membris sacrosancti corporis ex oculis, fronte, genis, pectore, manibus, pedibus, collo, brachiis tam copioso manantem san-

guine, ut purpurei rivuli terram rigarent. *Et factus est sudor ejus sicut gutta.* Sive ut S. Iræneus legit l. 3. c. 23. *sicut globi sanguinis.*

938 Effudit quidam Dominus, haud ignoro, eam sanguinis copiam, quod amarissimâ agoniâ, atrox spiritus anxietas, & ardentissima diúque protracta oratio hortum Gethsemani, quem interpretantur periti torcular olei, commutârit in acerbissimum prælum sanguinis. Emisit globos sanguinis, ut manifestaret, plures Mundi sphæras, si quæ superessent cruento illo Cataclismo reparandas, & in libertatem asserendas fuisse. Ex omnibus membris corporis in modum lachrymarum exsudavit sanguinem ferventem, ut totum Ecclesiæ corpus balneo illo efficacissimo ablueretur, & purgaretur. Fudit Christus prodigiosæ instar pluviæ sanguineum sudorem, & prævertit tempestatem flagellorum, lanienam spinarum, vulnera clavorum ac lanceæ, *ut ostendat*, scribit Simon de Cassia l. 12. *totum esse voluntarium, quod agebat*: & libero consilio se cruciatibus submittere, non armis & potestate hostium compelli. Sed silentio prætereundum non est, quod Idebertus Abbas apud Sylveir l. 8. c. 2. q. 20. annotavit, inquiens: *Sanguineus sudor crux fuit ante crucem.* Ita è duplici cruce Salvator pendere voluit; alterum fixit Synagoga, in alteram egit proprius affectus: in Monte Calvariæ trabalibus clavis Judæorum odium crucifixit Christum, in Monte olivarum crucis supplicio affecit flagrans amor. Quamvis autem nemini obscurum sit, sanguinem Redemptoris in patibulo crucis suffixi, manus, pedésque, clavis confossi, caput aculeatissimis spinis perterebrari, liberando Mundo abundè sufficisse, addere tamen constituit cruorem è venis, charitatis igne elicitum, ut palam constaret, *quoniam copiosa apud eum redemptio* Ps. 129.

Vestigiis hisce Divini Magistri sedulò inhæsit Apostolorum Princeps, 939 quippe ut locum supplicij attigit, & carnifices occupatos vidit alios in eruendâ humo pro cruce plantandâ, quosdam in funibus parandis: nonnullos jam malleis, clavis, aliisque funestæ tragediæ instrumentis ludentes, alios demum manus injicere advertit, vestes abstrahere, nudúmque pro majori ignominiâ prosternere, enixè precabatur improbos satellites, & voti damnabatur, ut deorsum verso capite in trabem sustolleretur, & lethale tormentum eâ ratione non mediocriter augeretur, quâ de re S. Ambrosius l. 1. de interpel. Job. c. 1. *Inverso suspendi poposcit vestigio, ut aliquid passioni suæ adderet, cujus acerbare sibi supplicia non timeret.* Eandem semitam calcavit Doctor gentium S. Paulus, qui plurima quidem æquanimiter sustinuit à Judæis & Ethnicis, ejectus in exilia, detrusus in ergastula, condemnatus ad flagella, vel mortem assiduam, iis tamen ærum-

ærumnis ultrò adjunxit protelata jejunia, rigidam disciplinam, vigilias, orationes, *castigo*, ait, *corpus meum*, *& in servitutem redigo.* 1. Cor. 4. Eandem viam incessit S. Patritius, Gloria singularis Canonicorum Regularium, qui Apostolicis laboribus, pro disseminandâ fide Catholicâ, & Ecclesiâ ampliandâ ubertim susceptis, aliam non interposuit quietem, nisi ut lassa membra indormirent duro saxo, & lapide pro cervicali uterentur, nisi ut trecentis vicibus de noctu, totidémque interdiu flecteret genua usque terram, & Deo stupendæ religionis penderet tributum. Christum strenuè secutus est Henricus Suso, qui sub gloriosis S. Dominici signis militans rigori Religionis, & inediis, ciliciis, flagellis, pervigilationibus nocturnis, aliísque corporis afflictionibus communi lege obeundis addidit tormentum voluntarium, sed dictu horrendum, sive spectemus Nomen JESU, quod ingeniosus Zelator insculpsit pectori digitalibus litteris, sive crucem præacutis clavis instructam, quam nudo corpori appressit, ut juge Martyrium persentisceret. Quid B. Aloysium Gonzagam commemorem, nobilissimum Juvenem? qui præter leges, & constitutiones S. Ignatij Loiolæ exactissimè observatas, spontaneâ electione ac fervore minimè vulgari ornamenta pedum vertit in tormenta laterum, & calcaria cilicij loco corpori admovit, ut cursu præpropero & apicem virtutum, & fastigium gloriæ assequeretur. Denique ut sexcentos alios taceam, S. Carolus Borromæus jam exhaustus longis jejuniis, vigiliis fractus, flammâ charitatis exesus, febrilibus ardoribus ad extremam vitæ lineam adductus, necdum sibi pepercit, *sed cinere & cilicio coopertus migravit in cælum.* Brev. 4. Novemb.

Si ergo S. Augustinus nos cohortatur pariter, ut officiis nostris fun- 940
gamur, & ubique nos geramus, *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratiâ constituti*, plurimaque præstemus, *non jubente lege, sed liberâ charitate*: Quivis nostrûm non gravabitur operibus supererogationis insistere, & ita secum tacitè ratiocinabitur: Reverebor majores meos, sic imperante mihi lege divinâ, sed minores quoque honorabo, ut Deo pleniùs obsequar, & satisfaciam. Sollicitus ero in choro, nec omittam partes laudati Canonici: sed insuper cor ante disponam, certis me precationibus & sanctis commentationibus præparabo ad tremendum officium, Deo Authori nostro persolvendum, idémque finiam speciali gratiarum actione, atque debito annectam voluntariæ appendicem orationis. Recitabo majus officium, ad quod obligor, sed sertum Augustissimæ Cælorum Reginæ, Virgini Matri ex gratissimis Angelicarum Salutationum floribus

ribus

ribus contexere non prætermittam. Jejuniis ab Ecclesiâ, & Ordinis Constitutionibus præscriptis, abstinentias particulares, & quoad fieri potest, frequentes associabo: si ita ut liber sub gratiâ egero, certò confido, me promotum iri *in libertatem gloriæ Filiorum* DEI.

Ex

CAPITE XII.

Ut autem vos in libello hoc tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatur, semel in septimanâ vobis legatur.

Regulam S. P. Augustini Speculum esse Perfectionis Religiosæ.

DISCURSUS LXXXXV.

941 INnumeras quidem artes pro corporis & animæ felicitate intellectus humanus excogitavit, plurima non minus curiosa, quàm fabulosa invenit, & tanquam fœcunda quædam & dives fodina parturiit instrumenta, speculi tamen nobilitas, si rem suis momentis pensemus, soli naturæ in acceptis referre cogimur. Corpora quæcunque liquida, ut aqua, vinum, oleum, sanguis, & alia id genus, lac solum si exceperis, jucundum ex semetipsis speculum efformant. Durities polita atri lapidis in morem speculi effigiem vultûs nostri affabrè repræsentat. Calybs quoque & ferrum tersum ac lucens absque ullâ fabrorum industriâ referunt ad vivum, quod objectum fuit: denique multoties videmus in roscidis nubibus Solis imaginem mirabili amœnitate effingi. Hanc scholam naturæ mens humana lustravit, & didicit æmulari per artis opera, & varias speculorum sortes per Catopticam fabricari: Speculum porrò in sinceritatis Ideam proponitur, quia sine fuco exhibet, quod opponitur: hinc

hinc nonnemo pro corpore Emblematis illud assumens inscripsit; *Cunctis æquè fidum.*

Regulæ, quam Præsul Hipponensis pro felici filiorum suorum directione litteris consignavit, speculi titulus attribui jam antiquitùs consuevit: Et sanè speculum est Crystallinum & luminosum, quod animæ salutis ac puritatis cupidæ loco fidelis Consiliarij servit, maximè si pareat monito S. Patris & frequentiùs inspectando consulat. *Ut autem vos in libello hoc, tanquam in speculo possitis inspicere, ne per oblivionem aliquid negligatur, semel in septimanâ vobis legatur.* Jure igitur sub speculi metaphorâ commendatur regula nostra, quoniam religiosas actiones nostras dirigit, & defectus, nostrâ fortassis fragilitate contractos, emendat, & universim demonstrat, quæ *corrigenda aut probanda.* 942

Inventio speculorum, si Philosophis fides habenda, ad actiones, morésque nostros laudabiliter moderandos ordinata fuit. Socrates adhortabatur Juvenes, ut crebrò sese ad speculum converterent, quò, si essent egregiâ corporis formâ, caverent, ne quid eâ indignum comitterent: sin minùs, quod corpori deesset, id ingenij cultu, morúmque honestate compensare satagerent. Plutarch. in Præceptis Connubial. Multus quoque in id argumentum Seneca l. 1. Natural. quæst. c. 17. *Inventa sunt specula, formosus ut vitaret infamiam, deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset; Juvenis ut flore ætatis admoneretur, illud esse tempus discendi, & fortia audendi: Senex ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Sed mittamus Philosophos, & nostrum discursum prosequamur. 943

Unanimis est sensus Sanctorum Patrum, Divinæ Scripturæ monumenta, veluti specula nobis esse proposita, ut docerent nos eluere nævos, & animæ profectum inquirere. *Est Sacra Scriptura*, inquit S. Laurentius Justinianus c. 4. de perseverantiâ: *Nobis à Domino exhibita, ut in ipsâ intellectûs nostri curiositas solidetur, & velut in quodam speculo interna nostra facies videatur. ibi, quid verum, quid falsum sit, conspicitur. ibi fœda, ibi pulchra cognoscuntur.* S. Augustinus Epist. 143. *Optimè uteris lectione Divinâ, si eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corriget, vel pulchra plus ornet.* Et S. Isidorus Pelusiota cap. 135. docet: *Spirituale speculum perpetuò in manibus habendum esse: hoc enim speculum non modò deformitatem ostendit, sed etiam si velimus incredibilem quandam pulchritudinem immutat.* Quod verò hi Patres de libris divinis pronuntiant, optimo jure accommodari potest Authore Hugone, Augustinianæ Regulæ, sic quippe in hunc 944

 locum

locum commentatur : *Benè hunc libellum dicit speculum, quia in eo tanquam in speculo inspicere possumus, quales sumus, sive pulchri, sive fœdi, sive justi, sive injusti, utrum quisque nostrùm regulariter vivat, utrum proficiat, an deficiat, utrum Deo placeat, an displiceat.*

945 Julianus Apostata, ubi à Christo descivit, fœdus pepigit cum sathanâ, quem sacrilegis characteribus invocavit, abstrusarum rerum, futurorúmque successuum cognitionem sollicitavit : Ope dilucidi speculi principem tenebrarum, & Acheronticas larvas consuluit : veritatem edoceri cupiens à Patre mendaciorum, quódque in fragili eo vitro observabatur, firmiùs quovis adamante credidit. Theatrum v. divinatio f. 225. G. Contrarium prorsus accidit in S. Augustini speculo : illic excellenter delineatæ visuntur religiosæ virtutes, & exemplar absolutæ perfectionis: Illic olivis coronata apparet pax & concordia : *Unanimes habitetis in domo.* Illic Apostolica Paupertas longissimè à compendiis sæculi, & sordibus vanitatum remota emicat : *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Illic charitas cælestibus quibusdam flammulis circumdata sedulò excubat, & ægris suppetias venit : *Eorum infirmitati quod opus est, tribuatur.* Illic affectus extaticâ agilitate cælum versus enituntur : *Sursum cor habeant, & terrena, ac vana non quærant.* Illic demissio viget etiam inter sublimes generis claritate, vel Doctrinæ præstantiâ : *Studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum Societate gloriari.* Illic in assiduis precationibus fervet spiritus : *Orationibus instate horis & temporibus constitutis* : Illic veneratio divinæ domui debita sarta tecta conservatur : *in oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est.* Illic frugalitas, & pallida sobrietas rebellem carnem subigens in altum emergit : *carnem vestram domate jejunijs & abstinentiâ* ; Illic Modestia in amictus & corporis compositione elucet : *in incessu, in statu in habitu, nihil fiat, quod cujusquam offendat adspectum.* Illic munditia exterior, & interior procuratur : *Lavacrum etiam corporis, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur.* Illic reverentia & obsequendi paratus animus erga Prælatum : *Præposito tanquam Patri obediatur.* Verbo, illic virtutum omnium chorus sedem fixit : *Donet Dominus ut observetis hæc omnia.*

946 Eruditus quidam expositurus ingentem commiserationem, qua S. Paulus integerrimè afficiebatur in quoscunque, ita ut, quantùm permiserant leges divinæ, omnium genijs, ac indigentijs, inclinationibus ac miserijs quàm studiosissimè attemperaretur, speculum proposuit cum gnomâ: *omnibus omnia* : quibus verbis Apostolus ipse utitur. 1. Cor. 9. v. 22.

omnia-

omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Quod elogium proprie ipsi competere testatur S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. quoniam Verbo & Opere, doctrinâ & exemplo, *heris ac servis leges statuit, præfectis ac subditis, viris & mulieribus, parentibus & liberis &c. pro his gratias agit, illos perstringit, nunc virgam minatur, nunc lenitatis spiritum offert, nunc sublimibus elatum, nunc humilibus humilem se præbet, &c.* Porro, quis memoratas speculi proprietates non videt, non admiratur in Regulâ S. Augustini? omnibus namque se accommodat, omnibus subvenit, omnibus salutis tramitem præmonstrat, & oscitantes extimulat, errantes revocat, languentes animat, ac promovet cunctos in virtutibus. ipsa instruit nobiles ac plebeios, docet Canonicos ac Conversos ut vocamus laicos, vivendi formam præscribit sanis & ægrotis, ad orationes & studia hortatur, jejunia suadet, dapes divinis scripturis jubet condire, continentiam oculorum urget, modestiámque omnigenam: Præsides vult eminere autoritate integrâ, subditos iis submitti ad obsequium? quid plura? fit ***omnibus omnia, ut omnes faciat salvos.***

Exodi 38 refertur: positum fuisse à Moyse vas æneum prægrande circa circum, ut Magnus Gregorius arbitratur, speculis, quæ Hebræorum Matronæ religionis causa obtulerant, ornatum, ante tabernaculum: *fecit & labrum æneum cum basi suâ de speculis mulierum.* Non caret profundo mysterio, quod aquis concham illam implentibus addantur specula, nimirum, ut Sacerdotes, sacrique ministri reliqui, antequam sacrificiis operam darent, contemplarentur in speculis & vultum & vestimenta sua, atque mox cum labem, defectum, aut sorditiem alicubi deprehendissent, præsentibus his extergerent undis, purique ac tanto mysterio digni evaderent. Sed longiùs progreditur S. Gregorius, & inquirit, specula illa quid tandem pro instructione mysticâ designent? respondet: *specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper adspiciunt cogitationum vitia corrigunt, &c.* hom. 17. in Evangel. Quod verò S. Pontifex de divinis præceptis censuit, in documenta & consilia regulæ nostræ apprimè convenire arbitror: Illa enim non unum duntaxat speculum est, sed plurium speculorum gratiosus quidam consensus & symmetria: quot videlicet distinctæ virtutes inibi exprimuntur. Specula sunt, quæ tacendo etiam altùm perorant, atque ad religiosæ perfectionis desiderium, studiúmque permovent, quæ muta quidem sed validissima reprehensione sceleratos persequuntur, ad meliorem frugem invitant, ad errores comissos lachrymarum fonte eluendos, & futuros declinandos provocant. *Vbi autem quicunque vestrum viderit, aliquid sibi deesse doleat de præterito, caveat de futuro.*

nn 2 Aquam

948 Aquam speculis associavimus, sed quod admirabilius experimur, rarâ quadam sympathiâ, è medijs speculis ignem parturiri: sic refert Majolus tom. 1. colloq. 23. Archimedem super mœnia Syraculana disposuisse æneа quædam specula, eorúmque concavitate receptis ac confortatis solaribus radijs tot flammas vibrâsse, ut Navalem exercitum M. Marcelli funderet: omnémque bellicum apparatum in cineres redigeret. Similiter memoriæ proditum est, Proculum excellentem Mathematicum disposuisse in muris Bizantinis specula ustoria, & ingentem classem Vitaliani truculenti Thracis evertisse. Hujusmodi speculis pro Emblemate positis varia lemmata solent adscribi: nunc *è luce ardor*. Nunc: *& durissima cedent*: modò: *communi non igne*, modò *per te splendeo & accendo*. Speculum esse S. P. Augustini Regulam jam audivimus, non ambigo, quin appellari possit Causticum, utpote quod æterni Solis radios & virtutem altè imbibit, nec minùs fortiter splendores caloréſque spargit ad illustrandas fidelium mentes, & optata incendia cordium suscitanda, vitiorúmque quisquilias funditus abolendas. Quapropter de S. Augustino Regulam manibus præferente haud vanè asseri poterit: *in dextera eius ignea lex*. Deut. 32. v. 2. nec subditis deest causa Augustum Patrem alloquendi ex Psal. 118. v. 140. *ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud*. Denique repetere licet elogium in Eliam Ecclef. 44. v. 1. quondam recitatum: *surrexit Elias quasi ignis, & verbum eius, quasi facula ardebat*. Unde non immerito Devoti Augustini Clientes corusco lumine, & vivo ardore repleti implorant, & quodammodo S. Patrem adjurant in Laud. off. S. P. August.

Qui legentum sensa reples
Lucis almæ Lumine
Qui sequentum corda transfers
Charitatis fulmine
Fac eisdem luceamus
Et flagremus ignibus.

949 Quod si ergo Regula S. Augustini speculum quoddam est, palam ostendens *corrigenda aut probanda*, si amænam virtutum congeriem sinu suo exhibet, quibus cor nostrum sit excolendum, ac instruendum, si stupendâ efficaciâ, & flexanimâ dexteritate singulorum quærit emolumentum, si animæ lavacra suaviter insinuat esse frequentanda, si cælestes flammas dispergit ad emolliendam animarum glaciem, ad rubiginem abstergendam, ad innovandos spiritus, ad ignes Seraphinorum alijs subministrandos,

dos, ut doctrina indelebiliter insideat memoriæ, *ne per oblivionem aliquid negligatur, semel in septimanâ vobis legatur.*

Tradit S. Cyrillus Alexandrinus l. 9. de adorat. in spir. & Procopius in Exodum: Patronas Ægyptiacas, veste candidâ ipsis Sacrâ indutas, sinistrâ manu speculum, dexterâ verò musicum instrumentum, quod sistrum nuncupant, tenentes, templum adire consuevisse. Nobis profectò, qui candori habitûs externo animæ puritatem ac munditiem jungere debemus, convenit, præferre manibus laudabilium & exemplarium morum sistrum, & unà speculum nostræ Regulæ, quò perpetim obtutum reflectamus, & docebit, sive Ecclesia adeunda, Deòque nostro supplicandum: *Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Sive prodeambulandum in forum & compita, caveamus, ne status noster, *cujusquam offendat adspectum*, sive mensæ accumbendum, ut silentium arctum servetur, & *non solùm fauces sumant cibum, sed etiam aures esuriant Dei verbum*; sive Divina administranda sint Sacramenta, & versandum inter sæculares, suggeret: *oculi vestri etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, in nullam figantur*: sive tractandum sit cum Prælato, *tanquam Patri obediatur*: sive superior conferatur cum subditis: *à vobis plus amari appetat, quàm timeri.* Ut verbo complectar, pro ultimo obligationum nostrarum sigillo jubebit nos Divinæ Majestati referre gratias pro donis collatis, & veniam precari super culpis admissis, atque ita fiet, ut anima crebro speculi hujus usu ab omnibus nævis expurgata, & lectissimis gratiarum gemmis ornata evehatur ad nuptias agni immaculati.



Ex

CAPITE XII.

Ubi inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes agite gratias DOMINO bonorum omnium Largitori.

Omnia bona à DEO profluere.

DISCURSUS LXXXXVI.

951 HOmerus Græcorum Salamon, omnium Poëtarum Princeps, oculorum quidem captus lumine, sed eò acutiori usus intellectu, censuit nullam aptiorem Solis effigiem statui posse, quàm monstrosi illius Briarei centum omnino brachiis armati: quo commento ingeniosissimus vir abunde declarari credidit incredibilem Solis efficacitatem. Certè quocunque animum, oculósque convertas, sive ad infima hæc elementa, sive ad excelsas astrorum sphæras, videbis Solem operari mirabilia: si maturæ flavescunt segetes, & auro cerant, si uvæ turgentes è vitibus pendulæ saphiros imitantur, & pyropos: si poma in autumno se purpurâ magnificè vestiunt: si ficus sub mundus exuviis, mellis dulcedinem abdunt; omnia hæc munera sunt & beneficia Solis. Quod pretiosissima metalla, aurum, argentum, & alia in terræ visceribus excoquantur, quòd tantâ varietate superbiant gemmæ, quòd carbunculus ardeat, adamas prænitidus ferro non cedat, hyacinthus & thyites cæruleam faciem cæli amœni referant, quòd Smaragdus, beryllus, & jaspis virore suo tantopere visum exhilarent, ex munificentiâ Solis derivatur. Quin etiam in ipso firmamento, quantùm collucent astra, Solis majestatem & beneficentiam efferunt, ut qui *in omnibus splendet*.

952 Verùm maxima licet videantur effecta, quæ producit in corporeis rebus almus Sol, exigua tamen censenda sunt, si conferantur cum iis, quæ gloriosus DEus in fidelium mentibus operatur, ideóque ab Ecclesiâ de carmine invocatur

Verùs.

Verúsque Sol illabere
Micans nitore perpeti.

Cuncta etenim virtutum lumina, tota sanctimonia, & perfectio religiosa ab ipso impertitur, ut gratus agnovit, docuítque B. Jacobus c. 1. vers. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Quapropter S. Augustinus, sive proponenda sint plura heroicarum virtutum capita in regulâ comprehensa, protestatur, eorum observantiam luculentum esse donum Numinis: *Donet Dominus, ut observetis hæc omnia;* sive lætus advertat, fuisse in usum deducta, operéque completa, quæ præceperat, seriò injungit, ut Authori bonórum DEO mille grates rependantur: *Ubi vos inveneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium Largitori.* Quod ipsum monuerat Apostolus Philipp. 2. v. 13. *DEus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere.* De quo pluribus jam disserendum erit.

Viderat S. Paulus, illa Ecclesiæ columna, organum & lucerna, vi- 953
derat monstra Acherontica, quæ principes appellat tenebrarum, passim tendere insidias Dei famulis, & perniciem machinari: sed ferre non poterat occupari inermes, proin ad arma conclamat, & vim vi repellendam animat: *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem sed adversus Mundi rectores, tenebrarum harum: propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.* Ephes. 6. v. 12. Macti animis, generosi milites, præcingite lumbos vestros balteo castitatis, loricam justitiæ induite, pedes obarmate calceis Evangelicæ paupertatis, apprehendite scutum fidei, & galeâ spei caput munite, gladio Verbi Divini impigrè dimicate, sagittas emittite ardentium precationum, labores nolite fugere, & gloriosam victoriam, hostibus in fugam conjectis, obtinebitis. Si verò rogatis, in quo igitur præcipua vestra fiducia collocanda sit? in Deo solo respondeo, atque in potentiâ ipsius penitùs inexpugnabili: *Confortamini in Domino, & potentiâ virtutis ejus* Ex quo autem armamentario promendus militaris iste apparatus? è cælo dices; *accipite armaturam Dei.* Sub cujus signis ac directione prælium inibimus? Reponit S. Gregorius Nyssenus orat. 2. in Quad. *Dux horum cælestis gratia*, insuperabilis illa Amazon. Ita tum spes salutis cælo nititur, tum arma à Deo subministrantur, tum ipsa certaminis directio sollicitanda est desuper ab eo, *qui dat velle & perficere*, imo qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum JEsum Christum. 1. Cor. 15. v. 57.

954 Idem Apostolus commemorans, quos labores exantlarit pro fidei dilatatione, nec ulli Apostolorum in solertiâ indefessâ concesserit, statim atque edixit: *abundantius illis omnibus laboravi.* 1. Cor. 15. v. 15. subdit: *Non ego autem sed gratia Dei mecum*: plurimum quidem operæ in gentibus ad salutis semitam perducendis contuli, sed vires suffecit Dominus, & qui gratiâ suâ prævenit, ut iis laboribus feliciter perfungerer, corroboravit. In actionibus meis solus non fui, sed excitavit Deus, ut vellem, confortavit, ut perficerem. Fatetur Tharsensis Præco, inquit Clarevallensis Abbas tract. de grat. & lib. arbit. *Se non solùm operis esse ministrum per effectum, sed & operantis, quodammodo socium per consensum.* Hunc sensum altè imbibatis velim, O mei Canonici, si forsan plus cæteris Dei gloriam proximique salutem zelatis, si solito amplius laboratis in choro, ad aram, in Sacramentis administrandis; si soli sustinetis onus, seu scholasticam tradendi doctrinam, seu Verbum Dei in Ecclesiâ annuntiana, ut verè dicere liceat uni alterive, *plus omnibus laboravi.* Quæso, subjiciat illico talis: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum*, quia Dominus dat nobis *velle & perficere*, cui proinde ex cunctis operationibus nostris humillimas grates tenemur referre tanquam *bonorum omnium Largitori.*

955 Non injucunda est reflexio Melliflui Bernardi super ordinem, quo Apostolus producit virtutes, quasi in diribitorium, agmine sic instructo 1. Cor. 6. *In jejuniis, in castitate, in scientiâ, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non fictâ, in verbo veritatis, in virtute Dei.* Non sine Mysterio Paulus medium ponit Spiritum Sanctum, innuere volens, omnes virtutes ab eo vigorem, valorem, ac robur depromere: *Vide*, inquit Bernardus Tract. de vit solit. *quomodo tanquam omnia facientem, ordinantem, vivificantem, in medio bonorum virtutumque, sicut cor in medio corporis, constituit Spiritum Sanctum: Ipse est enim Omnipotens Artifex creans hominis ad Deum bonam voluntatem, Dei ad hominem faciens propitiationem, formans affectionem, dans virtutem, juvans operationem, agens omnia fortiter, & disponens omnia suaviter*, hæc Bernardus. Et verò nubes est Spiritus Sanctus totius horti floridas virtutes irrigans; flumen est, Civitatem Dei mirificè recreans; supremus Dux belli est, exercitum ad pugnam sapientissimè moderans; Sol est, in medio sphærarum luminis favores dispensans; Cor est, è centro pectoris in reliqua membra diffundens calorem & vitam.

956 Laudatus & omni laude superior gentium Doctor exponit alicubi, quantum operationes nostræ vitiosæ, & ad libellum Mundi compositæ di-

stent

ſtent ab actionibus juſtitiæ & Sanctitatis: de prioribus ita diſſerit: *Qui ſeſeminat in carne ſuâ, de carne & metet corruptionem.* Gal. 9. v. 8. Qui genio indulget, cuticulam curat, & quaſi ſementem ſpargit iniquitatum, ſcandalorum, crapulæ, laſciviæ, voluptatum, &c. næis alium fructum non colliget, niſi ærumnas & interitum. At verò de operibus ſanctis, de orationibus, jejuniis, eleemoſynis, vigiliis affirmat ſimpliciter: *Qui autem ſeminat in Spiritu*, non adjungit ſuo, *de Spiritu metet vitam æternam*, ut apertè indicet, culpas & perverſos mores eſſe peſtilentes fructus depravatæ voluntatis noſtræ, actiones verò laudabiles, defæcatáſque virtutes ex calore Spiritûs Sancti generari, qui *dat nobis velle & perficere.* Audiatur S. Hieronymus in hunc locum: *Obſervandum*, ait, *quòd, qui ſeminat in carne, cum additamento ſuæ carnis ponitur, qui autem ſeminat in Spiritu, non dicitur in ſpiritu ſuo, ſed ſimpliciter in ſpiritu, qui enim bona ſeminat, non in ſuo quippiam, ſed in Dei Spiritu ſeminat, de quo & vitam æternam eſt meſſurus.*

Altiora Pauli documenta hactenus conſiderata haud mediocriter elucidat, firmátque eximium illud Elogium, quo Patriarcha Iſaac filium ſuum 957
Jacobum Gen. 27. v. 27. condecoravit. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri, cui benedixit Dominus.* O quàm rara, quàm pretioſa fragrantia è ſinu & veſtibus chariſſimi mei filij exhalatur! integras ſecum geſtare videtur thecas odoriferas, quantam ſpirare poteſt ager ſuavitatem, hortúsve floribus conſitus, & frugum copia ſpectabilis, unitam ſentio totam in nato. Benè habet, alium novimus eſſe florem vitis, commentatur S. Gregorius hom. 6. in Ezech. 8. quidem pollicetur liquorem validum, qui curas pellat, & corda perfundat lætitiâ, alius flos eſt oleæ, unde profluunt pingues & luminoſæ partes pietatis ac miſericodiæ; alius eſt flos roſæ, quæ ſolatur mæſtos, & purpurâ exornat illuſtres Martyres; alius flos eſt lilij, quod argenteam pompam explicat puritatis illibatæ; alius flos eſt violæ, adumbrans demiſſionem animi; alij denique ſunt flores frumenti pro ſymbolo conſummatæ perfectionis. Tota hæc gratiſſima odorum varietas in campo illo ſive animâ juſtâ conjunctim occurrit, non quòd ſuâpte naturâ iis prærogativis gaudeat, ſed quia benè precatus eſt Dominus, ac fœcundavit: *quia ager hic has virtutes in ſemetipſo non habet*, vox eſt Gregorij, *adjungitur, cui benedixit Dominus.* Nec diſſentit aureus Eccleſiaſtes, etſi aliam inſtituit comparationem; quemadmodum pluviæ in hortum delapſæ unius naturæ aqua eſt, varia tamen efficit, tribuens candorem lilijs, roſis ruborem, purpuram violis, dulcedinem ficis, & amari-

tiem absynthio, ita ait Chrysostomus in c. 4. Joan. *Divinus quoque Spiritus*, sive gratia cælestis, *de cælo descendens nutrit ac vivificat animam, cúmque unus sit, varijs operationibus gratiam dividit, ac virtutem.* Et quamvis variè sua dona distribuat impertiendo puritatem virginibus, afflictis patientiam, Martyribus fortitudinem, Sapientiam Doctoribus, &c. ille nihilominus solus est fons & origo diversorum charismatum, cui uni debetur gratiarum actio ceu *bonorum omnium largitori.*

958 Memoratu dignum est consilium, quod Spiritus S. Proverb. 5. suggerit; *bibe aquam de cisternâ tuâ.* Doctissimus Cardinalis Cajetanus opinatur, per aquam illam intelligendas esse possessiones, fructus & redditus ex fertilitate propriæ terræ collectos. S. Hieronymus, S. Chrysostomus, V. Beda, Hugo Cardinalis & alii existimant, per aquam cisternæ designari filios, legitimo thoro susceptos, fulcra familiæ, parentum delicias. Utraque expositio aquas agnoscit non è fonte aut puteo, verùm de cisternâ haustas, quæ nimirum non scaturiunt è terrâ, ut fontanæ vel puteales, sed descendant è nubibus, è cælo suam Originem trahunt, ut appareat, cæteros quoque fructus arborum & agrorum, metalla item ex fodinis eruta, à munificentissimo Deo profluere, quod ipse testatur per Oseam: *Ego dedi eis frumentum & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi & aurum.* Pariter & liberi humanâ operâ procreati dona sunt Numinis, uti prima parens, cum primogenitum parturiret filium, dicebat: *possedi hominem per Deum.* Gen. 4. v. 1. Et Jacob sermonem cum Esau fratre de prolibus suis miscens: *parvuli sunt*, ajebat, *quos donavit mihi Deus.* Gen. 33. v. 5. subscribit regius Vates Psal. 126. v. 3. *Ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris.*

959 Exoticâ phrasi utitur Psaltes, cum dona gratitudinis affectu offerenda Deo describit Psal. 67. v. 30. *à templo tuo in Ierusalem, tibi offerent Reges munera.* Ubi observat B. Bruno, munera non aliunde adduci in templum, sed tolli ex ipso templo, Deóque humiliter consecrari: *non dicit, quod in templo offerent munera, sed quod è templo suscipient munera, quæ offerent.* Mira donatio, qua Deo præsentatur in largitionem id, quod antea jam proprium erat Dei. Nonne satius erat, ex ærarijs, domibus, vel gregibus munus seligere in arâ locandum, quod denique fuisset aliquid donare? sed evolvamus reconditam veritatem, & fateamur Sacrosanctum templum esse Salvatorem ipsum, *in quo*, testante Paulo, *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis*: Coloss. 2. v. 9. de quo Dominus ipse Joan. 2. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Pretiosæ do-

natio-

nationes sunt gratiæ, variæque virtutes, effusâ manu fidelibus communicatæ: unde legimus Psal. 47. *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Reges sunt Apostoli, cæterique justi, tum se, tum alios exactè gubernantes. A templo igitur, hoc est, ab ipso salutis nostræ assertore capiuntur munera, quæ dedicentur, quoniam nihil dignum occurret in nobis quod offeramus Deo, nisi benignissimus Dominus ultrò antea consignarit: *isti ergo Reges*, scribit S. Bruno, *de hoc templo suscipiunt omnia munera, quæ Domino offerunt, & ea munera, quæ de hoc templo non suscipiuntur, Domino offerri non possunt.* Enimverò illustravit S. Augustinus Ecclesiam mirâ suâ doctrinâ, impendit divinis obsequiis aciem perspicacis intellectus, sed cælitùs ea prius suscepit, nam *implevit eum spiritu Sapientiæ & intellectus.* Eccles. 15. v. 5. Multa Martyrum millia fuderunt sanguinem pro fide, prostraverunt hostes, se ipsos DEO anathemata sacrârunt, sed robur indidit Deus, qui *vincit inter Martyres.* Ardore Apostolico rebus humanis perenne repudium remiserunt, omnémque sæculi fastum proculcarunt pedibus Antonij, Francisci, Cajetani, sed impulit Deus ad abdicationem tam heroicam. Odora castitatis tempe plantarunt Brigidæ, Gertrudes, Theresiæ, sed induxit, confortavítque Nazarænus, & universè omnes *de hoc templo suscipiunt munera, quæ domino offerunt bonorum omnium largitori.*

Acutè Bernardus ad notavit, vix Sacram Sponsam gloriatam fuisse lectulo seu corde ac conscientiâ, gratissimis floribus consito; *lectulus noster floridus.* Cant. 1. 16. Cùm illico cælestis Sponsus, dubium, vel vanitatem sublaturus addit, *ego flos campi & lilium convallium.* Cant. 2. 1. ac si apertè diceret: neutiquam me latet, optimè in te olere flores humilitatis, castimoniæ, charitatis, obedientiæ, modestiæ, devotionis, &c. sed flores ejusmodi rarâ venustate ac fragrantiâ lectulum exornantes non fuêre hîc prognati, sed ab eo traducti, qui flos campi, & lilium convallium prædicatur: inde provenit omnis decor & elegantia lectuli, inde pretium & ornatus conscientiæ derivatur. *Infert Sponsus*, scribit Mellifluus Doctor serm. 47. in Cant. *se esse florem campi, nec de thalamo sane prodire flores, sed de campo, & suo munere, & participatione fieri quod retinet, & quod redolet.* 960

Supervacaneum foret huic asserto probando plura agglomerare, cum ipsa Incarnata sapientia Joan. 15. v. 4. manifestè pronuntiet: *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, ita & vos, nisi in me manseritis; Ego sum vitis, vos palmites, qui manet* 961

in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Quid clariùs dici aut cogitari potest ad propositum thema? palmes à vite separatus exarescit, non germinat, nec quidquam prodest, nisi ut ignem nutriat, non nisi adhæreamus filio Dei, atque inde succum vitalem vigorémque attrahamus, emarcescemus steriles meritorum, & inglorij. Quapropter induco submissum Davidis affectum, & conversus ad Deum meum alto suspirio anhelo pro coronide discursûs; Cùm nihil penitùs ex viribus meis valeam, & labi possim, non surgere, deflectere à vitâ salutis, non reverti, in errores præcipitari, non resipiscere, & verò pro meâ infelici conditione instar stolidæ ovis perditionis cucurri semitam, *erravi sicut ovis, quæ perijt.* Psalm. 118. v. 176. Superest, ut ingemiscam cum S. Ambrosio lib. de bon. Mort. c. ult. *Quære servum tuum Domine JESU, ut sequamur, accersi, quia sine te nullus adscendit, tu enim via es, veritas, & vita, suscipe nos, quasi via, confirma, quasi veritas, vivifica quasi vita.*



Ex

Ex

CAPITE XII.

Ubi vos inveneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium Largitori.

DEO bonorum operum Auctori gratiam eſſe referendam.

DISCURSUS LXXXXVII.

PRovidè ſapientérque diſpoſuit Sancta *Mater* Eccleſia, ut opimi beneficiorum proventus aſſignarentur ijs *Prælatis*, qui dignitates & titulos ſuos in terris infidelium poſſident, ut eâ ratione ex unius opulentiâ ſubveniretur alterius neceſſitati & ſplendor ac Majeſtas Eccleſiaſtica utrinque quàm devotiſſimè conſervaretur. 962
Ita pariter Monarchis ſæculi, alijsque regiminis clavum tenentibus par eſt à ſubditis tributa perſolvi, cenſus, vectigalia, & alias id genus collationes, ut quemadmodum omnes tutelâ eius ac protectione perfruuntur, ita ſinguli ad exercitus alendos, & ſimiles expenſas publicas pro viribus contribuere conentur. Carolus V. quâ erat animi magnitudine, donavit integrum quoddam regnum cuidam Africæ Principi, in memoriam autem agnitionémque perpetuam liberaliſſimi muneris pactus eſt annuam peregrini falconis penſionem. Quid jam dicamus de munificentiſſimo Deo noſtro, tot beneficijs nos indies augente? quam remunerationem præſtabimus? Sanctus Auguſtinus altius ſecum reputans, quod Originem virtutum, deſiderium primum & ultimam executionem laudabilium operum Divinæ bonitati debeamus paternè nos cohortatur: *agite gratias Domino bonorum omnium largitori.* Quo ſenſu eleganter dixit Seneca l. 2. de benef. c. 2. *qui gratè beneficium accipit, primam eius penſionem*

nem solvit, & S. Ambrosius lib. 1. de Abraham prorsus ad rem nostram advertit, Divinæ liberalitati respondendum esse gratitudine, cujus beneficia aliter compensari nequeant. *Dei largitas*, inquit, *piè usuaria est.*

963 Psalmographus cunctas res creatas, ut Opifici & Conditori suo gratum carmen pangant, plenúmque chorum junctis viribus instituant, ardenter invitat: *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.* psalm. 144. 10. Quod unum similiter in votis erat Hebræorum Juvenum, cùm inaudito Divinæ Providentiæ prodigio, per medios undantium ignium vortices illæsi ambularent, tripudiarentque, lætâ voce cantantes: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Dan. 5. v. 57. Verum quî laudes persolvant, & gloriam Dei annuntient res innumeræ sensûs, & intelligendi facultatis, & ejusmodi organorum expertes? Quo pacto Divinam Magnificentiam celebrent, mugitus boum, balatus ovium, ululatus luporum, rugitus leonum, elephantorum barritus, equorum hinitus, canum latratus? *Quomodo*, rogat incognitus in psalmum allegatum, *omnia opera Dei confiteri Domino, vel ipsum laudare possunt, cùm non omnia opera Dei habeant cognitionem & intellectum, sine quibus laus esse non potest?* Sed si verè, quod diverbio circumfertur, *opus laudat artificem*, creaturæ autem ab Authore suo excellenti perfectione ditatæ fuerunt: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. v. 31. *Omnia opera Domini*, exponit locum citatum S. Bruno, *confitentur & laudant Dominum, quia nihil reprehensibile est in operibus Domini.* Pro majori Emphasi addit Hugo Cardinalis in c. 3. Danielis, plures creaturas equidem naturâ suâ mutas esse & elingues, humano tamen ore in Conditoris Encomia erumpere, *quia cùm videmus aliquid in Mundo pulchrum, & honestum inde Deum laudare, & gratias ei referre debemus.* Et verò ipse Regius Vates difficultatem omnem amovet; cum hemistichio mirabili: *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua*, mox annectit, *& Sancti tui benedicant tibi*, quasi diceret, omnes res naturales hominis servitio fuisse destinatas, decere proin, ut omnes humanâ linguâ devotum & obsequiosum Authori suo tributum pendant, atque ita, *si per se propriè DEum laudare non possunt, laudent tamen per homines*, ait incognitus, solvuntque eâ ratione fœnus ingentium beneficiorum, à manu Divinâ cumulatè in se effusorum.

964 S. Petrus Chrysologus accuratè quorundam agricolarum verba trutinat in Evangelio, qui satis jam certi, rus suum quorundam invidiâ ac malignitate infestatum, & lolijs ac zizaniis repletum esse, herum convenerunt, amarè conquesti: *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* En, ipsimet fuêre servi, qui callosis manibus,

nibus, junctis ad aratrum bobus coluerunt terram, qui fundum à loliis lappisque repurgârunt, qui lectam sementem sparserunt, & peracto satu innovârunt, agrumque complanârunt; nihilominus nihil laudis sibi arrogant, omnem conatum & operam adscribunt Domino, dicentes: *seminasti, non seminavimus*, inquit S. Chrysologus serm. 1. *Quoniam nos, quod per te facimus, tibi semper nostro assignamus authori, nos præter tuam gratiam nihil habemus.* Idem S. Cæciliæ fuerat sensus, cùm corda Tiburtij & Valeriani felici semine tum fidei, tum castimoniæ fæcundaret; ad JEsum namque conversa, pretiosos eos fructus dedicabat, ipsius largo beneficio collectos. *Domine JEsu Christe seminator casti consilij, suscipe seminum fructus, quos in Cæciliâ seminasti.* Quisquis igitur religiosi nominis homo seu sanctis laboribus exercetur, & propriam carnem aratro disciplinæ sulcando, vitiorumque purgamenta eruncando defatigatur, vel semen Divini Verbi spargit in populum, aut aliis functionibus Apostolicis distinetur, genotari debet Authorem, & principium felicis successus ipsum DEum; gratumque se præbere, ita hortatur S. Augustinus: *Agite gratias Domino bonorum omnium Largitori.*

Religiosam hanc gratitudinem egregiè demonstrârunt senes illi Apocalyptici, qui candido amictu ornati soliis sublimes, regiis coronis conspi- 965
cui, circa thronum assidentes vix audierunt, quadriformes Cherubinos buccinatores fieri ineffabilis sanctitatis, & magnitudinis divinæ, cum ocyus sese immiscentes choro, humi affusi, summâ veneratione majestatem adorarunt: *Et cùm darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, &c. procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, &c. & mittebant coronas suas ante thronum.* Apoc. 4. v. 9. Coronis hisce præmium denotari palam est, ac mercedem, meritis & heroicis gestis servorum Dei promissam, qui hostes suos intrepidè aggressi reportarunt victoriam, superârunt vitia, Mundum & orcum triumphârunt; at nolunt sibi blandiri, vel viribus suis arrogare, quod unicè profluxit ab infinitâ bonitate clementissimi Dei, qui virtutem impertivit & robur inimicos propulsandi: unde Cassiano Arbitro collat. 1. *Necesse est, ut ad Authorem bonorum omnium muneris sui merita referantur*, & ita divinæ liberalitati debitum persolvatur gratitudinis tributum.

Huc dubio procul intenderunt Machabæi, qui, fusis fugatisque Græcis, præter alia præclara religionis ac pietatis monumenta, *ornaverunt faci-* 966
em templi coronis aureis, & scutulis. 1. Mach. 4. v. 57. Egregij militis pariter & belli ducis numeros omnes explevit Judas Machabæus, præstitit, quòd desideres ab optimo Imperatore sive scientia militaris spectetur,

seu

ſeu authoritas, ſive fortitudo in periculis, ſive conſilium & induſtria, ſive denique in conficiendo alacritas, primas tamen meretur integerrima ejus in DEum religio, quòd inter victoriæ gratulationes, animum mox adjecerit templo ſordibus purgando, ſuisque ritibus expiando. Coronis verò & ſcutis ornavit, quòd ſcuta protegant milites in acie, & aureæ coronæ triumphatores condecorent; quia ergo Deus ſecundavit prælium, & victoriam indulſit, ambo dedicata voluit in templo pro perenni memoriâ collati beneficij, ac ſi cum Paulo conteſtaretur 1. Cor. 15. v. 57. *Ipſe dedit nobis victoriam, ipſi ſoli honor & gloria in ſæcula ſæculorum.*

967 Verum ſi quis alius, certè Patriarcha Jacob ingenio fuit ad referendam gratiam propenſo; inſidias fraternas veritus domi, ſecuritatem in exilio quæſivit, & perterritus ab hominibus ſolatium recepit à Deo, & Angelos expertus eſt beneficos, ſuæque incolumitatis apprimè ſtudioſos. Extorris factus in terrâ apertum cælum ſuſpexit, copioſum inde benedictionum imbrem exſpectare juſſus. His favoribus ſupernis ne ingratus eſſet, totum ſe Dei obſequiis devovit, ſaxum in columnam erexit beneficij teſtem perennem, & ſequenti ſe voto obſtrinxit: *Si fuerit DEus mecum, & cuſtodierit me in viâ, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, &c. lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Gen. 28. Itaque ſatis non habuit, in lapide illo veluti obeliſco perpetuâſſe memoriam Divini Beneficij, ſed inſuper declarat animum gratum, ac obſequentiſſimum fore protenus, quàm flagitat gratia, & pollicetur bonorum, quæ copioſa ſperat, decimas perſoluturum gregum, armentorum, & frugum terræ, ut ita repenſet, quoad fieri poſſet, *bonorum omnium Largitori.*

968 Jacobum exemplo ſuo dudum præierat parens noſtra, quæ infante primigenio in lucem edito, O amantiſſime DEus, inquiebat, hic favor eſt ſingularis ab immensâ bonitate tuâ mihi exhibitus, *poſſedi hominem per DEum.* Gen. 4. verſ. 1. Anna Propheтiſſa, abſterſo probro ſterilitatis, prolem concepit, & procreatam appellari voluit Samuelem, quod nomen interpretatur Munus Dei, ſive à Deo donatum. 1. Reg. 1. Moyſes videns Ægyptios cum omnibus bellici furoris inſtrumentis, & apparatu Arabici ſinus voragine abſorptos, Iſraelitas verò jam ſalvos & incolumes in littore conſiſtentes epinicium intonuit: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt.* Exod. 15. v. 1. David mille periculis ereptus ſono citharæ, & pſalmorum Harmonia itendidem Deo Conſervatori ſuo gratias referebat. Salomon qua erat à puero egregiâ indole, ſoliusque ſapientiæ deſide-

desiderio æstuabat, in somno mirabili vidit speciem æternæ sapientiæ, quæ jubebat optare votis minimè parcis, quidquid allubesceret, cupienti animo; optavit, obtinuit, & quantocyus pro gratâ animi significatione victimas, sacrificia, thymiamata, & incensa voluit immolari 3. Reg. 3. Hebræi Juvenes in æstu ardentis fornacis, roscido quodam delibuti refrigerio, omnes res creatas invitarunt, ad celebrandam Numinis bonitatem. Dan. 3. Judith, patrato heroico facinore, opimas Ducis Babylonij manubias pro suæ modestiæ & religionis affectu Deo victoriæ Largitori pro anathemate & trophæo in templo consecravit. Judith 16. 23. Zacharias, restituto linguæ usu libero, & filio nato Joanne Baptistâ in nobilissimum gratitudinis Canticum prorupit. Luc. 1. v. 68. Languidus ille ad piscinam à Christo salute integrâ donatus, quàmprimùm accessit templum grates debitas persoluturus Domino. Joan. 5. v. 14. Samaritanus quispiam lepræ maculis à JEsu benignissimo liberatus, *reversus cum magnâ voce glorificans DEum.* Luc. 17. v. 25. Utque taceam alios, Sacratissima Virgo, magnis ab Elisabeth affecta laudibus confestim totum in Dei gloriam convertit, dicebat illa: *Benedicta tu in mulieribus*, reposuit Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* pergit agnata subdere: *Benedictus fructus ventris tui.* Perstitit Deipara in eodem tenore: *Magnificat anima mea Dominum.* Exclamavit illa obstupescens: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me.* concludit Virgo: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 1. ac si diceret Lyrano interprete: *O Elisabeth, tu me magnificas, sed ego totum Deo attribuens ipsum magnifacio.* Quod ipsum sanè à Canonicis suis deposcit Magnus Augustinus, ut perpetim, quidquid seu splendidum & sanctum operentur, seu magnificum recipiant, Authorem agnoscant, colántque supremum Monarcham Deum gloriosum: atque adeo, si amabili pace ac animorum concordiâ perfruantur in Monasterio, si opes suas fervore ac paupertate Apostolicâ in communi ærario reposuerint, si Seraphico succensi amore templo deserviant & altari, si frugalitate emineant, cibortúmque parsimoniâ, & jejunijs carnem macerent, si alijs præluceant, Sanctis vitæ exemplis, modestiâ morum, compositione habitus, continentiâ oculorum, si Deum in superiorum personâ intimè ament, ac venerentur, si clarescant sapientiâ, & litterati habeantur, semper debent *agere gratias Domino, bonorum omnium largitori.*

Lege veteri Solennitas indicebatur pro novilunijs, ad beneficentiam Divinam, tum moribus, tum musicis instrumentis celebrandam: *buccinate in Neomeniâ tubâ.* Psalm. 80. v. 3. & volucres audimus, ubi vix pulsis nocturnis tenebris cælum aurora purpurat, pleno choro laudes concinere 969

Autori suo. *Nonno videmus aves*, ait S. Maximus hom. 2. *cùm illucescentem diem aurorâ producit, variâ dulcedine personare?* Quid ergo tergiversentur Canonici Regulares, qui, fugatis sæculi malis, & umbris vitiorum, candore gaudent cælestis felicitatis, & Sole Divinæ pietatis illustrantur? Jubilent Deo, & benedictionis vocibus liberaliter rependant usuram beneficiorum: vestigijs S. P. Ecstatici Augustini inhæreant, sic Deum soliloq. c. 28. alloquentis: *sicut nulla est hora, qua tuo non utatur beneficio, sic nulla debet hora esse, qua te non habeam ante oculos.*

Ex

CAPITE XII.

Ubi, quicunque vestrum viderit aliquid sibi deesse, doleat de præterito, caveat de futuro.

Justum à lapsu surgere Vegetiorem.

DISCURSUS LXXXXVIII.

970 IN famosis illis ludis, varijsque decursionibus, quibus in Siciliæ littore parentavit Anchisæ patris manibus pius Æneas, eruditus Mantuani Homeri calamus robur Daretis ac Entelli mirificè commendat. Dares ætate floridus, animo præfervidus, integer viribus, torosâ cervice, amplo pectore, lacertis validis conspicuus, & petulanter audax, plurimum se jactabat: Entellus è diverso senio quidem confectus, sed in effæto corpore nulli secundus magnitudine animi, tacitus præstolabatur signum: initur certamen, & suo pondere gravis Entellus pedibus vacillantibus, dum ingruentes ictus declinare contendit, præceps corruit humi; nunquid & animo cadit? minimè gentium:

At non tardatus casu, neque territus heros
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat ira, &c.
5. Æned. v. 453.

Indigna-

Indignatione ac robore stimulatus pugnam redintegrat, Antagonistam fugat, funditque, & plausum, ac præmium reportat. O quàm belle depingitur velitatione istâ infelicitas quorundam servorum Dei, qui vitia adorti, & prælio longo persecuti tandem aliquando cedunt, & miserè ab adversario prosternuntur: at pudore & jacturâ vires acuente, rursum hostem aggrediuntur, fortius perferunt insultus, generosiùs pugnant, victoriâ potiuntur, & Deum supremum Agonothetam eâ palmâ insigni honorant. Appositè in rem præsentem Ven. Beda in lib. 1. Esdræ c. 4. *multis subitò errásse*, inquit, *& in flagitia cecidisse, profuit, dum post casum pænitendo erecti vigilantiùs Domino servierunt.* Idem S. Augustinus longè ante consuluit Sodalibus & Religiosis suis, ut si contingeret quempiam Socordiâ, fragilitate, aut incuriâ impingere, & unam alteramvè regularum prævaricari: *doleat de præterito, caveat de futuro*, & ita circumspectior redditus prætotum damnum majori virtutum lucro resarciat, quod modo pluribus declarandum suscepi.

Discursum ordiamur à dubitatione, ut opinor, non ingratâ, quam 971
Salomonis effatum excitare videtur Proverb. 24. v. 26. *Septies cadet justus & resurget.* Quod si culparum maculæ, & frequentes lapsus humanam nostram conditionem nexu quasi individuo comitantur: *per ignorantiam enim*, ut sapienter pro more ratiocinatur Hugo Cardinalis, *vel oblivionem, vel surreptionem, vel necessitatem, vel fragilitatem humanam, vel inviti vel volentes singulis diebus peccamus.* Impetit nos ac impellit malignus hic Mundus adulationibus suis, detractionibus, pravis consilijs, perversis exemplis: perniciem nobis machinatur caro propria, invitat, imo concitat illecebris suis ad voluptates, recreationes, effusam licentiam, ac dissolutionem morum; Stygius Alastor pariter suis insidiatur technis, ad arrogantiam, ad vanam gloriam provocat: iram & impatientiam accendit, culparum laqueos passim prætendit; quæ cum ita habeant, quî potest nobis competere *justi* titulus? verùm probè hæc duo vocabula conciliantur: *cadet justus*, quoniam sicut pila in terram projecta resilit in aëra, & sicut equus generosus, ubi cespitaverit, tarditatem compensat velociori cursu, ita Religiosus ex ipsâ suâ infirmitate vires resumit alacriores, ac veluti alter Entellus *acrior ad pugnam redit*: *Et quamvis justus cadat aliquando*, colligit Hugo, *resurget ad animum redeundo, laqueos vitando, strenuè operando.* Quæ ipsa sententia fuit S. *Paschasij* lib. 2. in Matth. ita disserentis: *cadit quidem justus per varios delictorum excessus, sine quibus nostra mortalitas non subsistit, sed resurgit illico per humilem*

 confessio-

confessionem : alioquin non justus interea censeretur, dum incideret, si non justificans continuò veniam resumeret.

972 Calculum addit Doctor gentium Rom. 8. v. 28. disertè affirmans : *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Famulo Dei emolumentum afferunt adversa corporis valetudo, perfidorum calumniæ, bonorum jacturæ, *etiam ipsum peccatum*, inquit mellitè D. Bernardus serm. 2. in Psalm. qui habitat, *in justitiam operatur.* Quid enim ? subtexit rationem : *Nonne nobis ille casus in bonum, unde & humiliores efficimus & cautiores ?* Certè B. Cyprianus de suæ ætatis Martyribus quibusdam, qui terrore perculsi primùm cessère tyrannorum minis, sed mox resumpto animo palinodiam canentes, intrepidè pro fide Orthodoxâ certârunt, contestatum reliquit lib. 1. Ep. 1. *steterunt fortes & ipso pœnitentiæ dolore facti ad prælium fortiores.* Ita S. Petrus invincibili animi constantiâ, & solidissimæ fidei robore gloriatus, paulò post magistrum abnegat, sed subito ad se reversus lachrymis eluit labem, & tandem pro ejusdem Domini sui gloriâ extrema & atrocissima pertulit supplicia, pilæ agilitatem imitatus, post infelicem lapsum, ad cælum evolans, & in supremum Catholici gregis Pastorem assumptus : de quo rectè perhibet S. Maximus hom. 4. *posteaquam negavit Dominum, fuisse meliorem, fidelior enim factus est; postquam fidem se perdidisse deflevit, atque ideo majorem gratiam recepit, quam amisit.* Obtorpuerat antea Petrus gelido correptus timore, ut frustum glaciei, culparum luto permixtum, postmodum emundatus lachrymis, & fidei roboratus firmitate tersæ ac pretiosæ Crystalli naturam induit, ut dicere valeret : *ex glacie Crystallus evasi.* Ita Thomas Apostolus primùm incredulus, subinde pro fide tuendâ lanceas adverso pectore excepit. Marcellinus Idolis thus adolevit, postea Redemptori sanguinem libavit proprium. Cyprianus initio dæmonis manceps, & magicis immersus artibus, dein conversus ad Christum bullientes aquas, ignem & ferrum superavit ; Franciscus Juvenis mendico denegavit charitatis subsidium, & stipem rogitatam, sed è vestigio pœnitentiâ ductus appromisit, se nemini unquam Dei amore petenti eleemosynam negaturum. Innocentius tertius aspernatus est primâ fronte pannosam Francisci pauperiem, sed cælitus mox edoctus, maximi æstimavit. Ita nimirum *multis subitò errasse, & in flagitia cecidisse profuit, dum post casum pœnitendo erecti vigilantiùs Domino servierunt.*

973 Quamvis centum omnino numeraret ex grege suo oves Evangelicus Pastor, nonaginta novem tamen in eremo palantes deseruit, quæsiturus unicam deerrantem, & extremo vitæ periculo expositam : *Dimittit nonaginta*

ginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat. Luc. 15. v. 4. conquisivit diligentissimè ubique locorum, incredibili cordis jubilo invenit, humeris suis lætus imposuit, & triumphantis instar ad gregem reportavit, felicem dicamus oviculam, quæ privilegio prorsus singulari donatur, ut quietem capiat in scapulis Dei, ad modum amantissimi Beniamini, unde verò tanta prærogativa miri favoris? Sancti Patres & Tractatores Scripturæ uno asserunt ore & calamo, nonaginta novem Ideam esse, ac præclarum justi hominis typum. At ovis errabunda, & in ultimum discrimen adducta, judicio Sanctorum Augustini, Hieronymi, Gregorij & aliorum symbolum est, animæ vitiorum illecebris deceptæ, à Deo procul recedentis, & cæco impetu in perniciem suam properantis. Idcirco aliis à Domino præponitur, quod plus honoris & gaudij consequatur ex peccatore ad meliorem frugem revocato, quisque nævis integrè mundato, quàm ex justis tepidis. subscribit S. Ambrosius serm. 12. in psal. 118. *Non immeritò cæteris antefertur, quia plus est à vitiis se revocâsse, quàm propè vitia ipsa nescisse,*

Vultis probari amplius istud assertum? non ab uno, Lucas cap. 10. 974
r. fert, adolescentem quempiam incautum ac improvidum, paternarum tamen ædium ac disciplinæ impatientem, peregrè abiisse, sed cum solo una mutâsse felicitatem; quippe genio naturæ, ac liberalitati procaciter indulgens, absorbetur voluptatum turpium torrente, & brevì abligurit cum prostibulis, quod attulit patrimonium, ita ut redigeretur ad incitas, nec esset super, quo rabidam famem pelleret. Eâ necessitate paulatim eruditus ad patrem statuit reverti, & optat servis annumerari, ac ultimis Mediastinis. Et ecce vix nuntius de reditu filij ad patrem longævum pervolavit, cùm sine morâ occurrit, brachiis stringit, medullitus dissuaviatur, stolam nobilem afferri imperat, digitoso annulo exornat, lautum convivium instruit, nec quidquam desiderari patitur, quod lætitiam & commune tripudium augere possit. Interea natu grandior frater, nescio, quo negotio confecto, domum revertitur, plausum & symphoniam audit, attonitus hæret, atque edoctus, quod res erat, graviter stomachatus conqueritur, de nimiâ senis benignitate, & effusâ gratiâ in procacem & prodigum Juvenem; cùm ex adverso sibi obsequenti morigero, & constanter, fideliterque servienti nec caprum quidem unquam concesserit, ut epulari cum amicis posset. Sed considerabat iste, jucundius esse invenire rem amissam, quàm tranquillæ facultates domesticas possidere, & magis affici cor paternum flebili illâ resipiscentis confessione. *Pater, peccavi in cælum & coram te*: quàm obsequiis, quibuscunque filij majoris, qua de

re eleganter Tertullianus lib. de pænit. c. 8. *Clariorem senserat*, inquit, *quem lucri fecerat*, atque subjungit, *etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti, magisq; de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate latabitur.*

975 Quo exemplo jure merito erigitur, animóque confidit Religiosus, si suâ infelicitate leges transgressus est Magni sui Patriarchæ, si defecit ab obedientiâ, si alicubi exarravit, instar prodigi, *doleat de præterito, & caveat de futuro*: admissas culpas deploret, animos colligat, virtutum studio alacriùs incumbat, haud vanâ spe fretus, à supremo Domino non minus benignè receptum iri post lapsum, seriámque pænitentiam, quàm si nunquam à tramite salutis deflexisset.

976 Facitora Samsonis majora sunt, quàm ut ego debili meo calamo ea pro dignitate describere valeam. Hercules prodigium Græcæ fortitudinis nostro heroi collatus ne umbra quidem illius appellari meretur. Ipse ferocientem leonem rictu comprehendit, eúmque nudis, & omni armorum præsidio destitutis lacertis frustatim discerpsit, ac si tenellus capreolus foret: Ipse barbarorum multitudine circumdatus asini maxillam fortuito conspectam sustollit, in confertos hostium cuneos irrumpit, & partes ad omnes circumagens imperterritum corpus antrorsum, dextrorsum, lævorsum cædit, sternítque, quidquid infestum obstat, ac mille viros vir unus eâ jumenti aridâ maxillâ conficit. Ipse segetes, vineas, oliveta Philistæorum alligatis ad caudas vulpium trecentarum facibus accendit, & messem destruendo hostilem, sibi gloriæ messem colligit, & vulpibus castigat, qui vulpinis fraudibus se circumvenerant: Ipse excubias Gazæ fugat, & utramque portæ forem cum seris simul & postibus, atque cardinibus evellit, mox humeris ambas sublatas aufert, nemine Gazensium obsistere auso, & Mundo triumphatorem demirante, cui scilicet statuuntur ejusmodi columnæ, quibus celebre Lemma; *Non plus ultra*, æquissimè congruit. Samson tandem moriens, majorem hostium stragem edidit, quàm totius vitæ decursu: Postquam enim Samson cupidine irretitus Dalilæ prostituti corporis fœminæ, in potestatem venit Philisthinorum, crudeliter exoculatus, in carcerem retrusus, trusatilem molam coactus versare, éaque calamitate resipiscens, veniâ criminis à Deo exoratâ, in Delubrum ducebatur Dagonis, ut optimatibus & populo ludat, & saltatione delicias faciat: sed perniciem attulit, post longam etenim ludificationem duas columnas, quibus ædificium incubabat, invocato in auxilium Numine, aggressus succussione semel & iterum repetita, terribiles inter fragores, pilas, tabulata, tectum, solarium, omnémque templi molem in vestigio temporis in ruinam trahit, & ingentem spectatorum numerum unâ secum opprimit.

De

De quâ stupendâ victoriâ Bachiarius Ep. de recipiend. lapl. scribit: *Quem cùm in sui perniciem mulieris blandimenta vicissent, postmodum in fine obitûs sui majorem inimicorum exercitum prostravisse, quàm ante, quando Nazaræus, hoc est, immaculatus fuerat, reperitur.* Hinc si nomine suo denotat Solem, Samson quippe Hebræis idem sonat, ac *Sol ejus*, Sol iste post funestam & obscuram ecclypsin captivitatis, cæcitatis, & extremæ calamitatis, tandem emersit illustrior, & gloriosior, ut adscribere liceat: *Ex Ecclypsi clarior.*

Unde quemadmodum Sponsa de semetipsâ ingenuè profitebatur, Cant. 1. v. 4. *Nigra sum sed formosa.* ita Samsonis animâ, & alia quæcunque pænitens, lapsus suos & errata plangens atrocem non abscondit, maculas facieij deplorat, *Nigra sum*: sed excitata suæque negligentiæ pertesa nævos eluit, nec jam Æthyopissam refert, sed bellissimâ oris gratiâ dotatur, nimirum quæ Theodoreti est interpretatio: apparet *nigra ob superiorem impietatem, pulchra verò propter pænitentiam* 977

Quapropter O mei Canonici, si quidem me auditis, & advertitis, labe quâpiam contaminatum esse internum candorem vestrum, omni studio satagite, crebris lavacris extergere ac emundare. *Necesse est*, inquiebat Magnus Leo Pontifex Maximus, *etiam de mundano pulvere religiosa corda sordescere.* Si nævum vos contraxisse sentitis, nulli labori sudorique parcite, dum puritatem amissam ex integro reparetis, & insigni augeatis, jugi virtutum excitatione, incremento. 978

Observans Filius Dei, Angelum Ephesi, sive Thimotheus is fuerit S. Pauli Discipulus, sive Onesimus, postea Martyrij laureâ insignitus, sat longè à primævæ charitatis fervore recessisse: *habeo adversus te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Apoc. 2. v. 4. suavi hac ratione instruit, & consilium suggerit: *Memor esto itaque, unde excideris, & age pænitentiam, & prima opera fac*: ubi revocaveris in mentem, pristinum statum, obstupesces, quòd adeo virtutes tuæ emarcuerint, sed pensa jacturam, & pro virili allabora, ut compenses, indue affectus primos, & laborem nullum subterfugiendum esse scito, sive enim doctrina Evangelica sit disseminanda, sive auxilium egenis ferendum, priores resume animos, heroicis actionibus insiste, & repara, quòd tuâ socordiâ prætermisisti: *Memor esto*, exponit Lyranus, *à quanto gradu charitatis excideris, & de omissione tanti boni age pænitentiam.* 979

Quoniam verò justorum defectus nobis sacra pagina proponit, ut condiscamus ex factis eorum, translactæ vitæ peccata ex intimis medullis detestari, & saniora sequi consilia: *Per Sanctorum lapsus*, dicit Victor 980

Antio-

Antiochenus in c. 10. Matth: *Quos divina Scriptura ob oculos ponunt, admonemur, ut fortè quid simile passi, seduli pœnitentiæ illorum imitatores simus.* Ideo, *quicunque vestrûm*, subjungam cum S. P. Augustino, *viderit, aliquid sibi deesse doleat de præterito, & caveat de futuro*; quicunque nostrum reum se transgressionis agnoscit, defleat è vestigio, & deprecetur culpam, revertatur solicitè ad perfectionis semitam, diligentius sese in virtutum palæstra exerceat, & veluti bonus Christi miles: monente S. Gregorio: *dama præterita lucris præsentibus recompenset.*

Ex

CAPITE XII.

Quicunque vestrum viderit aliquid sibi deesse doleat de præterito.

Pœnitudine resarciri damna elapsæ vitæ.

DISCURSUS LXXXXIX.

981 IGnis voracissimum illud ac insatiabile elementum, sylvas sæpenumero, ac ingentia devastat oppida, & in cineres redigit objectum pabulum, attamen non semper in aliorum perniciem dentes acuit, sed aliquando vim suam & violentam rabiem coërcet, ut videre est in rubo Moysis, & in celeberrima veteris Babylonis fornace, ubi ardorem continuit, non combussit, quamquam nihilominus uberes emiserit splendores, & locum egregiè illustrarit. Quin Poëta quoque prodidit, ignem feliciter grassari in stipulas succensi campi, & agro commodare plurimùm, humidis terræ excrementis consumptis, reseratis poris restinctâ vitiosâ germinum luxurie, ac cinere tanquam fœcunda stercoratione in arvis relicto. Sic Virgilius Georg. 1. v. 40. Cant.

Sæpe etiam steriles incedere profuit agros.

Pariter

Pariter testatur S. Joan. Chrysostomus in 1. Thess. l. c. 4. Magnum præstari emolumentum ab igne statuæ æreæ, nec interitum ut imperitus arbitrari possit, sed ornatum, ac scitam Novitatem conferri: *statua*, inquit os aureum, *quæ in fornace confringitur, haud deletur, sed renovatur.* Quæ considerationes hanc nobis moralem doctrinam suggerere videntur: Ignis, ut S. Augustinus docet, symbolum est dirissimi cruciatus, ac doloris, quo humani artus excarnificari queunt; at idem ignis cordi nostro, ut commissa castiget crimina admotus, lice t ex parte affligat, & torqueat, mirabili tamen eventu proficit, defectus expiat, tenebras dispellit, fæcunditatem confert, & rubigine abstersâ, novitatem amœnam inducit. Quo circa S. P. Augustinus, ut negligentiæ, omissiones, & culpæ à Religiosis in prævaricatione legum suarum contractæ aboleantur, ad voluntariam interni hujus cruciamenti cohortatur tolerantiam: *Quicunque vestrum viderit sibi aliquid deesse, doleat de præterito.* Eâ quippe resipiscentiâ ac pœnitudine prima puritas instauratur, atque *si peccata fuerit*, teste Isaia c. 1. v. 18. *ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus velut lana alba erunt.* Cui argumento in præsenti immorari constitui.

Majestate plenam Visionem describit Apocalypticus Angelus: consistebat in culmine Sionis Montis Sacratissimus Agnus, innumero fidelium agmine stipatus, centum quadraginta quatuor eorum millia vates percensset, qui nomine ipsius Divini agni, æterni que Patris in frontibus erant insigniti, & pleno choro laudes celebrabant supremi rerum omnium conditoris, & Monarchæ Omnipotentis, porrò ut labia vacabant mendacii notâ, sic corda erant immunia ab omni scelerum labe. *Ecce*, ait Apoc. 14. v. 1. *agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, & cantabant, quasi canticum novum, & in ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Ex nobilissimo hoc spectaculo non modica difficultas mihi movetur: quo pacto nimirum in tanto justorum exercitu liquere possit, aut adeo asseveranter pronuntiari, omnes & singulos à quâvis maculâ fuisse præservatos ac eximios? vulgari circumfertur diverbio: *nemo sine crimine vivit.* Ipsemet Joannes palam protestabatur: *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Rursus si Prophetæ fidem habemus: *omnis homo mendax*: quomodo ergo Joannes de tantâ hominum tractans copiâ fidenter asserit: *in ore eorum non est inventum mendacium*, & *sine maculâ sunt ante thronum Dei.*

983 Quæ difficultas crescet ex capite tertio ejusdem Apocalypsis, ubi filius Dei acerbè invehitur in Episcopum Sardensem, quod gratiæ vitâ orbatus esset, & opera eius coram Divinis oculis manca & inania deprehenderentur, minatúrque, ni resipiscat maturè, suásque noxas emendet, iram divinam vindicem non diu emansuram; & eâ solummodo ratione toleratam fuisse, quod in Ecclesiâ suâ paucos quosdam habeat justitiæ veste adornatos: *sed habes pauca Nomina in Sardis, quæ non inquinaverunt vestimenta sua.* Apoc. 3. v. 4. Res sane dictu, & auditu mira, si enim antistes peccatis insordescit, & mores contaminatos præsefert, quî fiat, ut subditi puram & illibatam vitam exigant? vulgò dicitur: *cum caput dolet, cætera membra languent.* Et Isaias statim atque c. 1. v. 5. edixit, *omne caput languidum & cor mærens*, subdit, *à plantâ pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Et quomodo ex adverso hîc loci valetudine integrâ gaudebunt membra, si caput populi plangitur ægrum, si cor politicum mærore conficitur, & morbis conflictatur? Richardus à S. Victore quæstionem acutè & ingeniosè enodat, dubiúmque tollit, animadvertens, verum equidem esse, quod fideles illi pluribus se obstrinxerint criminibus, suáque vestimenta, affectus & mores, atque stolam primæ innocentiæ contaminârint, at intimo doloris sensu commissas culpas retractâsse, & copiosis lachrymis ita eluisse, ut candorem tam excellentem repararent vestimentorum, ac si nunquam defædâssent: Verba Richardi in citatum locum admetior: *sunt, qui post Baptismum vestimenta sua malè vivendi inquinant, sed ea iterum lachrymis lavant, sed hoc inquinamentum non reputatur illis ad pœnam, sed diligenter lavant per pœnitentiam.*

984 Ecce jam dubitationem remotam! En qualiter tot millia fidelium animarum omnem evitârint defectum & illibatam conservarint puritatem, nam esto fragilitate aut incuriâ suâ aliquoties impegerint, quantocyus tamen & omni curâ resurgere, ac cursum virtutis repetere laborârunt; esto animæ habitum commacularint nonnunquam, sed illico planctu suo, gemitúque emundarunt, & eousque pænitentiæ affectus prædominabantur, ut minutæ quoque culparum umbræ expungerentur & evanescerent. Ita nos docuit disertè S. Augustinus lib. 3. de Sanctorum meritis c. 7. inquiens: *dicitur non inventum fuisse in eis Mendacium, sed sine macula vixisse, quia mendacium vel quodlibet aliud peccatum, si pœnitentiâ deletum est, jam non est, & sic non invenitur.* Et S. Thomas Aquinas: *Non est inventum jam dudum ex quo ei adhæserunt, quia scilicet sic deletum est, & ideo non est inventum.*

Josue

Josue in Concione quadam Israelitarum Religionem constantémque pietatem miris laudibus extollit, quod nunquam à veri Numinis cultu cor & affectum suum alienârint, nunquam ad exterorum Idola respexerint. Agite felices populi, ajebat, Dominus Deus brevi quoque tempore ditabit vos florentissimo regno, cujus dominio & possessione Idololatras impios exuet, atque electis suis fidisque famulis impertiet: Ipse in fortitudine brachij sui barbaros sub jugum mittet: vestrarum partium erit, exactè legi Mosaicæ inhærere, simulacra gentium & Monstra Acherontica execrari, solíque Deo vivo & vero debitam venerationem & obsequium deferre, quod hactenus sanè perquam accuratè præstitistis: *Ne juretis in Nomine Deorum earum, & serviatis eis; & adoretis illos, sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc.* Jos. 23. v. 7. Quid ais Heroum invictissime? quæ tribuis encomia populo, ut palam est, refractario? An non constat Divino oraculo Num. 25. v. 1. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab; quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt & adoraverunt Deos earum.* Si autem tam enormi se sacrilegio devinxere, quomodo tu appellas insontes? quomodo illibatam veræ Religiosæque pietatis deprædicas puritatem? 985

Ad obscurum hunc locum elucidandum serviet aliud biblicum factum: Sara Abrahæ conjux jam eo ætatis provecta, ut, exsiccatis floribus, fructum Matrimonij nullum amplius sperare posset, ut audivit, polliceri Angelum, post paucos menses gravidam se, ac egregiæ sobolis felicem parentem fore, in animum non potuit inducere, sed revocavit in dubium effatum quovis Delphico oraculo certius, & ideo post ostium in risum effundebatur: Quo Angelus suboffensus cum Abrahamo quodammodo expostulat, & conqueritur: *Quare risit Sara?* Gen. 18. v. 13. Tharsensis Ecclesiastes econtra perhibet, Saram firmissimam fidem Angelico promisso præbuisse, eóque Nomine dignam evasisse, quæ pareret in senectute decrepita gratiosum infantem. Ita scribit Heb. 11. v. 11. *Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit.* Quid dicimus jam AA. ad textus adeo pugnantes? si convicta est Sara incredulitatis in ipso Divino codice, quo pacto Apostolus ei integritatem fidei adscribit? sed respondendum est, Saram initio quidem vacillâsse in fide, postea tamen, ut deprehensam se, graviterque correptam vidit, sacro horrore perculsa planè credidit, & eâ fidei constantiâ & firmitate obliteravit præcedentem fæmineam levitatem, adeóque *Paulo* teste: *fide virtutem in conceptionem seminis accepit.* Appositè S. Athanasius: *risit quidem, sed convicta extimuit, quod utique præstita fidei argumentum est.* Quo ita com- 986

planato ad superius revertamur dubium, & colligamus, quemadmodum Sara ridens titulavit in fide, verùm timore correpta tam altas subitò in eâ radices egit, ut Apostolus applauderet: ita Hebræi blanditijs seducti Idololatrarum mulierum immani se Sacrilegio contaminarunt quidem, *sed* è vestigio impietatem suam abominati, tanto dolore æstuarunt, tam copiosas pænitentiæ lachrymas fuderunt, ut nullum contractæ maculæ *superesset* vestigium, ideóque non immeritò laudari possent, tanquam homines justi ac innocentes. Jam igitur, quanquam præconium, quo illos Josue condecoravit, *falsum videtur*: commentatur Hugo Cardinalis, *quia Numerorum c. 25. legitur, quod initiati sunt Beelphegor solutis. Jam pænituerant, unde pro non facto habebatur.* Ea nimirum vis & efficacia est pœnitentiæ, ut expurget animam, eradat omnem fæditatem, ac fordes criminum & infernale monstrum transformet, in templum & habitaculum Spiritus Sancti. Loquatur Tertullianus lib. de pœnit. c. 2. *Quidquid error vetus inquinâsset*, ait, *quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abijciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui Sancto parat.*

987 Jam probrosè dilapidârat prodigus ille Filius Luc. 15. famam, honorem, opes, libertatem, salutem, & omnem felicitatem, cùm paulatim evigilare cæpit, ac extremam suam calamitatem deplorare; qui verò nullum nec subsidium egestati, nec consilium aliunde invenire potuit, conclusit tandem: *Surgam, & ibo ad patrem, & dicam ei, Pater, peccavi in cælum & coram te.* Et verò bonus ille senex spectando miserandam filij faciem non excanduit, non furiosè increpuit, *sed*, qui amoris lachrymis prosequebatur abeuntem, ingenti gaudio reducem excepit: Necdum absolverat humi affusus Filius flebilem suam confessionem: *Pater, peccavi in cælum & coram te*, cùm subitò ex fædissimo orci monstro migrat in Angelum paradisi: Agite, mei famuli, exclamat Pater, moras abrumpite, *citò proferte stolam primam*: induatur pænitens filius meus vestem immortalitatis, quam protoparens dudum amiserat: *dedit illi stolam*: vox est Chrysologi serm. 5. *quam Adam perdidit*; restituatur Annulus, ornamentum libertatis, & dignitatis in dex illi manui, quæ indignis modis servitutem servijt alienigenis; felicitati jam despondetur, qui miserijs nimium opprimebatur: inserite *annulum honoris, titulum libertatis insigne, archam cælestium nuptiarum* Pedes lascivi æ luto commaculati jam *calceentur in præparatione Evangelij*, & sidera calcent in regno beatitudinis. Tantum officij meo debetur filio, qui errores suos agnovit, agnitos ejuravit, & ejuratos amarissimis pænitentiæ lachry-

mis lavit & purgavit : & *quidquid error, ut verba* repetamus Tertulliani, *vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pænitentia verrens & radens, & foras abjiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui Sancto paravit.*

Nescio an luculentius aliquod veritatis hujus specimen facilè occurrat, quàm in S. Petro, cui, prius quam laberetur in horrendum negationis perfidū ac perjurij crimen, Christus appromisit supremum Ecclesiæ Pontificatum : *tibi dabo claves regni cælorum.* Matth. 16. v. 19. Non stetit Petrus, corruit miserum in modum, & gravissimam culpam incurrit, nihilominus post acerrimum dolorem, amaram pænitudinem & lachrymas Catholici gregis reipsa Pastor gloriosus declaratur : *pasce agnos meos* Joan. 21. v. 15. O Magnam pænitentiæ virtutem, quæ non modo admissas culpas eluit, sed viam insuper sternit ad primos honores! 988

Quod excellenter confirmat Arnoldus Carnotensis Tract. 2. de verb. Dom. in cruce ita de felice latrone scribens : *Ecce unus de derelictis, latro ille collateralis tuus, damnatus ob scelera, illum victoria tua procursorem constituis, & vivificatum ex gratia in paradisum præmittis* ; quasi diceret : fuit haud dubiè ad excelsam dignitatem evectus Joannes Baptista, qui verbo incarnato viam præparavit inter homines, digito præmonstravit, & evulgavit immensas illas prærogativas : verùm id honoris consecutus est grandibus suis Meritis, utpote qui sanctitate jam præfulsit ab utero materno, puritatem vitæ stupendam conservavit perpetim, corpus inediâ assiduâ in deserto maceravit, per totam vitam Angelo propior, quàm homini ; idcirco dignissimus Christi præcursor. At Arnoldo Autore, Redemptoris ad Sanctos Patres in limbo detentos, velut optatissimi Solis Phosphorum agere meruit, felicissimus latro, quoniam ad extremam vitæ lineam perductus, antequam exhalaret animam, vitia pænitentium idea effectus, scelerum suorum se palam accusavit, insontem & omnis criminis purum Agnum DEI JEsum defendit, commilitonem acriter redarguit, veniam efflictim poposcit petiitque, ac obtinuit admitti ad regnum beatitudinis : Ita intimus de commissis peccatis dolor cancellat chyrographum damnationis, mortis sententiam abrogat, & plenam cum Deo amicitiam instaurat, gratiam præparat, gloriam promeretur. 989

Discursum præsentem claudat reflexio quædam S. Paschasij admodum opportuna. Jeremias notissimus Vatum multus est in deplorando Jerosolymæ excidio ; quis verò, inquit, non ingemiscat, quis siccis oculis spectet, nobilissimam hanc reginam pedibus conculcari, constringi catenis, irrideri ab hostibus, ab amicis derelinqui ? En quomodo summæ 990

divitiæ fuerint direptæ, amplissima gloria obscurata, & ipsemet Deus, amantissimus quondam Sponsus infensè illam persequatur! Eheu! *facta est, quasi vidua Domina gentium.* Thren. 1. v. 1. Illud jam nonnemo scire aveat, cum ea metropolis involuta sit maximis omnis generis ærumnis, quare Propheta non absolutè viduam indigitet, sed restringat; quod tantummodo repræsentet viduam? Respondet laudatus Abbas, *quasi viduam* nuncupari Jerusalem, quod nondum penitus actum esset de illius salute, non omnis spes præcisa, cum via pateret revertendi ad infinitam Dei bonitatem, ad agendam pænitentiam, ad cælestem iram ea ratione placandam, verbo, ad primævam gloriam & pulchritudinem, vero de peccatis dolore concepto, reparandam. Ita ipse discurrit lib. 1. in Thren. *Quasi vidua & non verè vidua manet, ut si redierit, prioráque dilectionis opera impleverit, sponsum saltem per pænitentiam recipiat.*

991 Quamobrem suaserim ego, quantum possum, cuilibet Religiosæ animæ, quod si fortâssis jugo vitiorum oppressa non jam Jerosolyma sed Babylon audiat, si gloria versa est in ignominiam, si spiritualis opulentia hostibus in prædam cessit, si catenæ iniquitatis aggravent colla, si squaleat in luctu, & funestis tenebris, è cunctis hisce calamitatibus eluctari poterit favente cælo, dummodo *doleat de præterito*: resipiscentia accendet lumen, dispellet miserandam noctem, suspiratum diem reducet; ipse dolor januam aperiet novis gaudijs, si luget *quasi vidua* amabilissimum Deum, denuo *sponsum per pænitentiam recipiet.*



Et

Ex

CAPITE XII.

Orans, ut sibi debitum dimittatur.

Oratione culparum veniam obtineri.

DISCURSUS LXXXXX.

CLementia Henrici IV. Castiliæ Regis dignissima est, quæ aureis 992
characteribus consignata posteritati transmittatur, nec ullâ unquam oblivione deleatur; aliquando multos annos in aulâ regiâ ministrum, nescio quem, aluit, multis nominibus sibi oppidò acceptum, quem eâ tandem gratiâ affecit, ut regali ipsum Castello, Mantuæ Carpetanorum cum summâ potestate imponeret. Paulo post ingenti per totum regnum tumultu excitato cogitur Rex ad eandem suam munitam Arcem confugere, at perfidus & infamis gubernator, perduellium jam partibus adjunctus, aditum obstinatè præclusit proprio suo Domino, qui armorum vi brevì viam aperuit, & portis effractis victor ingressus est, nefarius proditor advolvitur supplex Majestati Regiæ, & gravissimo sceleri plenus rubore, lachrymis, dolore, veniam impensissimè flagitat; circumfusi proceres indignitatem facti extollunt, & ad justam ultionem instigant regium animum, ut mali punitione boni conserventur. At aliter sensit Rex, supplicem in gratiam recepit, lubenti animo ignovit, coram omnibus protestatus, imitari se velle Salvatorem Mundi, promptissimum etiam ad condonandum ipsi Judæ, si modò ad pietatem suam petiturus veniam confugisset. Salaz. de Princip. lib. 4. ad not. 11. n. 5.

Quâ maximâ ego Discursus hos concludam, & persuadere Religioso 993
conabor, etsi reus esset gravium criminum, despondendum non esse animum, sed supplicibus votis ad eundam esse Divinam Majestatem, & ve-

niam

niam solicitandam : erigatur igitur : *orans ut sibi debitum dimittatur*, & confidat, benignissimè se auditum, & cælesti solatio perfusum iri.

994 Huc sanè collineat pluribus locis Sacra Scriptura : Salomon, ad finem perducto famoso suo templo : *Orantibus in loco isto*, dicebat, *dimitte peccata populi tui Deus* : associabat fervori orationis deletionem criminum. Preces Sacerdotum velut intimorum DEI familiarium naturâ suâ feruntur intensæ, ad liberandos culparum nexibus fideles populos : *Orat Sacerdos pro delictis & peccatis populi*, quod sibi probari testatur Deus 2. *Paral.* 7. inquiens : *Si populus meus deprecatus me fuerit, & egerit pœnitentiam à viis suis pessimis, &c. Ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum.* Adjungere his meritò possem Sanctam Matrem Ecclesiam, quæ miseris patrocinium latura, ita Deum venerabunda alloquitur : *Exaudi quæsumus Domine supplicium preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.* Sed consideremus parabolam capite 18. Matthæi relatam.

995 Præpotens Rex quidam cum Ministris suis rationem inire voluit, & quantum quisque commodâsset, aut obfuisset, revocare ad calculos : cùm primus statim sistitur, grandi ære alieno gravatus, & debitor decem millium talentorum, & quia solvendo non erat, tenuis fortunæ homo, regio nomine jubebatur venalia exponere uxorem & liberos, & omnem substantiam sub hastâ vendere, ut publico ærario satisfieret, quoad posset : *Cùm non haberet, unde redderet, jussit eum Dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi* Matth. 18. vers. 23. Fulmine tanti rigoris percussus infelix debitor humi se abjecit, & subjectissimè obtestabatur, inducias petebat infimis precibus, & sanctè spondebat, se pro virili allaboraturum, ut grande hoc nomen, quàm proximè dissolvatur. Eâ submissione ac deprecatione, commotus Rex libertate miserum donavit, *& debitum dimisit ei.* vers. 27. Laudamus eximiam Principis clementiam; sed percontari lubet : si propria Regum virtus est benignitas ergà calamitosos : si gratia promptè exhibita duplo pretiosior habetur : cur Monarcha iste tam rigidè, tam severè procedit? si genio suo propendebat in pietatem, cur servum hunc affligere voluit tam asperis minis? Imo si animo jam decretum habebat, summam debiti gratis remittere, quare tam accuratam rationem usque ad ultimum quadrantem instituit? Ego sic existimo : initiò rigorem ostendit, ne servus nimiâ laxitate ac indulgentiâ habitus provocaretur ad similia deli-

cta

cta pluries repetenda, neque divinum favorem asperna retur. Nec illud omittendum, quòd plus momenti ad rem, quâ de loquimur, adfert; licet proclivis esset Rex ad absolvendum, minari tamen statuit, ac percellere terroribus, ut ille in eo articulo ad vota ac deprecationes confugeret, eâque ratione regium munus partim clementiæ Domini, partim orationi servi adscriberetur. Unde aureus Orator hom. 62. in Matth. *Volebat Rex à principio dare, sed nolebat solum suum esse donum, sed & supplicationis illius.* Quamobrem Deus perquam cupidus est relaxandi debita, peccata abolendi, attamen mirum in modum delectatur, si demissè imploretur, si calidis & humilibus precibus exoretur; hinc vox illa: *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me;* quasi vellet inferre: Hæc supplex petitio tua consimilis voci gementis turturis post asperam & obscuram hyemem reduxit veris amœnitates: hæ preces in morem pretiosi lytri è durâ servitute in libertatem asseruerunt tuam familiam; hæc oratio velut aquilo nubes dispulit nimbosas, & jucundissimum sudum induxit, quoniam reipsâ fidelis *orans, ut sibi debitum dimittatur,* in puncto temporis exauditur, votique damnatur.

Et cui, quæso, ignota est pervicacia & durities Jonæ Prophetæ? 996
Legit hunc Divina Providentia, ut animas Ninivitarum ad frugem reduceret; non placuit provincia commissa Jonæ, cælesti præcepto præfractè obluctatur, contumax per omnia in parendo jussibus Numinis; nec jam regiam Assyriorum petit, sed mare, regiam tempestatem, immemor Divinæ Immensitatis non sine aperto delirio quærit se subtrahere Deo, & effugere, qui ubique locorum præsentissimus est. Quid verò moliris imprudens? vis recedere à Deo propitio, ut iratum offendas? Ecce jam venti & procellæ in pertinaciam tuam pugnant; jam nubes undique obductæ tenebris diem involvere, jam cælum omne turbari, mare furere, navis decumanis fluctibus concuti, & propè interitum esse; jam ipsæ barbarorum sortes te nominare, onus & exitium navis propalare, abysso maris devovere. Nautæ vi tempestatis magis magisque inhorrescentes Jonam suâ jam confessione reum, ac sententiâ condemnatum in undas ejiciunt, ceu piaculum impendentis iræ; sed mox adest prægrandis bellua Marina, & Jonam deglutit ut vindex, asservat ut custos. Quid porrò agat in animato carcere? in tetricâ illâ cavernâ? *Oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* Jon. 2. vers. 2. illigatus tot culparum nexibus ad Deum recurrit liberatorem, & optatu successu, *orans, ut & debitum sibi dimittatur,* sensit se audiri, antequam loqueretur, ut

audiri posset: Dixit, *clamavi de tribulatione meâ ad Dominum, & exaudivit me, exaudivit*, quandoquidem absorptus amaris pelagi aquis, natavit delicians in dulci fluvio, *flumen circumdedit me*. *Exaudivit*, quia constrictus ad montis radices videbatur sibi commorari in domo Domini, sita *in vertice montium* Psal. 2. 2. *Exaudivit*, quoniam maris algâ caput circumdante, sensit coronari lauro frontem suam, tanquam omnium periculorhm triumphatori. *Exaudivit*, quippe qui hæserat in profundo luto, & vidit se liberum exponi in planitiem maritimam. *Et dixit Dominus pisci, & evomuit eum in aridam.*

997 Sed mittamus jam tetras voragines maris, & mæstam abyssum; cogitatione sublamus in regiam aulam Davidis. Quid autem videmus? Diadema gestat Rex in vertice, & anima ejus ob gravissima adulterij, homicidij, scandali, scelera squaletin durissimis vinculis. Tributa exigit à subjectis Provinciis, & ipse maximus est debitor Numinis, cujus ad tribunal per Prophetam Natan jam citatur. Expergefactus velut è profundo lethargo oculos circumducit, virtutis splendorem obliquè intuetur, & quemadmodum S. Augustinus quemvis peccatorem adhortatur, ut primum revocet culpas, & *doleat de præterito*; subinde sollicitet & indulgentiam, orans ut sibi debitum dimittatur; Ita Jessæus Monarcha suo exemplo docuit, vehementissimo dolore cordis ac gemitu exclamans *peccavi*, tum placaturus offensum Numen in genua se dimittit, carmen flebile intonat, *Miserere mei DEUS.* psalm. 50. Immania sunt, fateor, crimina mea, O Amator hominum, sed ampliores sunt miserationes tuæ, idcirco *miserere mei DEUS, secundùm magnam misericordiam tuam.* Terret me nimia debitorum moles, si tuam justitiam specto, sed objecto pro tuâ pietate, *dele iniquitatem meam.* Video, & totâ facie erubesco sordes ac spurcitiam meam, ah Domine, *lava me ab iniquitate meâ, & à peccato meo munda me*; ita fuligine fœdissimâ extersâ *super nivem dealbabor.* Ita pænitens Rex orans, *ut sibi debitum dimitteretur*, audire meruit dulcissimam consolationis vocem: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; perinde ac si diceret; *Omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me.*

998 Juvat pluribus id confirmare exemplis. Ezechias ingratitudinis convictus, ideoque lecto affixus, & jam ad extremum vitæ adductus ferventibus votis arans, *ut sibi debitum dimitteretur*; obtinuit à supremâ Dei bonitate, ut quindecim anni vitæ protelandæ adjicerentur. Manasses, cæco ergastulo conclusus, ob ingentia debita coram Deo contracta,

corde

corde contrito impensè oravit, & rursus solio Jerosolymitano restitutus est. Nabuchodonosor Rex Assyriorum levavit oculos versus cælum, linguam ad laudem & gloriam DEO Optimo Maximo tribuendam, expedivit, veniam humillimè petens admissæ arrogantiæ, & statim miserabilis bovis abjectâ larvâ, rediit non solùm dignitas humana, sed etiam Majestas Regia. Latro in Monte Calvario ex infami stipite pendebat, scelerum multiplicium justam pænam soluturus, supplicabat verò Christo, ut dignaretur eripere non jam supplicio patibuli, sed tormentis inferni, orans, *ut sibi debitum dimitteretur*, assumi meruit in sortem filiorum, & ad paradisum promoveri. Unde sic ego mecum reputavi, sicut Cithara Davidis cacodæmonis crudeles Saulis tortores & carnifices fugavit, ita orationis virtute vitiorum monstra propulsantur ex animâ, Divinæque Justitiæ satisfit: *Nam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.*

999 Præsul Mediolanensis expendens illud Luc. 4. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus*, opinatur, proponi symbolum peccatricis animæ, & ait: fortassis in typo mulieris illius Socrus Simonis & Andreæ variis criminum febribus caro nostra languebat. *Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est*: & cætera vitia ignes sunt febriles, quæ misere torquent, & affligunt animam. Si autem quæritis, undenam incendiis hisce refrigeria sint accersenda? quomodo flammæ hujusmodi sopiendo, & ardores retundendi? perhibet præsens remedium Evangelista nempe, *Apostoli orarunt pro ea.* Et ipsa oratio cælestem rorem, & lenimen advocavit, oratio tam molestos cruciatus compescuit, oratio manus Medicas DEI applicuit, ut pulsis tormentis thesaurum impertiret integræ valetudinis. Quo facto docetur quævis anima peccatis obstricta, quod *orans, ut sibi debitum dimittatur*, sit impetratura, quod desiderat.


1000 In varias se partes Sacri interpretes vertunt, & in diversas abeunt sententias, quis legitimus, & genuinus sensus sit tituli Cantico Prophetæ Habacuc inscripti: *Oratio pro ignorantijs*. Hab. 3. v. 1. Inter alios Cornelius à Lapide inhærens doctrinæ Aristotelis, quod *omnis peccans ignorans*, cum cuilibet peccato annexa sit quædam inconsiderantia ac imprudentia, exponit, quod tantundem valeat *Oratio pro ignorantijs*, ac si poneretur: *Oratio pro peccatis*, ac vates diceret: *Oro domine pro peccatis populi, ut illa condones, & dissimules.* Eodem ego

animi sensu Religiosos alloquor, si forsan in vobis abundant ignorantiæ, & peccata, negligentiæ ac omissiones, frigus cordis, languor Spiritus; continuò ad orationem refugite, quivis vestrum flabellis orationum ignem Religiosæ pietatis excitet, vel conservet, ne extinguatur; devotis suspirijs, ac vernis Zephyris cordis terram calefaciat, ut flores parturiat Sanctorum desideriorum, pignora virtutum ac meritorum. Quivis flebilem imitetur Philomelam *orans, ut sibi debitum, dimittatur*, quo sanè viscera Dei commovebit, ut omnium Culparum veniam liberaliter impertiatur, ac consortem efficiat beatitudinis æviternæ.

FINIS.



Index



INDEX RERUM.

Præcipuarum

Productus Numerus & Marginalis.

 Alexan-

E.

F.

G.

S. Ger-

Lana

M.

N.

Noë

R.

S.

T. Tar-



T.

V.

Z.



